BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
17,0

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
10 D
28

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONES PHILOSOPHIAE

AUCTORE

JOSEPHO ALOISIO DMOWSKI

E SOCIETATE JESU

VOLUMEN I. PARS. I.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
17 0
4

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

14-8-H 27

50 49
f 4
4 41

INSTITUTIONES

PHILOSOPHIAE

AUCTORE

JOSEPHO ALOISIO DMOWSKI

E SOCIETATE JESU

IN COLLEGIO ROMANO PHILOSOPHIAE MORALIS PROFESSORE

VOL. I.

CONTINENS INSTITUTIONES LOGICAE ET METAPHYSICAE

EDITIO ROMANA AB AUCTORE EMENDATA ET
PLERISQUE NOTIONIBUS AUCTA

Biblioth. secreta Coll. Rom. Soc. Jesu —

ROMAE
Typis Joannis Baptistae Marini et Socii.
MDCCCXL.

Digitized by Google

Non enim bonum hominis est, hominem vincere; sed bonum est homini, ut eum veritas vincat volentem: quia malum est homini, et eum veritas vincat invitum. Nam ipsa vincat necesse est, sive negantem, sive confitentem. Da veniam, si quid liberius dixi, non ad contumeliam tuam, sed ad defensionem meam.

S. Augustinus, Epist. 238 ad Pascentium.

Reimprimatur - Fr. Dominicus Buttaoni O. P. S. P. A. M.
Reimprimatur - Antonius Piatti Patr. Ant. Vicesgerens.

RML0140570

Digitized by Google

PRAEFATIO

Quae solent a plerisque philosophicarum disputationum scriptoribus in laudem philosophiae, vel a primo ejus aditu praedicari diserte et afferri magnifice, ea, in hac ad meas Institutiones quas typis romanis edere jubeor prolusione, missa libenti animo facio omnia. Neque enim aut ratio temporis aut conditio juventutis nostrae id ullo modo a nobis in praesenti postulare videtur, ut quam adeo vehementer fortasse etiam intemperanter commendant vulgo plurimi, tam cupide inconsiderate fortasse etiam adeunt tam multi, supervacaneo nisu ad coelum efferre contendam. Satius fore censeo longeque opportunius si qui in his praelectionibus vulgandis id unum mihi proposuerim ut scilicet commodo bonae spei adolescentium inserviam, vel ipsum opellae meae exordium ad eumdem illum finem dirigam. Diuturna enim experientia didici (quippe qui a multis abhinc annis juventutis in elementis philosophiae instituendae munus demandatum mihi sustineam) maximum profectus impedimentum a non servata studendi methodo exurgere. Nam quum, uti solet accidere, adolescentes absoluto humaniorum litterarum curriculo in quo potissimas ut plurimum phantasiae et memoriae exercendae partes tribuerunt, ad limina Philosophiae accedant, nescio quo pacto facile sibi persuadent eamdem in philosophicis etiam disciplinis tenendam sibi esse viam; quo nil potest esse aut veritati minus

Digitized by Google

consentaneum aut fructui percipiendo magis adversum. Huic incommodo saltem ex parte occurrere mature consuevi, semper qui ab ipso philosophiae tradendae initio praemonitos statim certosque auditores vellem, ex eis solidum in doctrina profectum facturos qui nedum scitu necessaria diligenter memoriae mandarent, sed, quod caput est, qui res auditas attenta consideratione perpenderent, difficiliora secum ipsi et saepius ad trutinam revocarent, nunquam ad alia progrederentur prioribus non intellectis; verbo, qui nihil intentatum relinquerent ut tradita in succum et sanguinem converterent, et explicata recolerent et praelegerent explicanda et potiora quaeque additamenta sibi notarent, omnia disputando, consulendo, praeceptoris exquirenda ope veluti digererent, animoque alte reponerent.

Alia quoque ratio mihi habenda erat in ipsis Institutionibus concinnandis ut utilitati adolescentium providerem. Perspectum est enim hac nostra aetate unum dumtaxat annum huic studio elementari tribui, hinc varietas et multitudo rerum tractandarum ad pauca quaedam coarctanda erat, prorsus necessariae quaestiones caeteris quidem anteponendae, at et aliae tantum utiles, vel quae ad intelligenda recentiorum philosophorum placita opportunae videntur minime erant negligendae. Quod ut patet non poterat fieri, nisi et velut per summa capita recensendo illa praesertim quae minoris ponderis esse videbantur, et in aliis quoque brevitati studendo. Brevitas tamen perspicuitati obesse non debebat; hinc quaestionibus

Digitized by Google

magis arduis notas quasdam adjicere placuit quae plurimam iisdem lucem adferunt: quaedam etiam derelinquenda quae viva praeceptoris voce enucleari possent: compertum namque est omnium doctorum judicio quin et experientia quod ejus generis Institutiones quae absque praeceptoris voce, a quovis juvene privata opera percipi queunt, (erunt enim necessario tales in quibus studiose praetermittitur, quidquid ex rei natura arduum est) adolescentium industriam retundant, praeceptoremque magis constituant disciplis egentem, quam praeceptore discipulos. Aliquid igitur in his Institutionibus relinquendum erat quod mentibus juvenum ad altiora scrutanda idoneis velut iter ac semitam indigitaret, quin tamen istud communiori aliorum bono esset impedimento. Unde in singulis fere quaestionibus eas inter caetera probationes sive argumenta exposita invenies, quae a quovis studioso juvene licet vix mediocris ingenii (qui enim longe infra ingenii mediocritatem versantur hujus disciplinae studio valedicere deberent) absque magno conatu intelligi possunt. Caetera vero majori ingenio praeditis jucundum et haud inutile pabulum praebebunt, monebuntque quemlibet ne sibi false persuadeat, se unius alteriusve anni studio apicem philosophiae attigisse, et perfecti philosophi laudem nomenque meruisse, sed tantum praecepta veritatesque quasdam fundamentales rite dispositas habuisse, quae bene intellectae animoque profunde insculptae, semina sunt illa seu potius faecunda sapientiae initia quae deinceps

Digitized by Google

accedente propria industria, diuturnaque probatorum librorum lectione, sine mora pullulare uberrimumque fructum adferrre poterunt.

Quum porro perspectum haberem notionibus universalibus neglectis vel non apprime declaratis, juvenes nedum ad intelligentiam gravissimorum auctorum et ad sacrae Theologiae caeterarumque sublimiorum facultatum studia, sed et ad detegendos teterrimos nunc temporis grassantes errores, qui ut plurimum ab istarum universalium notionum confusione vel corruptione prodeunt, ineptos reddi; easdem notiones majori quam potuit fieri perspicuitate tradere, quin et ab oppositionibus adversariorum vindicare summopere cordi fuit. Quia autem hujusmodi notiones solide et dilucide expositas ac vindicatas fere penes eos dumtaxat Doctores reperi, qui a premendis vestigiis S. Thomae nimis alieni non fuerunt, me quoque non piguit eadem vestigia interdum premere; eo vel maxime quod hac ipsa nostra aetate non desint eruditissimi viri qui eidem S. Doctori debitum laudis honorem etiam circa philosophicas disciplinas abunde persolvunt. Sic doctissimus F. R. auctor animadversionum circa opus Alphonsi Testa *Discorsi della Filosofia della mente* ita nomine suo et alterius celeberrimi viri disserit: » E noi nomineremo ancora il gran S. Tommaso, » l'ingegno più sublime che vantar possa la scola- » stica, mente vastissima, che nella sua somma teo- » logica dimostrò una filosofia che non teme il con- » fronto delle più ardite e fine specolazioni mo-

Digitized by Google

» derne. Il celebre Cousin lo appella *un des plus » grands monumens de l'esprit humain au mayen » âge, et qui comprend avec une haute metaphy- » sique un système entier de morale et meme de » politique, et cette politique n'est pas du tout » servile* » (1). Vide Ephemerid. mediolanen. *Ricoglit. Italiano* Ottobr. 1836. pag. 431.

Haec est ratio, haec meta mearum rationalis philosophiae Institutionum, commodum scilicet et profectus studiosorum adolescentium. Utrum autem finem hunc saltem ex parte ope illarum assequi possim, Doctorum judicio definiendum relinquo; quamquam eorum quidam, viri nempe in Lovaniensi catholica Universitate Professores mihi consuetudine juncti jam in antecessum judicium suum protulerunt, dum et typis Belgicis has meas Institutiones tamquam studiosae juventuti proficuas vulgare curarunt, et in *monito* eidem Lovaniensi editioni adjecto, ea de iisdem edisserunt quae hîc a me commemorari non decet. Utilitati tamen lectorum viderer deesse, si ne haec quidem pauca ex illo monito referenda cen-

---

(1) Iuvat hic innuere quantum vir iste cujus verba retulimus, quique est hac in re fidei indubiae (munus enim, ut vocant, Ministri publicae Instructionis in Galliis nunc sustinet) ad solidam veritatis inquisitionem profundioraque studia propendeat, eorumque necessitatem agnoscat, atque fateatur; dirigens namque quoddam studiorum ordinandorum monitum ad rectores Academiarum regni sub die 17, Iulii hujus anni, logicae studium commendat, et de eo haec inter cetera habet: *L'art syllogistique est tout au moins une escrime puissante, qui donne à l'esprit l'abitude de la précision et de la viguenr. C'est à cette mâle école que ce sont formés nos pères; il n'y a que de l'avantage à y retenir quelque temps la jeunesse actuelle.* Vide Ephemerides *L'Ami de la Religion.* 5. Septem. 1840.

Digitized by Google

serem ; inquiunt porro » Nullae hic stili ambages,
» nullaque inopportunae eruditionis et doctrinae
» ostentatio: nullum denique auctor noster *systema*,
» ut ajunt, sectatur; contra adolescentes illinc averte-
» re vehementer contendit, ac tum exemplo, tum
» scripto veritatem, undecumque tandem ipsa pro-
» deat, docet amplectendam. At sicuti auctoris in-
» stitutiones non sunt oneratae quaestionibus super-
» vacaneis, ita nec deficiunt necessariis.

» Nec vero, quod quis sibi forte persuadeat,
» tractavit Noster eas tantummodo quaestiones, quae
» vulgo in scholis fere tractari solent; verum optime
» gnarus, quam multum intersit, ut contra novos
» in dies succrescentes errores peculiari ratione juve-
» nes armis instruantur, et de iis omnibus quaestio-
» nibus disserit, quas nostris diebus misere delusorum
» hominum quorumdam movit ingenium.

» Attamen omnia collata sunt in verba, quam
» fieri potuit, paucissima; ita tamen, ut contracta
» oratio perspicuitati noceat nihil... Paucis, ita harum
» institutionum comparata ratio est, ut verissime
» nomen mereantur *libri elementaris*, quo philo-
» sophicarum disciplinarum candidati utiliter et com-
» mode utantur. »

» Quae cum ita essent, auctoris institutiones
» typis etiam belgicis exscribendas Belgae curavimus,
» existimantes fore, ut ex faciliore ejus libri com-
» paratione, non minimus fructus utilitatis praebe-
» retur adolescentibus nostratibus, qui disciplinis
» philosophicis incumbunt.

Digitized by Google

INSTITUTIONES PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE ADUMBRATIO

Scientia, quae hominem ad veri et boni assecutionem ducit, philosophia nuncupatur; qui vero eidem operam navant, amatores sapientiae audiunt. Haec philosophiae notio vaga est et indeterminata, primo quidem, quia non quaecumque boni et veri cognitio et assecutio objectum philosophiae constituit; deinde, quia non solum in comperto habetur, nos aliqua certo cognoscere, hoc ipso quod rationales sumus, sed etiam Deum hominibus veritates aliquas manifestare posse, et revera manifestasse. Ea itaque, quae nobis revelatione divina innotescunt ad Theologiam, ut vocant, Dogmaticam spectant; ea vero, quae ratione recta comparantur, quaeque velut facem praeferunt iis, quae mediante supernaturali manifestatione divina apprehendimus, scientiam philosophiae constituunt. Atque hinc duo haec recte sequuntur: primum, philosophiam esse quasi ancillam Theologiae; alterum vero, philosophiam versari circa ea tantum, quae rationis limites non superant, quaeque recto ejusdem usu, ex indubiis principiis cognosci possunt. Per philosophiam itaque intelligitur: *Scientia veri et boni assequendi, recto rationis usu comparata.*

Definitio allata indicat, duo esse fundamentalia philosophiae objecta, *verum* nempe et *bonum*; unde etiam dimanant primae et generalissimae ejus partes. Quae enim circa bonum versatur, legesque considerat a quibus publica totius societatis, vel privata individuorum felicitas, morumque debita conformatio pendet, *Juris naturalis publici et privati scientia*, sive *Philosophia moralis* dicitur. Quae autem *verum* respicit, *speculativa* vocari posset; nomine tamen generali carens, pro diversitate objecti proprii diversas appellationes recipit. Sic *Logica* dicitur, dum praecepta rectae ratiocinationis exponit, et fontes veri aperit; *Metaphysica* vero, cum de generalioribus entium proprietatibus, vel in specie de Deo, de homine, et de mundo disserit; *Physica* demum, dum speciali ratione corporum naturam viresque et leges, aliaque phaenomena naturae cor-

1

Digitized by Google

poreae investigat, quam etiam juxta totam ejus amplitudinem seu omnes partes acceptam, additis insuper Astronomia et Mathesi praesertim mixta seu applicata, quidam communi vocabulo *Philosophiam naturalem* appellant; caeteras vero omnes partes sub nomine *Philosophiae rationalis* comprehendunt.

Quod verò initium, qui progressus, quae philosophorum sectae, earumque vicissitudines, quae denique incrementa huic scientiae usque ad nostra tempora accessere, longum foret singula oratione prosequi. Philosophia nempe generice sumpta, apud Chaldaeos, Aegyptios et Persas forte primum in aliqua sui parte effloruit; quamvis minime dubitandum, eam etiam apud alias cultiores nationes prorsus non fuisse ignotam. Decursu demum temporis in Graeciam, ac postea in Italiam et Latium invecta, et in plures philosophorum sectas dispertita, plus forte damni quam utilitatis humano generi adtulit; non quidem ratione sui, sed propter insana commenta, quibus plerique philosophi rectae rationis dictamina deturparunt. Quod certissimum est, philosophiam nunquam per se sufficere potuisse ad homines rite instituendos, et ad verae felicitatis assecutionem perducendos: idque colligitur vel ex eo, quod veritates maxime necessariae ad vitam rationalem recte instituendam, nec ab omnibus, nec nisi post longum tempus, et cum diuturno labore, nec sine admixtione errorum sola duce ratione potuerint cognosci: quodque summi etiam philosophi saepe turpiter erraverint, et nunquam potuerint perfectum legum moralium codicem humano generi exhibere. Inter antiquos principatum obtinuerunt Socrates, Plato, Aristoteles, Pythagoras, aliique. Aristotelem vero per plura saecula etiam totius nostrae Europae Lycaea et Academiae veneratae sunt, donec Carthesii, Bacoui de Verulamio, Lokii, Wolfii, Leibnitzii, aliorumque recentiorum placita, doctorum sententias opinionesque in varias partes distraxerunt.

Quamvis porro tempore satis longo sicut Carthesii in Gallia, Leibnitzii Wolfiique in Germania, ita in Britannia Lokii placita methodusque philosophandi prevaluerant, attamen empirismus atque sensismus Lokii fere in tota Europa magnam vim et robur acquirere et veluti principatum visus est obtinere. Illum in Galliam Condillacus et Tracius praesertim invexerunt, aditumque teterrimae ac insanae materialistarum turbae, quae etiam nunc sub ementito praecipue Phrenologorum nomine ibidem grassatur virusque suum latissime diffundit, patefecerunt. In Bri-

Digitized by Google

tannia vero qui Lokium secuti sunt philosophi, hinc scilicet Berkelejus et Humius, inde Reidius et Dugald Stewartius, analyticam et psychologicam ratiocinandi formam ineuntes, eo perduxerunt philosophiam, ut hodie (sicut testatur eruditissimus auctor Dissertationis adjectae thesibus D. Caroli Justini Mac Carthy, Romae 1832) pene extincta jaceat, humilique et terreno quodam modo nec non materiali tractetur, idque idem Cl. auctor colligit vel ex recentissimis operibus Joannis Abercrombii et Thomae Hopii.

Vestigiis Leibnitzii Wolfiique vix quisquam in Germania nunc temporis insistere audet; Kantii namque criticismus et transcendentalismus totam philosophandi rationem adeo immutavit, totque diversis systematibus in dies lucem aspicientibus occasionem praebuit, ut incredibile dictu sit, quot inde disputationum segetes, quantaque idearum confusio atque errorum portenta manaverint. Hinc et Fichtii idealismus in quo solum subjectum *ego* est fons omnis realitatis atque certitudinis, et subsequens profluxit naturae philosophia Schellingii, quae *subjectum* pariter ac *objectum* aeque de medio tollit, et ad aliquid mere relativum reducens, conatur per quemdam *intellectualis intuitus* actum absolutam existentiam et realitatem sistere, omniaque in unitatem absolutam divini *esse* transformare. Hinc quoque haud dissimilis ratio doctrinae atque systematis Hegeli, inquirentis unitatem substantiae existentis et cogitantis, quae tandem non est aliud quam Deus se successive manifestans atque evolvens, et in se complectens tam extensionem redactam ad indivisibile punctum, quam cogitationem ad notionem omni distinctione carentem, quae unitas substantiae suo *esse absoluto* constituit puram notionem et realitatem, sive, ut ajunt, ideale et reale. Kantii pariter vestigia saltem ex parte premunt Krugius, Baader, Hermesius aliique, ac demum Krausius, quem plurimum laudat et sequitur Ahrensius *Cours de Philosoph. etc. Paris* 1838, nunc in libera Academia Bruxellensi professor, revocans totam mundanarum rerum congeriem ad duo entia universalia, substantialia tamen et existentia, *naturam* scilicet, sive materiam et *spiritum*, utrumque suo modo infinitum, atque tandem ea in absolutam infinitatem divini esse velut in eorum rationem reducens.

In Galliis post laudabiles Cl. Royer-Collardii conatus ad funditus convellendum condillachianum sensismum, novus ordo novaque ratio philosophandi duce praesertim Cl. Cousinio nu-

Digitized by Google

perrime invaluit, quae quidem altiorem tenens viam, et syntheticam ut plurimum ratiocinandi formam, dignitatem philosophiae utcumque restituit; at quia a profundiori studio et opinandi ratione Germanorum philosophorum derivata est, de eorum quoque *mysticismo, idealismo, transcendentalismo, etc.* nimis videtur participare. Cl. Cousinium pedissequa ratione sequuntur Jouffroyus et Damironius, Micheletus, Lerminierus, Guizotus, aliique: ut nihil dicam de placitis Saint-Simonianorum, Petri Leroux, Fourrierii, De La Mennaisii. Fere oppositam philosophandi viam iniit, suisque praeclarissimis scriptis ineundam esse indigitavit D. De Bonaldius, De Maistrius, aliique.

Sensismum ac empirismum Lokii ejusque sectatorum in nostra Italia validissime insectatus est Cl. Card. Gerdilius, omniumque materialistarum, atheorum, et deistarum tela simul ad nihilum redegit. Recentissimi quoque Itali scriptores haud exiguum philosophicis inquisitionibus incrementum adtulerunt, quales sunt Hermenegildus Pino in sua *Protologia*, Baltassar Poli *Saggio di un corso di filosofia*, Pasqualis Galluppi *Saggio filosofico*, *Lettere filosofiche*, *Elementi di Logica e Matafisica*, Antonius Rosmini *Nuovo saggio sull' origine delle idee*, *Filosofia della morale etc.* Romagnosi, aliique.

Haec de philosophia praesertim rationali in genere pro ratione instituti nostri delibasse sufficiat, de quibusdam enim hisce auctoribus eorumque systematibus in progressu nostrarum Institutionum peculiarem mentionem faciemus. Qui uberiorem enarrationem philosophiae habere cupit, consulat *Prolegomena Philosophiae Log. p.* 1. Cl. Baldinotti; Storchenavii et Genuensis *Tom.* 1; Imre *Tom.* 1. *et* 2; Degerandum *Histoire des systèmes comparés de la philosophie;* Tennemanium *Tom.* 2; Barchou de Penohen *Histoire de la philosophie allemande vol.* 2; Buhlium, *Histoire de la philosophie moderne*, nec non superius laudata *saggio filosofico, lettere filosofiche*, opera Cl. Pasqualis Galluppi; atque *Disquisit. histori. philosoph. systematum* Cl. Bonelli.

Digitized by Google

INSTITUTIONES LOGICAE

PROOEMIUM

Homines universos innato quodam pondere ferri ad veritatis inquisitionem, ut alia omittamus, intimo docente sensu luculentissime constat: hinc autem consequitur, quod naturalem etiam ad idem verum assequendum debeant habere dispositionem, quae dispositio *Logica naturalis* vocatur. Alia proinde Logica *naturalis, acquisita* alia, licet haec non sit, nisi quaedam ulterior illius perfectio. Etenim praecepta recte ratiocinandi et veri fontes detegendi, quae in Logica *artificiali* seu *acquisita* traduntur, nihil aliud esse patet, nisi observationes dumtaxat quasdam eorum, quae in praxi ab hominibus recta ratione utentibus fiunt. Si itaque generatim quaeratur: Quid sit logica? respondendum: *Est facultas recte ratiocinandi fontesque veri deprehendendi.* Hinc facile conjicies Logicae naturalis et artificialis definitiones. Logicam artem et scientiam esse manifestum est, quidquid sit de scientiae definitione (1), cum artis sit ducere per leges et praecepta; scientiae autem per indubia principia demonstrationes conficere. Logicae artificialis *utilitas,* quin et *moralis necessitas,* ad reliquas quascumque scientias rite et solide comparandas, ex ipsa instabilitate mentis humanae facile eruitur; quidquid sit de abusu et sophismatibus, quae tantum

(1) Antiquiores post Aristotelem definierunt scientiam: *Cognitio certa et evidens rei necessariae et immutabilis per veras et proprias illius causas.* Recentiores vero simpliciter dicunt: *Cognitio certa et evidens.* Juxta utramque acceptionem, scientiae appellatio secundae parti Logicae, ubi de fontibus veri ac motivis certitudinis disseritur, assertionesque ex indubiis principiis deducuntur, optime convenit; posterior acceptio etiam primae parti Logicae, utpote certas et evidentes cognitiones involventi, eam posset aptare; at isthaec definitio videtur deficiens, cum revera aliud sit aliquid, e. g. solem, certo et evidenter cognoscere, aliud scientiam de illo habere, seu *scire,* id est, *cognoscere per causas seu generalia principia.* E contra prior definitio forte videri poterit exuberans; sed tunc tantum exuberans dici deberet, si voces *necessariae* et *immutabilis* sumas in sensu unico *absolutae* necessitatis et immutabilitatis, easque referas non ad principia, verum ad res ipsas de quibus habetur scientia. Hinc patet quoque cur plerique antiquiores Philosophi, qui de criteriis veritatis non disputabant, Logicam tantum *artem*, recentiores vero passim *scientiam* recte ratiocinandi aut cogitandi, nuncupant,

Digitized by Google

per accidens ex ea originem traxerunt. Bifariam Logicam dividimus; prima pars praecipuas mentis operationes exponet, altera autem fontes veri aperiet.

PARS I.

Cogitare, judicare, ratiocinari, et tria haec ad verum inveniendum apte disponere, operationes sunt animi nostri, ut cognoscentis, de quibus nunc sermo, quasque diversis Articulis, majori quam fieri poterit brevitate, expendemus.

ARTICULUS I.

DE PRIMA MENTIS OPERATIONE.

1. Cogitat simpliciter animus dum aliquid ita apprehendit, ut nihil de eo affirmet vel neget. Haec operatio considerata quatenus est aliquid in animo, *idea*, quatenus est actus ipsius animi cogitantis, *perceptio* dicitur. Est itaque idea: *Illud quod in mente versatur dum mens* SIMPLICITER *cogitat;* perceptio vero: *Actus mentis, quo aliquid simpliciter apprehendit.* Idea, notio, perceptio, etc. promiscue primam mentis operationem indicant (1). Data ideae definitio satis apta est, cum per vocem *simpliciter*, eam a *judicio* discriminat, aliasque et diversas definitiones e. g. idea est *imago objecti in mente repraesentata*, vel *actus mentis percipientis*, vel *objectum immediatum intellectus*, non excludit; sed opportune pro praesenti loco, ab opinionibus philosophorum, a quibus derivantur, praescindit. Sic qui tradunt definitionem primo loco positam, vel non comprehendunt ideas mere intellectuales omnique imagine destitutas, vel tanquam certum supponunt, nos omnia percipere cum imagine seu sensibili quodam phantasmate: in altera definitione actus percipiendi sumitur pro una eademque prorsus re cum idea, excluditurque sententia de ideis ingenitis, quam tamquam veram supponit definitio tertia, dum objectum immediatum intellectus, seu

(1) Quamvis termini isti promiscue sumantur ad primam mentis operationem significandam, advertendum est tamen, quod sensu magis determinato, *notio* non nisi de conceptibus maxime abstractis et intellectualibus, *perceptio* autem de actu ipso percipiendi dicatur.

ideam, velut formam quamdam actualem animi, eidem ab auctore naturae Deo considerat impressam, quae tamdiu lateret in mente, donec data occasione perciperetur, possetque proinde esse etiam sine actu perceptionis, adeoque ab eo omnino distingueretur.

Illud quod per ideam menti exhibetur, est et vocatur ideae *objectum*, scilicet internum vel externum. Dicuntur proprietates seu *notae* ideae aut objecti, illud per quod aliquid in mente repraesentatur; e. g. animal repraesentatur per sensum et vitam. Diversae sunt idearum classes: ideas per voces seu terminos aliis manifestamus: de utroque seorsim agendum.

§. I.

De diversis idearum classibus.

2. Ideae dividuntur praecipue ratione *modi*, *medii* et *objecti*; scilicet in *claras* et *obscuras*; *sensiles* et *intelligibiles*; *concretas* et *abstractas*; *singulares*, *particulares* et *universales*.

Idea *clara* tot notas objecti exhibet, quot sufficiunt ad illud ab omni alio secernendum; non ita *obscura*. Si aliquas notas ideae clarae ad invicem distinguas, habebis ideam *distinctam incompletam*; si vero omnes, *completam*. Si notas ideae distinctae adhuc in alias et alias dissolvas, ideam *adaequatam* vel *inadaequatam* insuper efformabis. Idearum claritas et distinctio, quae seria animi attentione et reflexione comparantur, unicum sunt medium ad scientias rite perdiscendas; ideas enim adaequatas forte nunquam habemus (1).

Sensilis occasione mutationis in sensoriis nostris factae a mente efformatur, e. g. idea *auri*; *intelligibilis* absque ministerio sensuum, e. g. idea *justitiae*.

---

(1) Idea vel perceptio adaequata tunc haberetur, quando nihil rei cognitae lateret cognoscentem; quamvis itaque in idea e. g. puncti mathematici, coalescente unica ac indivisibili proprietate seu nota, ea cognita, nihil videretur ultra remanere ad cognoscendum, tamen, si etiam proprietates extrinsecas seu relationes omnes puncti mathematici ad lineam, superficiem, etc. deberes in ista idea comprehendere, vel si ageretur de ideis compositis, habentibus praesertim pro objecto rerum existentium naturam, atque ex pluribus notis coalescentibus, quae iterum in alias atque alias notas distingui queant, uti evenit e. g. in ideis animi nostri, vegetabilium, mineralium, etc. latebit semper aliquid rei cognitae cognoscentem.

Digitized by Google

Concreta subjectum cum forma, e. g. *album*; *abstracta* solam formam exhibet, e. g. *albedo.*

Idea *singularis* exhibet objectum omnimode determinatum e. g. Petrum, Joannem, etc. Notae individuantes sunt istae: *Forma figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen;* per eas enim objectum ita omnimode determinatur, ut sit hoc et non aliud. *Particularis* aliquid indeterminatum exprimit, e. g. *aliquis homo. Universalis* complectitur notas pluribus communes, e. g. *homo, animal;* quae si attingat proprietates pluribus individuis ejusdem adaequatae naturae convenientes, erit idea *specifica,* e. g. *homo,* quae comprehendit vitam, sensum, et rationem solis individuis humanis communes; quod si exhibeat proprietates pluribus specie diversis convenientes, erit idea *generica,* e. g. *Animal;* sensus enim et vita hominibus et brutis specie inter se differentibus conveniunt. Idea differentiae illud complectitur, per quod genus a genere, species a specie, individuum ab individuo discriminantur; sic *rationalitas* est idea differentiae specificae inter bruta et homines. Hinc patet quid sit *genus, species* et *differentia,* quae omnia et praesertim genus dividuntur in *supremum, medium* et *ultimum* seu *proximum,* ad quod immediate reducitur individuum alicujus speciei (1). Antiquiores philosophi ideam *specificam,* quae exhibet totam entis essentiam; *genericam,* quae partem essentiae determinabilem; et *differentialem,* quae partem essentiae determinantem repraesentat, vocarunt (2).

---

(1) Si pro genere supremo statuatur *substantia*, quia haec potest esse corporea vel incorporea, *corpus* vero animatum vel inanimatum, et rursus, quia corpus animatum seu vivens potest esse sensitivum vel insensitivum seu mere vegetans; corpus autem animatum seu vivens sensitivum est *animal*, quod ulterius in duas species, scilicet animal rationale et irrationale distribuitur; cumque animal rationale seu *homo* non transeat ulterius in aliud genus, hinc genus supremum relate ad ideam specificam *homo*, est *substantia*; genera media sunt *corpus, vivens*; genus ultimum vel proximum *animal*, quia et aliud infra se non habet, et individuum speciei *homo* e. g. Petrus non nisi ad *animal*, dicendo: *Petrus est animal rationale*, immediate reducitur. Porro quia quodvis genus medium est species relate ad aliud ipso superius, et genus relate ad inferius, hinc patet diversitas differentiae genericae et specificae earumque usus et vera significatio.

(2) Definitiones istae exemplo allato in superiori nota satis declarantur; nam revera idea generica *animal*, id est sentiens et vivens, exhibet relate ad hominem partem essentiae determinabilem, cum sensus et vita sint etiam in brutis, sed *divisim* et non *identice*; qua-

Tribus hisce UNIVERSALIBUS si addas *attributum* sive proprietatem aliqnam universalem ab essentia entium dimanantem ut est capacitas discendi in hominibus; et *accidens* sive proprietatem illam communem, quae salva natura entis potest esse vel abesse, e. g. albedo in homine vel in muro, habebis QUINQUE UNIVERSALIA, quae ab antiquis philosophis a TRANSCENDENTALIBUS NOTIONIBUS *ens, res, verum, bonum, aliquid, unum* apprime distinguebantur (1). Ideae universales propter singularem earum unitatem nihil habent commune cum ideis *complexis* vel *collectivis,* ut e. g. ideis *exercitus, mundi,* etc. uti patebit inferius, ex dicendis de earum natura.

3. Aliquas tantum ideas universales mens sibi cudit ope reflexionis et abstractionis ex ideis singularibus objectorum, quae cnm proprietates quasdam contineant alias similes, dissimiles alias, fundamentum animo praebent has negligendi, illas per modum unius considerandi; atque haec est genesis quarumdam idearum

---

tenus enim sunt in brutis non sunt in homine, et vicissim: unda etiam differentia *rationalitas* exprimit partem essentiae determinantem, quia addita ad *animal*, vitam et sensum coarctat ad solam naturam humanam; hinc exurgit species *homo* complectens totam hominis essentiam, seu id, per quod homo est hoc et non aliud, et ab omni alio distinguitur. Quia porro nedum differentia *rationalitas*, sed etiam species *animal rationale*, seu tota hominis essentia, est aliquid commune quidem singulis individuis humanis, at non identice sed divisim, cum rationalitas aeque ac humanitas quatenus est e. g. Petri, non est Joannis et vicissim, hinc ideae istae differentiae et speciei, non secus ac illa generis, sunt revera universales. Ex his forte posset inferri, definitiones has praehabendas esse superioribus, etiam relate ad definitionem *ideae* simpliciter *universalis*, eique posse substitui sequentem, scilicet quod exhibeat *notam vel notas aptas inesse multis, et praedicari de multis divisim*; nam revera per hoc tantum idea universalis differt ab ideis, e. g. *complexa* mundi, et *collectiva* familiae, exercitus, etc. quae quidem exhibent aliquid *pluribus commune*, at non *divisim* sed *identice*. Similiter admissa hac ideae universalis definitione, corruit per se error quorumdam heterodoxorum spectantium divinam naturam tamquam *quid universale*, ex eo quod sit communis tribus divinis personis et de ipsis praedicetur; non enim est communis aut praedicatur de singulis personis *divisim* sed *identice*, unde divina natura est etiam *numerice* eadem. Atque postrema haec animadversio monebit philosophum catholicum, quantopere intersit quasdam philosophicas notiones accurate determinare.

(1) *Transcendentalia* vocantur quae transcendunt omne genus, et idcirco proprie definiri non possunt, eo quod definitio fiat per genus proximum et differentiam ultimam.

universalium: non enim omnis idea universalis, uti vellent Lokiani est abstracta, sicut nec omnis abstracta est universalis (1). In ideis universalibus sedulo advertenda est *comprehensio*, quae respicit pluralitatem notarum, et *extensio*, quae respicit pluralitatem objectorum, earumque mutua augmenti vel decrementi relatio, quae semper est in *ratione inversa*.

Quod nullam habet realitatem, nequit per se esse objectum ideae nostrae: hinc negationes vel privationes, e. g. *nihilum*, *caecitatem*, etc. per aliud percipimus; in quo tamen apprime distinguenda est acceptio ideae *subjectiva* et *objectiva*, ne scilicet simpliciter tanquam verum dicatur, *nihili nullam haberi ideam*; secus foret vox absque significatione.

Aliae etiam sunt idearum divisiones, scilicet in *simplices*, quae objectum simplex, vel per unam tantum notam exhibent, et in *compositas*; in *absolutas*, quae non inducunt mentem in cognitionem alicujus alterius rei, et in *relativas*; in *imaginarias*, quae repraesentant objectum absens ac si esset praesens, et in *chimaericas*, quae circa aliquid impossibile versantur, et a *fictitiis* distinguuntur (2). Tandem in *adventitias*,

(1) Hic non negamus omnem ideam universalem esse abstractam; quasi scilicet non esset illa, quae exhibet *formam* seu proprietates aliquas sine subjecto; sed occurrimus duntaxat doctrinae Sensistarum generatim statuentium, omnem ideam universalem esse abstractam, id est, per abstractionem a rebus vel ideis sensilibus efformatam; quod generatim acceptum falsum esse, in Psychologia probabimus. Pariter cum abstrahendo, nedum proprietatem a subjecto, e. g. albedinem a muro, sed etiam partem a toto, e. g. caput a reliquo corpore, illud velut quid separatum possimus apprehendere, et cum caput ita consideratum adhuc remaneat objectum singulare ac determinatum, hinc idea tale objectum exhibens, licet sit ope abstractionis efformata, non est tamen universalis.

(2) Juxta expositam idearum partitionem conceptus sive idea per quam apprehendimus e. g. animam humanam deberet dici *simplex* ratione objecti physice indivisibilis, *composita* vero ratione pluralitatis facultatum quas anima involvit. idea autem *puncti* mathematici, quod est limes longitudinis, dicenda est simplex et ratione objecti, et notarum; sicut e contra, idea alicujus corporis determinati puta auri, sub utraque ratione est composita. Idea e. g. hominis, mundi etc. est *absoluta*, Patris autem, contingentis etc. est *relativa*. Si tibi in mente sistas imaginem amici longe absentis, habebis ideam *imaginariam*, quod si coneris apprehendere montem e. g. sine valle, aut hominem sine rationalitate, etc. haberes ideam *chimaericam*, quae a figmentis poëtarum e. g. illo Horatii. Art. Poëticae. *Humano capiti cervicem pictor equinam Iungere si velit*, sive ab idea *fictitia* multum differt.

factitias, et *ingenitas*, quarum primae sunt fere eaedem ac sensiles, quatenus concipiuntur in animum velut ab extrinseco advenientes; secundae sunt omnes aliae ideae quae ex praecedentibus aliisque ab animo efformantur: denique ingenitae illae forent, si quas Deus in ipsa origine animi, instar quarumdam formarum, eidem impressisset.

§. II.

De signis idearum, seu vocibus.

4. Signum est illud, *quo noto aliud cognoscimus*. Relatio inter rem significatam et signum potest esse naturalis vel arbitraria; unde etiam signum *naturale* vel *arbitrarium*. Sic fumus ignem naturaliter, fasces apud Romanos dignitatem consularem arbitrarie indicabant. Vox, sive *sonus articulatus completus ab homine prolatus*, ex communi usu internos animi nostri conceptus aliis manifestat; unde voces sunt idearum signa, et quidem arbitraria, ut patet etiam ex diversitate linguarum. Sola itaque facultas sonos articulatos proferendi, est homini naturalis; quae tamen videtur prorsus sufficere non posse, ut homines linguam aliquam sibi efforment, quin prius sonos articulatos sive voces saltem aliquas audiant (1). Condillac cum pluribus aliis oppositam doctrinam sustinet; de hac re plura indicabimus in Psychologia. Vox articulata ideam exprimens, non autem merus naturalis sonus e. g. gemitus, *terminus* dicitur.

Terminorum tot sunt fere diversae classes, quot idearum. Terminus enim e. g. exhibens ideam concretam vel abstractam, eamdem ac ipsae appellationem habet. Hae insuper addantur: terminus *positivus* aliquid reale, e. g. *ens*; *privativus* defectum illius quod esse debebat, denotat, e. g. *surdus, mutus*; *negativus* vero incapacitatem naturalem ad aliquid exprimit, e. g. *irrationalitas in bruto*.

Univocus eamdem constanter ideam refert: *aequivocus* ad diversa significanda inservit, idque vel casu et ex conventione; vel propter aliquam proportionis aut attributionis relationem,

(1) Vide Cl. De Bonald *Législation primitive*, liv. 1, chap. 1, et *Recherches philosophiques*, tom. 1, chap. 2.

et in hoc postremo casu dicitur *analogus* vel *metaphoricus*, e. g. *pes*, *sanitas*, etc. Adverte, in sermone civili vel scientifico, ne justitiae jura laedantur, terminos eo sensu accipi debere, quem ipsis consensus nationum vel doctorum tribuit.

§. III.

De definitione et divisione.

5. Rerum et nominum explicationi inservit definitio; ideas vero claras efformamus, res per partes examinando: hinc liquet cur utriusque notiones superiori doctrinae adjungamus.

Brevis et clara rei vel nominis explicatio, definitionem constituit, quae, ut ait Tullius, *est oratio, quae, quid sit id de quo agitur, ostendit quam brevissime*: alia igitur est definitio *rei*, alia *nominis*. Nominis definitione utimur, quando propter aequivocationem periculum erroris in auditoribus vel lectoribus subest. Rei et nominis definitio fieri plerumque nec potest nec debet, vel propter nimiam claritatem, vel rerum naturae ignorantiam. Rem vel per essentiales proprietates explicamus, vel per eas, quas indiscriminatim in ea cognoscimus; si hoc, definitio duntaxat erit *descriptiva*, nullasque fere regulas postulat; si primum, erit *essentialis*, et ut sit recta, quibusdam subjicitur regulis.

I. *Fiat per genus proximum et differentiam ultimam.* Etenim essentiam et naturam rei explicare debet; essentia autem rei alicujus per haec duo determinatur; ergo et definitio essentialis: sic recte dices: *Homo est animal rationale*; non item: *Homo est vivens rationale*, vel: *Animal rationale mortale.*

II. *Fiat nec angustior nec latior definito*: secus in utroque casu non erit convertibilis cum definito. Has duas regulas servando, servabimus tertiam et quartam, nempe fiet *clarior definito, omni et soli conveniet definito.*

6. Distributio alicujus *totius* vel compositi in partes, dicitur *divisio*. *Totum* sive compositum vel *metaphysicum* est, ut comprehensio ideae; vel *physicum*, ut domus; vel *morale*, ut superior cum subditis. Ut divisio utilis et recta evadat, haec sunt servanda.

Sit I. *Adaequata*, hoc est, membra divisa aequent totum. II. *Unum membrum alterum non includat*: sic non

Digitized by Google

recte divideres hominem, in animam, corpus et pedem. III. *Sint membra immediata*, sive ita disposita, ut prius recenseantur generaliora, deinde si opus fuerit, fiat subdivisio in minus generalia. Dicimus *si opus fuerit* : etenim similem confusionem parit nimia ac nulla divisio eorum, quae in considerationem summuntur.

ARTICULUS II.

DE ALTERA MENTIS OPERATIONE, SEU JUDICIO.

7. Judicamus dum facta duarum aut plurium idearum consideratione, quae conveniunt conjungimus, quae discrepant separamus; unde judicium est *actus mentis idearum convenientiam vel pugnam percipientis*; seu melius, *actus mentis duas aut plures ideas ut convenientes vel ut repugnantes apprehendentis.* Actus iste mentis, e. g. *Deus est justus*, verbis expressus dicitur *propositio*, seu expressio judicii; ejus elementa sunt *subjectum*, sive terminus exprimens ideam, de qua aliquid enunciatur, et *praedicatum*, sive terminus exprimens illud, quod subjecto tribuitur, vel ab eo removetur, denique verbum *est* copulans seu conjungens, vel *non est* separans praedicatum a subjecto.

§. I.

De judicii et propositionis natura.

8. Judicium est simplicissimus mentis actus; licet enim fieri nequeat absque duabus saltem ideis, earum ad invicem comparatione, et relationis convenientiae vel pugnae inquisitione; tamen haec non sunt nisi requisita, et actus ipse, quo apprehenditur praedicatum ut conveniens, vel ut repugnans subjecto, consistit in simplicissimo intuitu *est* vel *non est*. Hinc patet in quo differat judicium ab idea vel perceptione, sive haec fuerit simplex, sive composita et complexa; etenim aliud est apprehendere e. g. murum et albedinem, murum album; aliud vero murum ut album, murum ut non album; in primo casu mens non habet respectum ad relationem duorum vel plurium, sed ad unitatem apprehensionis; in altero autem, ipsa haec relatio conve-

nientiae vel non convenientiae duorum ut talium, unitatem actus constituit; quod quidem manifestam ponit operationis seu actus diversitatem, licet explicitam mentionem affirmationis vel negationis (quae potius ad extrinsecam judicii manifestationem, quam ad mentis verbum pertinent) non faciat. Similiter haec definitio judicii ab *annutu* sive *assensu* et *dissensu* mentis praescindit, ut diversitatem tendentiae intellectus in verum, a tendentia voluntatis in bonum tueatur; at enim hujusmodi assensus vel dissensus, non videtur ad judicii formaliter et elicitive spectati naturam pertinere, sed potius esse duntaxat consequens certitudinem judicii, vel imperium voluntatis, quae plurimum in nostra judicia influit: secus neque possent dari judicia, quae a malevolis hominibus propter rationes cognitas ut apparentes, feruntur. Similiter quod in judiciis temerariis ad culpam imputatur, est assensus voluntatis, non vero intellectus, qui est potentia necessaria (1).

---

(1) Haec quae circa judicii naturam advertimus, respiciunt varias judicii definitiones passim adhiberi solitas. Sic quia judicia nostra non manifestamus ad extra, nisi per propositionem aut affirmativam aut negativam, nonnulli in ipsam judicii definitionem hanc affirmationem aut negationem transferunt, dicendo quod sit *actus mentis, quo ideas per affirmationem conjungimus, vel per negationem separamus*; alii, quod sit velut decretum mentis circa convenientiam aut disconvenientiam idearum; ceteri demum addunt annutum seu assensum et dissensum mentis eidem convenientiae aut repugnantiae idearum praestitum; quae omnia nequeunt componi cum intrinseco facultatis volendi et intelligendi discrimine sito in eo, quod intellectus tendat in verum per intuitum et contemplationem, voluntas vero in bonum per prosecutionem et assensum; confunduntque judicium pro secunda mentis operatione acceptum, cum judicio seu sententia alicujus judicis aut tribunalis decernentis; nec non assensum seu firmam mentis adhaesionem certitudini alicujus judicii, cum ipso actu judicii et cum assensu voluntatis in bonum, ac dependentia quorumdam judiciorum a voluntatis imperio: in hoc postremum revera incidit Storchenau, *Log.* I. parte, ubi agit de judicio. Diversas hujus vocis *judicium* acceptiones clare exponit Dugald Stewart *Philos. de l'esprit humain*, t. III, in notionibus praeviis. Porro, ex eo quod definiamus judicium non per quamvis mentis apprehensionem, sed per apprehensionem duarum aut plurium idearum ut convenientium vel ut repugnantium, patet 1° hoc nihil commune habere cum sententia Lokii, fortassis judicium cum idea confundentis, sicut in eum animadvertit Storchenau; 2° posse etiam in nostra sententia reddi rationem cur aliqua judicia temere et inconsiderate fieri dicantur; scilicet ex defectu debitae attentionis et reflexionis ad detegendam veram idearum convenientiam vel repugnantiam.

Quando praedicatum removetur a subjecto, judicium et propositio est negativa; sed quaeritur an detur revera judicium negativum? Si judicium subjective consideretur, non est negativum quia mens ideas separando positive agit, relate autem ad ideas quae separantur, sive objective, dicitur et est actu quid negativum.

Sicut judicio ita et propositioni convenit ut possit esse vera vel falsa. Utrumque verum erit, si subjectum ita se habeat sicut enunciat praedicatum. Erit absolute verum, cum nec per omnipotentiam divinam aliter fieri possit, idque accidit praesertim dum praedicatum est essentiale, e. g. *Totum est majus sua parte*; hypothetice autem verum erit, si agatur de praedicato contingenti, e. g. *Mundus existit; Petrus non mentitur.*

§ II.

Diversae propositionum classes et proprietates exponuntur.

Quaelibet propositio est necessario *affirmativa* vel *negativa ; simplex* vel *composita ; universalis , particularis* vel *singularis :* atque haec divisio propositionum dici solet ratione *qualitatis, materiae* et *quantitatis.*

9. Quid sit propositio affirmativa ex n.° 8 colligitur. In affirmativa praedicatum tribuitur subjecto juxta totam suam comprehensionem, et partem tantum extensionis, quando nempe haec major est extensione subjecti; secus propositio non esset vera, e. g. *Avari sunt damnati.* In negativa praedicatum removetur a subjecto juxta totam suam extensionem, e. g. *Homo non est brutum ,* id est ullum brutum ; et juxta totalitatem ideae ejusdem praedicati, scilicet non removetur sensus aut vita, quae in casu constituunt comprehensionem praedicati *brutum ,* sed totalitas ideae, seu, ut ita dicam, brutalitas consistens in sensu et vita , ad exclusionem rationalitatis.

10. Simplicitas vel compositio propositionum desumitur ex unitate aut pluralitate subjecti vel praedicati quoad rem, non vero quoad sonum et multitudinem verborum; e. g. propositiones, *Petrus est doctus, Qui amat virtutem est Deo acceptus ,* sunt simplices; e contra erunt compositae, *Petrus et Paulus sunt docti, Petrus aut est doctus aut pius.* Compositae propositiones in simplices plerumque possunt resolvi, ideoque pro earum veritate vel falsitate, ea quae supra monuimus observanda sunt.

Digitized by Google

Ad propositiones compositas pertinent *copulativae, disjunctivae, conditionales, exceptivae, comparativae* et *complexae;* hae tamen postremae peculiari quadam praerogativa gaudent; cum enim coalescant ex una propositione *principali* et altera *incidenti,* incidens poterit quandoque in veritatem principalis influere, non tamen semper.

11. Extensio subjecti ad plura vel panciora individua significanda, determinat *quantitatem* propositionis. Subjectum nullam extensionem habens, seu unicum individuum determinate significans, constituit propositionem *singularem;* aliquot vel aliqua individua indeterminate includens efficit *particularem,* e. g. *aliquis,* vel *aliqui homines;* demum ad omnia individua alicujus generis vel speciei sese porrigens reddit *universalem,* e. g. *Omnes homines sunt rationales.* Adverte, particulas *aliquis, omnis,* etc. non semper afficere subjectum, et tunc de quantitate propositionum judicandum erit ex natura praedicati, et ex subjecta materia; si praedicatum fuerit essentiale subjecto, omnia inferiora ejus complectetur, et propositio erit semper universalis; si autem accidentale, propositio poterit esse vel non esse universalis. Haec postrema universalitas dicitur quandoque *moralis.* Subjectum plerumque supponit etiam pro *generibus singulorum,* vel *pro singulis generum, distributive* vel *collective,* ut patebit exemplis (1). Atque hinc colliges, quid veniat in scholis per *suppositionem termini* alicujus in propositione.

---

(1) Primae classis exempla possunt esse ista: *Homines sunt rationales, Europaei sunt albi,* vel *sunt divites*; quia itaque praedicatum *rationales* est essentiale subjecto *homines,* hoc sumitur secundum totam suam extensionem, seu supponit pro omnibus prorsus individuis humanis, et proinde subintelligi debet particula *omnes*; ex subjecta materia constat *esse albos* convenire omnibus Europaeis, et *esse divites* non omnibus; ergo subjectum *Europaei* in primo casu, licet praedicatum sit accidentale, sumitur universaliter et subintelligitur particula *omnes*; in altero vero casu tantum particula *aliqui* vel *plures* subintelligi potest. Secundae classis exempla haec sunto: *Omnes homines sunt mendaces, Omnes quae sua sunt quaerunt,* etc.; universalitas istarum propositionum est *moralis,* quatenus quod enunciatur, ut plurimum, seu communiter fieri solet, non autem semper et ab omnibus metaphysica universalitate. Tertiae classis exempla sint; in hac propositione, *Omne animal fuit in arca Noë,* subjectum *omne animal* supponit tantum pro generibus singulorum, scilicet ex quovis genere animal aliquod fuisse in arca; et in ista, *Omne animal est mortale,* subjectum supponit pro *singulis generum,* seu pro omnibus individuis omnium

§ III.

Oppositio propositionum.

12. Oppositio est pugna duarum propositionum idem subjectum et praedicatum habentium. Ejus usus maximus est in disputationibus. Vera oppositio duo requirit: I. ut sit identitas subjecti et praedicati in utraque oppositarum. II. Ut una destruat quod altera affirmat; ubi alterutrum defuerit, nulla oppositio habetur. Hinc patet cur propositiones universales et particulares non mutata qualitate vel particulares ad invicem, seu ut vocant, subalternae et subcontrariae, non sint revera oppositae(1). Porro ut hujusmodi denominationes propositionum, earumque usus, etiam in inferius dicendis necessarius, melius intelligatur, considerandum est schema illud, quo solebant scholastici sensibili ratione hanc oppositionem propositionum exhibere, scilicet scribendo universalem et

---

generum; sunt namque singula individua mortalia. Quia vero singulis his individuis seorsim etiam spectatis seu *distributive*, convenit mortalitas, hinc idem subjectum *omne animal* sumitur quoque, seu supponit pro singulis *distributive*: e contra in hac propositione: *Apostoli sunt duodecim*, subjectum *Apostoli* nonnisi pro collectione eorum seu *collective* supponere potest.

(1) Subalternae propositiones, quae juxta schema mox indicandum altera sub altera jacent, suntque diversae quantitatis, vel ambae affirmantes sunt e g. *Omnis homo est rationalis*. *Aliquis homo est rationalis*; vel ambae negantes e. g. *Nullus homo est brutum*, *Aliquis homo non est brutum*; in utroque casu, quia propositiones particulares sunt ejusdem qualitatis, id est, aeque affirmativae et negativae ac earum universales, jam in his praecontinentur, neque proinde per unam negatur seu destruitur quod altera affirmat seu ponit, ideoque deest secunda verae oppositionis conditio; nisi forte illae propositiones particulares sumerentur sensu restrictivo, subintelligendo videlicet particulam *tantum*; at tunc idem esset ac mutare earum qualitatem et hoc ipso desinerent esse subalternae. Subcontrariae, quae juxta dictum schema propositionibus contrariis subjiciuntur, sunt ambae particulares diversae qualitatis e. g. *Aliquis homo est doctus*, *Aliquis homo non est doctus*; in his licet una neget quod altera affirmat, tamen deest identitas subjecti; *aliquis* enim et *aliquis homo*, utpote termini indeterminati supponunt pro diversis hominibus et si pro uno eodemque supponerent, jam propositiones istae evaderent singulares; deest itaque in bis prima verae oppositionis conditio, scilicet formalis identitas subjecti.

Digitized by Google

particularem affirmantem alteram sub altera ad latus sinistrum, et e regione earum universalem et particularem negantem simili ratione. Vocabant insuper universalem affirmantem A, negantem E, particularem affirmantem I, negantem O.

Quando una oppositarum tantum negat, quantum sufficit ad alteram falsam reddendam, dicuntur *contradictoriae* e. g. *nullus homo est rationalis : aliquis homo est rationalis:* vel *omnis homo est rationalis, aliquis homo non est rationalis.* Quod si una plus neget quam opus sit ad alteram falsam reddendam, dicuntur *contrariae* e. g. *omnis homo est rationalis, nullus homo est rationalis.* Contradictio et contrarietas est semper mutua (1). Porro communiter dicuntur contrariae fieri propositiones mutando solam qualitatem, contradictoriae vero mutando insuper quantitatem; sed regula certior, quinimo certissima cognoscendi utrum sint contrariae vel contradictoriae, est illa superius indicata.

Propositiones contradictoriae hac proprietate gaudent, ut nunquam ambae possint simul esse verae vel falsae; et ratio est, quia in exemplo superiori, universalis negans ab omnibus individuis subjecti excludit rationalitatem, particularis affirmans uni eorum tribuit; ergo si ambae forent simul verae vel falsae, unum idemque individuum foret simul rationale et non rationale, quod intrinsece repugnat. Idem dicatur de altero exemplo. Hinc fluit, quod in contradictoriis ex veritate unius recte inferatur falsitas alterius et vice versa.

Contrariae propositiones nunquam pariter possunt simul esse verae ob eamdem repugnantiam quae sequeretur; poterunt tamen quandoque esse simul falsae, quando nempe praedicatum non est de essentia subjecti; sic superius allatae, neque falsae unquam poterunt simul esse, cum praedicatum *rationalitas* sit de essentia subjecti; at istae, *omnis homo est mendax, nullus homo est mendax,* poterunt simul esse falsae.

---

(1) Per se videtur esse manifestum quod dicimus; nam in exemplis allatis, in contradictoriis aeque universalis propositio destruit veritatem propositionis particularis, quam haec illius; sive tandem universalis sive particularis supponatur esse negativa: ita ut verissime dicatur, universali affirmativae per particularem negantem: et huic per illam contradici. Similiter in contrariis.

13. Singularis propositio universali opponitur contrarie, non vero contradictorie, cum et una plus neget quam sit opus ad alterius falsitatem, et ambae possint simul esse falsae in materia contingenti; quae praerogativae competunt tantum contrariis, sicut accidit in hac oppositione, *omnis homo est doctus, Petrus non est doctus*. Et sane propositiones istae, spectata prima regula, quia qualitate et quantitate differunt, deberent esse *contradictoriae* et tamen sunt *contrariae*, idque facile colligitur ex regula altera a nobis superius laudata; nam singularis propositio, *Petrus non est doctus*, propter omnimodam subjecti determinationem, plus negat quam opus est ad illius universalis falsitatem; sufficit enim dicere *aliquis homo non est doctus*, quod certe est in se quid minus, ac proinde sufficiens. Cum vero, facta hypothesi quod haec tantum particularis esset vera, ambae illae, universalis scilicet et singularis, *simul* falsae esse possent, idque tantum proprium sit propositionibus contrariis in quibus praedicatum est contingens sicut in casu evenit; hinc rursus confirmatur illas propositiones esse contrarias non vero contradictorias. Atque inde patet 1° cur philosophi quoad valorem oppositionis singularem propositionem sumant pro universali, sicut et in syllogismis medium terminum singularem pro universali, spectant; 2° regulam discernendi quandonam sit contradictio vel contrarietas, a nobis laudatam, praeferendam esse illi, quae communiter tradi solet (1).

Propositionibus etiam compositis oppositas efformare frequenter tenemur; ut autem recte fiant, negatio ita erit aptanda, ut singulas subjecti aut praedicati partes eorumque modos, causas, etc. afficiat, utque praesertim generalis regula oppositionis locum habeat. Plura demum praxis magistra docebit.

---

(1) Id ipsum ulterius confirmatur exemplo propositionum singularium e. g. *Petrus est prudens*, *Petrus non est prudens*; vel *hoc ferrum est calidum*, *hoc ferrum non est calidum*; in quibus, ut patet, non est mutata quantitas sed sola dumtaxat qualitas, et tamen sunt revera contradictoriae, non autem contrariae; idque eruitur ex eo quod alterutra earum neget dumtaxat tantum, quantum necesse est ad suam oppositam reddendam falsam; nec certe poteris ex ipsis contrarias aliter efficere, quam dicendo e. g. *Petrus est imprudens*, *hoc ferrum est frigidum*; id est, aequivalenter plus negando, quam sit opus ad earum oppositas constituendas falsas.

Foret nunc dicendum de *conversione* et *aequipollentia* propositionum verum ne multitudine rerum obruamur, haec pauca sufficient. Conversio fit per mutationem subjecti in praedicatum et praedicati in subjectum, quin desit propositionis veritas; idque eveniet, simpliciter, non mutata, vel per accidens, mutata propositionis quantitate. Æquipollentia habetur reducendo propositiones oppositas per particulam *non* ad eumdem sensum: idque fiet, in contradictoriis, praefigendo *non* alterutrius subjecto; in contrariis alterutrius copulae. Usus utriusque operationis ad fallacias propositionum detegendas ordinatur. Qui plura cupit, consulat Fortunatum a Brixia (1).

ARTICULUS III.

DE TERTIA MENTIS OPERATIONE.

14. Quando mens duas e. g. ideas conferendo, earum convenientiam vel pugnam non intuetur, veritatis cognoscendae cupida quaerit aliam tertiam ideam, quae cum praecedentibus nexum quemdam habeat, et utramque alternis vicibus cum ista comparando duo judicia efformat, ex quibus deinde tertium consequitur judicium, quo de duarum praecedentium idearum pugna vel convenientia pronunciat, atque sic ratiocinatur; unde ratiocinium definiri solet: *Mentis operatio, qua unum judicium ex aliis infertur, propter ejus cum illis connexionem.* Unde, sicut judicium involvit intuitum convenientiae vel pugnae duarum idearum, ita ratiocinium formaliter consistit in intuitu convenientiae seu nexus tertii judicii cum duobus praecedentibus seu consequentis cum antecedente. Ratiocinium extrinsecus per terminos et propositiones manifestatum, generice *argumentatio;* et si fuerit completa, minus generice *syllogismus* dicitur: unde argumentatio et syllogismus non est aliud quam expressio ratiocinii, sicut propositio est expressio judicii. De ratiocinii et syllogismi natura, de principiis quibus innititur, nec non de diversis aliis, quae cum his relationem habent in praesenti articulo agemus.

---

(1) *Philosoph. mentis* tom. 1, log. part. 2, sect. 5.

Digitized by Google

§ 1.

De ratiocinii et syllogismi natura, et de principiis fundamentalibus utriusque.

15. Ex nuper exposita ratiocinii genesi patet, elementa seu materiam ratiocinii esse tres ideas, totidemque judicia ex ipsis efformata; syllogismi autem tres terminos tribus ideis et tres propositiones tribus judiciis respondentes. Verum claritatis gratia et ut singularum partium denominationes innotescant, sit exemplum; inquirat nempe animus utrum *Deus* sit *amandus;* posito quod immediate non videat utriusque ideae relationem, assumit tertiam e. g. *summum bonum*, et praecedentes cum ista comparando, duo efformat judicia: *summum bonum est amandum*; *Deus est summum bonum;* hinc tertium infert judicium: *ergo Deus est amandus*. Quod si Deo non competeret *esse summum bonum*, vel summo bono *esse amandum*, primum aut secundum judicium seu propositio negative enuncianda foret et in tertio judicio et propositione defectum convenientiae exprimendo, *ergo Deus non est amandus,* haberetur ratiocinium et syllogismus negativus.

In allato exemplo ideae et termini, *Deus, amandus,* constituunt statum quaestionis et dicuntur *extrema*, subjectum *Deus* extremum *minus,* praedicatum seu *amandus* extremum *majus* vocatur; *summum bonum* est idea vel terminus *medius*. Duo prima judicia vel propositiones dicuntur *antecedens* ratiocinii vel *praemissae* syllogismi: propositio quae primo loco ponitur, vel in qua invenitur majus extremum cum medio termino, dicitur *major,* altera vero *minor*. Tertium judicium vel propositio, quae ex praemissis aut antecedente infertur, vocatur *consequens* vel *conclusio* ratiocinii aut syllogismi. Nexus porro antecedentis cum consequente vel praemissarum cum conclusione, vi cujus extrema convenire vel repugnare enunciantur, *forma* ratiocinii aut syllogismi, vel etiam *consequentia* nuncupatur. Consequentia itaque summopere differt a consequente.

Ex hac ratiocinii et syllogismi expositione, luculentissime apparet in utriusque constructione, quamlibet ideam sive terminum bis repeti, cum hoc tamen discrimine, quod medius terminus bis sumatur in praemissis ad duplicem comparationem instituendam,

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE

Digitized by Google

extrema autem semel in praemissis, et semel in consequente seu in conclusione ponuntur.

16. In ratiociniis et syllogismis affirmativis instituendis mens utitur semper *principio* quod vocant *identitatis*, nempe: *quae sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se:* ideo enim in hoc syllogismo, *quod est compositum est divisibile; atqui materia est composita; ergo materia est divisibilis*; divisibilitatem materiae tribuimus in consequente, quia *materia* et *divisibilitas*, duo extrema, conveniunt cum eodem medio, scilicet *compositum*. In ratiociniis negativis respectus habetur ad *principium discrepantiae*, nimirum: *quorum unum discrepat ab uno tertio, cum quo alterum convenit, discrepant inter se;* sic dicendo, *animus cogitat; atqui materia non cogitat; ergo animus non est materia;* in conclusione infertur discrepantia animi a materia, quia animo convenit cogitatio, repugnat vero materiae, quae est alterum extremum.

Duo haec principia facile reducuntur ad principium contradictionis, *idem non potest simul esse et non esse;* nam posita convenientia duorum extremorum cum medio in praemissis, si in conclusione non esset enuncianda convenientia ad invicem, extrema simul convenirent et non convenirent, quod repugnat. Idem dicatur de principio discrepantiae. Hinc recte dici potest quod fundamentale principium ratiocinii et syllogismi, a quo nexus seu forma utriusque dependet, sit ipsum contradictionis principium; ac proinde, sicut absolute repugnat istud falsum esse, ita repugnabit conclusioni legitime deductae falsitatem subesse.

Observa, in conclusione eam semper inferri relationem identitatis vel discrepantiae quae in praemissis detegitur; non est itaque necesse, ut extrema inter se semper adaequate conveniant vel discrepent, sed tantum sub eo respectu sub quo discrepant vel conveniunt cum medio termino.

17. A legitima istorum principiorum applicatione pendet, ut diximus, consequentis cum antecedente nexus seu forma, qui nexus si adfuerit, ratiocinium erit *formaliter verum,* secus *formaliter falsum.* Materialis autem veritas desumitur ex judiciis vel propositionibus in se spectatis: hinc si aliquod judicium vel propositio falsa fuerit, ratiocinium vel syllogismus materiali veritate carebit.

In disputationibus propositio falsa negatur, dubia distinguitur, vera conceditur: consequentia tamen nunquam distinguitur,

Digitized by Google

quia nec est propositio, nec dubia esse potest; non ita tamen consequens. Judicium vel propositionem aliquam esse materialiter veram aut falsam, ex rei natura et ex diversis fontibus veritatis colligitur. Formalis ratiocinii et syllogismi veritas, praeter dicta superius, innotescit ex regulis quae tradi solent.

§ 2.

Regulae pro formali veritate syllogismi dignoscenda.

18. Recentiores post Arnaldum unicam tantum regulam statuerunt, dicendo syllogismi conclusionem semper legitimam fore, quotiescumque una praemissarum eam continet, altera declarat esse contentam; tunc enim nihil invenietur in conclusione quod non fuerit in praemissis. Verissimum sane, ut patebit etiam quibusdam exemplis, sed hoc ipsum quaeritur, quomodo constet mihi conclusionem in praemissis esse contentam; pluribus insuper casibus regula haec saltem difficile applicatur, postulatque magnam praxim ratiocinia conficiendi. Idem esto judicium de altera regula quae solet tradi, scilicet convertendi syllogismum in propositionem causalem (1). Hinc puto recedendum non esse a re-

(1) In syllogismis valde complexis inspicere, utrum conclusio contineatur in praemissis, non est adeo facile, supponitque jam recte ratiocinandi exercitium. Sic in syllogismo, *omnis homo est rationalis; atqui Petrus est homo; ergo est rationalis;* cum in majori rationalitas enuncietur de omnibus hominibus, comprehendit etiam Petrum; minor declarat Petrum revera esse unum ex individuis humanis, ideoque declarat implicite etiam ipsi competere rationalitatem, quod explicite enunciat conclusio; forte haud difficile istud deprehendes: at in syllogismo ubi ambae praemissae forent singulares vel universales, quarum neutra conclusionem, utpote ejusdem extensionis, praecontinere valet e. g. *Maria est mater Christi; atqui Christus est Deus; ergo Maria est mater Dei;* nonnisi cum magna difficultate, et adhibita tantum quadam expositione, regula haec locum habere potest. Simile quid deprehendes in agnoscendo nexu inter propositionem principalem et ejus caussam, si mox expositos syllogismos convertas in propositiones causales, dicendo: 1° *Petrus est rationalis, quia Petrus est homo, et omnis homo est rationalis;* 2° *Maria est mater Dei, quia Maria est mater Christi, et Christus est Deus.* Circa originem artificiosae syllogismorum expositionis, regularumque quibus subjiciuntur, videri potest Dugald Stewartius *Philos. de l' Esprit hum.* t. III. ch. 3. sect. 3.

Digitized by Google

gulis consuetis, quae memoriae juvandae gratia his licet incomptis versibus comprehenduntur, quarum quatuor syllogismi terminos, reliquae propositiones respiciunt.

Tum re tum sensu triplex modo terminus esto.
Quantum praemissae, referat conclusio tantum.
Aut semel aut iterum medius generaliter esto.
Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.
Includat mediam nunquam conclusio oportet.
Pejorem sequitur semper conclusio partem.
Utraque si praemissa negat, nihil inde sequetur.
Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.

19. Prima regula tres tantum postulat terminos in syllogismo tam explicite quam implicite; ratio est, quia natura syllogismi requirit (n° 15) ut quilibet terminus bis repetatur; si fuerint explicite quatuor, nequeunt bis repeti; si vero implicite, terminus duplicem continens sensum aequivalet duobus explicitis, et comparatio non fit cum eodem vel sub eodem respectu.

Regula II, III et IV, idem vitium quod prima, nempe quatuor terminos, arcent a syllogismo. Sic dicendo, *Patientia est virtus; atqui pietas non est patientia; ergo pietas non est virtus*; vox *virtus* in conclusione universaliter sumitur, in majori particulariter: ergo in diverso sensu, ergo quatuor termini, et conclusio latius patet quam praemissae, quod vetat regula II.

Similiter si dicas, *Modestia est laudabilis; atqui doctrina est laudabilis; ergo doctrina est modestia*: medius terminus in praemissis bis particulariter accipitur, quod est contra regulam III; at particulariter bis acceptus duplicem sensum habet; et sunt quatuor termini. Excipe casum medii termini singularis, nam tunc nisi propter aequivocationem, duplicem sensum habere nequit; hinc omnes syllogismi medium terminum singularem habentes recte concludunt, quia medius terminus singularis aequivalet universali.

Utramque praemissam non posse esse particularem regula IV docet; sic non recte diceres, *aliqui homines sunt rationales; aliqui rationales non sunt animal; ergo aliqui homines non sunt animal*; in hoc enim et similibus syllogismis medius terminus bis particulariter, vel unum extremum

Digitized by Google

latius in conclusione accipietur ; ergo duplex sensus, ergo quatuor termini.

Relatio extremorum in praemissis detecta, in conclusione debet enunciari (n° 15) ; ergo non medius terminus, sed duo extrema in conclusione erunt ponenda, quod praecipit regula V.

Propositio particularis relate ad universalem, et negativa relate ad affirmativam, pejor seu debilior dicitur ; per regulam itaque VI, si alterutra praemissarum fuerit particularis vel negativa, talis debebit esse conclusio : primum, quia secus latius pateret conclusio quam praemissae ; alterum, quia posita una praemissa negativa, alterutrum extremum discrepat a medio, ergo etiam inter se ad invicem differunt.

Principium discrepantiae ita applicatur in syllogismo (n° 16), ut unum extremorum convenire, alterum discrepare debeat a medio ; posita utraque praemissa negativa hoc non fieret, nec proinde, juxta regulam VII, aliquid posset inde deduci. Sic dicendo : *lapis non cogitat* ; *aurum non cogitat*, nihil profecto inferri potest, nisi forte negatio in praemissis fuerit tantum apparens. Propter rationem oppositam, qua fit applicatio principii identitatis in syllogismo affirmativo, patet quare ex utraque praemissa affirmativa nequeat legitime fluere conclusio negativa, quod innuit regula VIII.

20. Multa hic ab antiquioribus philosophis tradebantur de figuris et modis syllogismorum, quae plurimum conferre poterant ad acuenda ingenia ; nobis ad alia festinantibus, brevis rei expositio eruditionis haud inutilis locum teneat. Est itaque *figura* syllogismorum quadruplex, juxta quatuor possibiles dispositiones medii termini cum extremis in praemissis ; vel enim in utraque praemissa aget vices subjecti vel praedicati, aut praedicati in una, in altera subjecti et vicissim. Modi autem syllogismorum sunt quatuor supra sexaginta, oriunturque ex varia quatuor propositionum (n° 12) juxta quantitatem et qualitatem ad invicem combinatione, cumque omnes illae combinationes, in quibus regulae nuper expositae non servantur, non recte concludant e. g. si ex praemissis affirmantibus conclusio negans aut ex particularibus vel negativis aliquid inferatur etc. ; ideo modi recte concludentes sunt tantum decem, quatuor affirmativi et sex negativi. Praeterea, quia tantum in prima figura, scilicet quando medius terminus est subjectum in majori et praedicatum in minori, syllogismus directe et evidenter concludit,

Digitized by Google

modi recte concludendi in secunda et tertia figura utpote obscuri, per conversionem vel transpositionem propositionum, ad primam revocari consueverunt. Quarta demum figura, quae est mera inversio primae, utpote violenter concludens, nullius praetii fuit. Vide, si vacat, Quaest. philos. Mauri (1), Fortunatum a Brixia (2).

§ 3.

De quibusdam incompletis et compositis syllogismis.

21. Huc usque locuti sumus de syllogismo completo et simplici, in quo scilicet omnes propositiones enunciantur et sunt simplices; sed adhiberi quandoqne solent etiam syllogismi incompleti vel ex propositionibus compositis coalescentes; hinc et de istis pauca innuere abs re non erit.

Quando una praemissarum est valde clara, compendii gratia reticetur, et altera tantum exposita, statim conclusio deducitur; haec argumentationis species *enthymema* vocatur; sic dicendo *Animus cogitat; ergo est spiritualis,* haberes enthymema. Ubi difficultas occurreret cognoscendi nexum inter antecedens et consequens, revocanda erit praemissa quae reticetur et sic juxta regulas traditas error deprehendi poterit.

Si plures syllogismi incompleti ita connectantur, ut praedicatum primae propositionis transeat in subjectum secundae, et praedicatum secundae in subjectum tertiae et sic deinceps, donec subjectum primae et praedicatum ultimae constituant conclusionem, fit argumentatio quae dicitur *sorites*. Sit exemplum : *Anima cogitat, quod cogitat est simplex, quod est simplex partibus caret, ergo anima partibus caret.* Sorites in tot syllogismos potest resolvi quot sunt propositiones, prima dempta. Hoc argumentandi genus communiter in disputationibus adhiberi non solet, estqne valde captiosum. Recte concludet cavendo praesertim aeqnivocationem.

22. A propositionum quae materiam syllogismi constitunnt compositione, *compositi syllogismi* denominantur et in tot fere

---

(1) *Lib.* 1. *cap.* 48. *et* 49.
(2) Philosoph. mentis, *Log. part. III. sect.* 3., 4 *et* 5.

Digitized by Google

species quot propositiones compositae dividuntur. Conditionales et disjunctivi peculiarem attentionem merentur.

Syllogimus conditionalis seu *hypotheticus* habetur, in quo propositio major sub conditione aliqnid enunciat e. g. *Si sol lucet, dies est; atqui sol lucet; ergo dies est.* Posito vero nexu inter conditionem et conditionatum seu illud quod sub conditione enunciatur, formalis veritas aderit 1° si affirmando conditionem in minori, affirmatur conditionatum in conclusione; 2° si negando in minori conditionatum, negatur quoque conditio in conclusione. Haec duo tamen non valent e converso, nisi quando conditio est unica sufficiens ratio conditionati; ut patebit exemplis (1).

Syllogismus in quo major disjunctive aliquid de subjecto enunciat est *disjunctivus* e. g. *Aut dormis aut vigil es atqui vigil es; ergo non dormis.* Recte concludet 1° si membra fuerint opposita et disjunctio adaequata; 2° si affirmato uno membro in minori, aliud negatur in conclusione et vice versa. Ratio utriusque est, quia propositio disjunctiva ennnciat unum tantum ex praedicatis convenire subjecto; ergo *primo*, si membra non sint opposita, id est, simul incompossibilia, vel si disjunctio non enumerat omnia membra, fieri poterit ut neutrum vel utrumque simul praedicatum conveniat subjecto et propositio sit falsa: ergo *secundo*, posita veritate propositionis, si unum membrum in minori de subjecto negetur, alterum in conclusione erit necessario affirmandum et vice versa. Observa, si tria aut quatuor fuerint disjunctionis membra, af-

---

(1) In allato syllogismo etiam negando conditionatum in minori, *atqui dies non est,* recte negatur conditio in conclusione, *ergo sol non lucet:* at si neges conditionem in minori, *atqui sol non lucet* vel affirmes conditionatum, *atqui dies est*, non recte inferres sivo, *ergo dies non est*, sive, *ergo sol lucet*, quia scilicet potest esse dics etiam sole non lucente, sicut propter eamdem rationem non recte concluderes, dicendo: *Si hominem occidisti, morte morieris; atqui hominem non occidisti; ergo morte non morieris*; vel, *atqui morte morieris; ergo hominem occidisti.* Quando autem conditio est unica ratio cur verum sit conditionatum e. g. *mori in gratia Dei ut quis salvetur*, omnes quatuor modi recte concludunt, dicendo: 1° *si quis in gratia Dei moritur, salvatur; atqui Petrus in gratia Dei moritur; ergo salvatur;* 2° *atqui Petrus non salvatur; ergo in gratia Dei non moritur*; 3° *atqui in gratia Dei non moritur; ergo non salvatur*, 4° *atqui salvatur; ergo in gratia Dei moritur.*

Digitized by Google

firmato uno in minori, caetera *copulative* in conclusione negentur, et negato uno in minori, caetera in conclusione *disjunctive* affirmentur, ob eamdem videlicet disjunctionis naturam.

23. Ad syllogismum disjunctivum reducitur argumentatio frequenter adhiberi solita, in qua disjunctionis membra ita disponuntur, ut quodcumque adversarius admittat, semper aliquid contra ipsum in conclusione inferatur. Vocatur *dilemma*, quia duplicem tantum disjunctionem communiter continet. Sic Christus Dominus usus est dilemmate contra iniquum sui percussorem: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me caedis?* Joan. XVIII. 23. Ut adversarius nequeat vim argumenti eludere, membra disjunctionis sint *adaequata* et disjunctio *non reciproca*, talis nempe ut retorqueri non valeat.

§. 4.

De diversis sophismatibus.

24. Sophisma est *argumentatio aperte vel occulte vitiata:* nomen a sophistis traxit. Diversa sophismata dignosci possunt ex regulis syllogismorum supra expositis, quaedam nunc innuenda.

Sophismata *sensus compositi* et *divisi* mutuo opponuntur; primum enim admittitur dum praedicatum quod subjecto non convenit, nisi ut affecto aliqua proprietate, tribuitur ipsi ea remota; alterum vero e contra. Sic ista propositio, *Homo caecus nequit videre*, in sensu tantum composito; haec vero, *Homo caecus potest videre*, in sensu tantum diviso vera est. Huc revocari possunt fallacia *accidentis* et *a dicto secundum quid ad dictum simpliciter*; simile enim quid cum praecedente continent.

Fallacia *sensus distributivi* habetur, quando in conclusione aliquid infertur de individuis seorsim sumptis, quod in praemissis eorum collectioni tribuebatur; *sensus* vero *collectivi* e contra. Adverte, in iis quae nec a collectione nec ab individuatione dependent, sed ab essentia et natura, valere illationem a sensu distributivo ad collectivum et vicissim; essentia enim et natura non pendet a collectione. Hinc patet quem-

Digitized by Google

nam habeat sensum axioma istud *A distributivo ad collectivum*, vel *A partibus ad totum non valet illatio* (1).

Fallacia *circuli vitiosi* fit, cum duo quae aeque dubia supponuntur, alterum per alterum probatur, e. g. si existentiam Dei per sensilium idearum objectivam veracitatem et hanc per veracitatem Dei probare velles: non fit tamen circulus vitiosus unum per alterum ad invicem probando coram iis qui de his diversa opinantur.

Petitio principii aderit, dum ad probandum vel ad difficultatem diluendam id ipsum iisdem vel diversis verbis expressum adfertur, de quo fit quaestio. Magna profecto absurditas, non tamen infrequens.

Suppositum falsum habetur, quoties arguens vel defendens aliquid enunciat, quod verum non est nisi in suppositione alterius aut falsi aut quod tamquam falsum ab adversario rejici potest.

25. Sunt et aliae sophismatum species, ut *particularitatis latentis*, *aequivocationis*, *generis vel speciei*, *digressionis a statu quaestionis*, *simulatae probationis*. Primae tres species facile innotescunt ex regulis syllogismorum superius (n° 18 et 19) expositis advertendo quod particularitas latens aeque respiciat terminos ac propositiones syllogismi; sive enim terminus aliquis sive propositio fuerit dumtaxat specie tenus universalis, quando debet revera esse talis, diverso sensu accipietur, aderitque aequivocatio et quatuor termini: quod etiam semper eveniet, quoties terminus aliquis in una syllogismi propositione supponit pro *genere*, in altera pro *specie*. Qui probationem vel argumenta detorquet ad aliquid, quod vel nihil vel dumtaxat a longe ad rem pertinet, digreditur a statu quaestio-

(1) Haec animadversio magni momenti est et in academicis disputationibus constanter prae manibus habenda, ideoque juvat eam exemplis declaratam praebere. Sic quia rationalitas est homini essentialis, recte prorsus concludes sive dicas, *homo A, B, C, est rationalis, ergo omnes homines sunt rationales*: sive, *omnes homines sunt rationales, ergo homo A, B, C, est rationalis.* E contra cum albedo, sapientia, virtus, etc. sint aliquid hominibus accidentale; sequens illatio (nisi forte aliunde constet quod proprietas illa licet accidentalis inveniatur in omnibus), *homo A, B, C, est albus; ergo omnes homines sunt albi*, nullatenus valeret.

Digitized by Google

nis: simulat vero probationem, qui loco argumentorum seu probationum, verba dumtaxat et validos clamores obtrudit.

ARTICULUS IV.

DE USU ARGUMENTATIONUM

26. Argumentationum species superius expositae, medium sunt cognitiones nostras angendi; per eas enim incognita a notis deducimus: hinc quando praemissae egent ulteriori probatione, plures argumentationes simul conjungimus, donec illud quod latebat manifestum evadat; sic agendo rem demonstramus: est igitur demonstratio *Legitima propositionis alicujus ex aliis notioribus et prioribus deductio*. Dicitur *legitima*, id est formaliter et materialiter recta, quia verum ex falso non nisi per accidens sequi potest. Dicitur ex *prioribus et notioribus*, quia ea quae sunt velut medium ad alia cognoscenda, debent prius cognosci, vimque habere ad alia persuadenda.

Ratione modi, quo demonstratio tendit ad aliquid ostendendum, alia dicitur *directa, indirecta* seu *ad absurdum* alia; haec fit dum aliquid certum esse evincitur ex falsitate ejus contradictorii, contradictoria enim, ut diximus (n° 12), nequeunt esse simul vera vel falsa. *Directa* demonstratio erit, dum propter intrinsecum nexum, quem cognita cum incognitis habent, illud quod quaerebatur inferimus. Si propter intrinsecum nexum, quem effectus dicit ad causam, deducas existentiam causae e. g. ex ente contingente entis necessarii existentiam, demonstratio directa vocabitur *a posteriori*; nam effectus posterior est sui causa: si autem ex causa concludas ad effectum e. g. ex sapientia Dei ad ordinatam hujus mundi administrationem, vocabitur *a priori*. Omnis tamen demonstratio fit semper ex prioribus, sed cognitione, non in se. Discrimen demonstrationis directae et indirectae in eo positum est, quod prima assensum extorquendo doceat; ostendit enim cur aliquid ita et non aliter sit: secunda vero assensum extorquet quin doceat; neque enim ex quo videamus simpliciter aliquid ita esse debere, mox intelligimus qnare ita sit.

27. Non est confundenda notio demonstrationis a *priori* et *a posteriori* cum ipsis principiis, quae demonstrationis velut materiam constituunt, quaeque etiam alia sunt *a priori, a po-*

Digitized by Google

steriori alia. Principia *a priori* universalitatem, necessitatem et veritatem a sola idearum relatione habent, suntque absolute certa: e. g. *Totum est majus sua parte; quae sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se*, etc. Si demonstratio his aut similibus coalescat principiis, illud quod inde recte deducitur, erit absolute certum non solum formaliter sed et materialiter; nam conclusio induit naturam principiorum ex quibus fluit. Principia vero *a posteriori* e. g. *Omne corpus tendit deorsum; planetae constanti lege orbitas suas conficiunt*, etc. veritatem, universalitatem et necessitatem a legum physicarum constantia vel ab experientia et inductione directe mutuantur; inductio autem *adaequata* fere nunquam institui potest: hinc *per se* physicam certitudinem aut probabilitatem tantum plerumque non excedunt, ideoque etiam illud, quod ex iis deducitur non poterit materialiter spectatum pro absolute certo haberi, licet formaliter legitima foret deductio. Unde, ut recte advertit Buffier (1), explodendae sunt tot philosophorum demonstrationes, quibus putant se veritatem externam invenisse, cum non nisi formali veritate gaudeant, principia vero quibus innituntur ad summum probabilitatem attingant (2).

---

(1) Traité des premiéres vèritès, p. I. chap. II.

(2) Quoniam inductionis mentionem facimus, advertandum est, inductionem spectari tamquam peculiarem argumentationis speciem, in qua ab enumerationa casuum singularium concluditur ad omnes generatim. Si conclusio tantum se extendat ad casus in antecedenta enumeratos, inductio idem erit ac syllogismus copulativus e. g. *Petrus et Paulus et Joannes est doctus, ergo omnes tres sunt docti*; in quo, supposita materiali veritate antecedentis, habebitur certa veritas conclusionis: quod si conclusio se porrigat etiam ad casus in antecedente non enumeratos et experientiae non subjectos, argumentatio fundabitur in analogia, praebebitque dumtaxat majorem vel minorem probabilitatem pro numero singularium casuum, qui in antecedente enumerantur. Familiaris est haec argumentatio physicis experimentalibus dum e. g. ita arguunt metallum A, B, C, D, etc. liquescit: ergo omnia metalla liquescunt. Sunt et aliae argumentationum species; 1° *a paritate*, *a majori ad minus* et vicissim, in quibus vis demonstrandi non habetur nisi eaedem fuerint rationes, causae, adjuncta, etc. antecedentia et consequentia: 2° *ad hominem*, in qua ex ipsis adversarii principiis aliquid contra ipsum legitime inferimus: 3° *a similitudine* vel *exemplo*, familiaris tantum oratoribus, magisque idonea ad suadendum, quam ad aliquid demonstrandum.

Digitized by Google

ARTICULUS V.

DE METHODO SCIENTIFICA

28. Apta dispositio trium operationum animi nostri ad ignotam veritatem detegendam vel cognitam aliis manifestandam, *methodus scientifica* nuncupatur. Summa est ejus necessitas in scientiis; imbecillitate enim animi nostri fit, ut licet regulas recte judicandi et ratiocinandi calleamus, nunquam tamen vel ipsi cognitionum nostrarum nexum cernere, easque augere vel aliis manifestare possimus absque apta et ordinata earumdem cognitionum dispositione. Praxis et optimorum librorum lectio, potius quam speculativa praecepta, hujus scientiae seu artis magistra esse debet; hinc pro theoria pauca scire sufficiet.

Methodus haec dividitur in *analyticam* seu resolutionis, et *syntheticam* seu compositionis. Analytice aliquid ostenditur, dum a singulari vel particulari ad universale, a toto ad partes, a compositis ad simplicia gradum facimus; synthetice e contra. Sic logicus qui a consideratione idearum ad judicia, ab his ad ratiocinia eorumque proprietates investigandas procedit, utitur methodo synthetica; idem dicatur de mathematico, qui a consideratione puncti ad lineam, ab hac ad superficiem, deinde ad solidum expendendum progreditur. Quod si uterque ordine inverso incederet, analysim in utriusque tractatione haberes. Methodus analytica *inventionis*, synthetica *doctrinae* dici solet, quasi nempe haec ad docendum, illa ad veritatem inveniendam magis accommodata esset. Leges particulares utriusque methodi ex natura quaestionis instituendae desumi debent; in genere sequentes assignantur.

29. I^a^. Determinetur status quaestionis per meram illius de quo agitur explicationem, non vero per definitionem proprie dictam quam recte conficere difficillimum est; fieri igitur nec potest nec debet natura vel proprietatibus rei nondum perfecte cognitis.

II^a^. Dividantur quaestiones tractandae in tot partes, quot expedit ad dilucidius eas dissolvendas.

III^a^. Ab indubiis notionibus, clarioribus et facilioribus exordium esto, ut deinde velut per gradus ad minus perspecta et difficiliora ascendere vel descendere pro diversitate methodi valeamus.

Digitized by Google

IV^{a}. Nihil praetermittatur eorum, quae in progressu tractationis, utpote non dissoluta, confusionem et tenebras inducere possunt.

V^{a}. Vitetur terminorum confusio; in proprio eorum sensu adhibeantur; et ubi aequivocationi locus adesse posset, opportuna adnotatione praecludatur.

30. Quae pertinent ad methodum in academicis concertationibus sive disputationibus tenendam et accurate tam ex parte arguentis quam defendentis custodiendam, utpote ad praxim spectantia, melius practice doceri poterunt a professore, qui scilicet exigat ab arguente, 1° ut quaestionem impugnandam directe aggrediatur, contradictoriam propositionem eidem communiter opponendo; 2° ut argumenta clara, concisa et ad regulas logicae apprime exacta proponat; 3° ut propositionem vel partem distinctionis negatam accurate subsumat, difficultatemque augere studeat, et eo usque eodem medio termino promoveat, quousque solida quaedam ratio supersit; 4° ut facilitatem acquirat rationes, seu medium terminum prompte inveniendi ope illius versiculi: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

A defendente vero exigat, 1° ut propositum argumentum, quantum fieri poterit, ad litteram repetat, et iterando repetitionem, ad singulas propositiones concedat, neget aut distinguat, prout opus fuerit; 2° si obscuritas suae distinctionis id exigat, vel arguens id expostulet, brevem distinctioni datae explicationem subjungat; 3° non sinat ut arguens a forma syllogistica facile recedat, et a statu quaestionis digrediatur, idque si accidat, eum de hoc modeste moneat.

Digitized by Google

LOGICAE

PARS ALTERA

In hac parte luculenter apparebit, utrum quae praecesserunt bene intellecta fuerint, siquidem veri fontes nunc aperiendo et legitima ratiocinia instituere et fallacias adversariorum detegere, ut veritatem tueamur, identidem oportebit; ordinate autem procedendo, notiones praeviae in primis sunt exponendae.

ARTICULUS I.

DE VERO

§. 1.

Notiones praeliminares.

31. Notio *veri* est una ex transcendentalibus, quae definiri recte non possunt. Melius itaque intelligimus quid sit *verum*, dum nos nostrasque operationes consideramus, quam cum verbis illud explicare aggredimur. Sed ex quo *verum* de omni prorsus ente, quacumque illud ratione fuerit, enunciari possit, recte dicitur *verum* in genere: *Illud omne quod est quatenus est. Verum* cum *ente*, utpote utrumque transcendentale, convertitur, nec nisi ratione nostra distinguitur.

Generalis iste *veri* conceptus facile applicatur diversis ejus speciebus; nam in primis quidquid existit vel est possibile tantum, independenter a *cognitione nostra* habet proprietates seu notas per quas est aliquid in se nihilo oppositum, et objectum cognitionis per se ipsum esse potest. Est itaque *verum metaphysicum: Illud omne quod est quatenus objectum cognitionis esse potest. Verum* autem *physicum: Illud quod est quatenus est actu existens.*

Verum logicum relationem dicit ad animum cognoscentem et intelligentem; hinc bene exprimitur quod sit: *Illud omne quod est quatenus cognoscitur.* Haec *logici veri* definitio excludit quidem objectum quoddam a cognitione ipsa distinctum, quasi nempe deberet semper haberi, ut communis definitio po-

Digitized by Google

stulare videtur (1) ; est tamen satis accurata ; natura enim veritatis logicae exigit ut sit perceptio relationis vel alicujus realitatis, sicuti est ; si enim perciperetur aliquid, tamquam si esset dum non est vel non esset dum est, non amplius veritas, sed falsitas logica haberetur; unde intelligitur quid sit *falsitas logica.*

Veritas moralis habetur, quando illud quod a mente apprehenditur manifestatur per verba , sicut est apprehensum ; unde iterum recte potest dici, quod sit *enunciatio illius quod est quatenus est vel esse putatur apprehensum.* Etenim hac in re convenientia tantum sermonis cum judicio vel apprehensione mentis respicitur. Dicitur *moralis* veritas , quia ex legibus moralitatis et honestatis quilibet tenetur verba sua conceptibus animi accommodare ne aliis illudat. Hinc collige quid sit *mendacium.*

32. Atque haec , quae de veritate ejusque diversis speciebus dicta sunt , pertinent ad veritatem in se et relative ad nos spectatam , sicque accepta ejus definitio , ut advertit S. Thomas (2), potest praescindere a comparatione ad intellectum nostrum , *nam quod est per accidens ab unaquaque definitione excluditur.* Unde etiam hoc sensu recte prorsus dicitur: *Non ideo aliquid est intelligibile quia intelligitur.* Quod si veritas juxta modum tendentiae intellectus in verum et per oppositionem ad tendentiam appetitus in bonum sumatur , quatenus nempe terminus cognitionis, quod est *verum* , est in ipso intellectu , *quia cognitio est secundum quod cognitum est in cognoscente*, poterit dici quod *veritas sit adaequatio rei et intellectus ;* sed praecipue in comparatione ad intellectum divinum, cujus *intelligere* est ejus *esse* ; hinc , ut loco supe-

(1) Communis definitio veritatis logicae ista est. *Conformitas mentis cum objecto* , quam etiam nonnulli ad verum in genere transferunt. At hac admissa definitione sequeretur 1° ad veritatem logicam requiri aliquod objectum a mente et actu mentis distinctum cui ipsa mens conformaretur , quod certe non semper locum habet : 2° non nisi judiciis veritatem logicam competere , quod pariter non subsistit ; nam etiam simplices mentis conceptus constituunt quamdam logicam veritatem seu verbum mentis, quo animus veluti sibi ipsi loquitur, id est sistit sibi praesens aliquod *esse* vel *non esse*: atque hoc tantum sensu antiquiores philosophi dixerunt : *Intellectus veritas* (logica) *est adaequatio intellectus et rei , secundum quod intellectus dicit esse quod est : vel non esse quod non est.*

(2) *I p. q.* 16. *art.* 1. *ad* 1.

Digitized by Google

rius indicato prosequitur S. Thomas : *Res naturales dicuntur esse verae, secundum quod assequuntur similitudinem specierum* (idearum), *quae sunt in mente divina. Dicitur enim verus lapis, quia assequitur propriam lapidis naturam secundum praeconceptionem intellectus divini. Sic ergo veritas principaliter est in intellectu, secundario vero in rebus, secundum quod comparantur ad intellectum, ut ad principium.* Hinc facile explicantur aliae veri definitiones SS. Patrum, scilicet S. Augustini : *Veritas est, qua ostenditur id quod est; est summa similitudo principii*; S. Hilarii : *Verum est declarativum aut manifestativum esse*; S. Anselmi : *Veritas est rectitudo sola mente perceptibilis*; rectum autem est illud, quod principio concordat. Sed haec inferius melius intelligentur.

33. Quaerendum nunc foret quomodo ideis, judiciis et ratiociniis veritas conveniat; sed de judiciis diximus n° 8, de ratiociniis vero n° 17 egimus.

Quod autem spectat ad ideas, haec pauca sufficient. Omnes ideae nostrae *subjective* spectatae sunt semper verae : sive enim a perceptione actuali realiter distinguantur sive non, *subjective* consideratae non sunt nisi modificationes vel formae quaedam determinatae animi nostri; ergo sunt illud quod sunt, et in quantum cognoscuntur sunt hae et non aliae cognitiones; ergo quaecumque idea subjective considerata et metaphysice et logice vera est; ergo falsum est ideis generatim non competere veritatem.

Aliquae ideae *objective* spectatae possunt esse falsae, idque intelligitur de ideis quibusdam sensilibus, vel etiam factitiis praesertim compositis, pluribus scilicet notis coalescentibus : e. g. si mens ad praesentiam aurichalci formans sibi ideam auri, occasione nimirum splendoris similis auro et alias proprietates auri associando eodem conceptu apprehendat, conceptus sive idea erit ab objecto suo externo difformis. Hoc tamen nequit evenire in ideis quae sunt simplices et non habent objectum extrinsecum vel quae sunt objectum sibimetipsis; ergo falsum est quoque nulla ratione dici posse ideas esse falsas.

Si tamen veritatis et falsitatis naturam constitueres in affirmatione et negatione, quod accidit in enunciatione judiciorum, fateor hoc sensu ideas neque veras neque falsas dici posse; ipsae enim sive habeant objectum extrinsecum sive non, sive eidem sint conformes sive non, in se consideratae nihil affirmant aut negant; ergo hac ratione nequeunt dici verae aut falsae.

Digitized by Google

§ 2.

De statu mentis relate ad verum.

34. Aliquid in se verum esse nemo unquam negavit, sed magna lis antiquitus etiam inter philosophos habebatur, utrum animus verum assequi possit. *Dogmatici* omnia rata ac certa se de rebus decernere autumabant; *Sceptici universales* (si tamen unquam extiterunt) de omnibus dubitandum esse contendebant; Sceptici *immoderati* et plerique *Academici*, admissis propria existentia ceterisque intimis animi affectionibus, de omnibus aliis dubitandum esse statuerunt. Sceptici tandem *moderati* plura ab homine certo cognosci docuerunt, ita tamen ut et de pluribus non semel dubitare et multa se nescire fateri debeat. Laudabilem hunc scepticismum, seu potius semper laudabilem prudentiam et nos sequimur, idque commendat Lactantius (1): *Alii putaverunt sciri posse omnia; hi sapientes utique non fuerunt. Alii nihil; ne hi quidem sapientes fuerunt. Illi quia plus homini dederunt, hi quia minus. Utrisque in utramque partem modus defuit. Ubi ergo sapientia est? Ut neque te omnia scire putes, quod Dei est; neque omnia nescire, quod pecudis.* Si quis scepticus universalis esset, cum ipso disputandum non foret; nam disputatio procedere non potest, nisi ab aliquo principio certo utrimque admisso; scepticus hic nullum tale principium admittit: dubitabit insuper num actu existat et tecum loquatur. Scepticum immoderatum facile convinces, ostendendo illi multa alia, praeter ea quae intima experientia innotescunt, aeque rationabiliter pro certis esse habenda.

35. Quatuor sunt status animi nostri relate ad verum, *ignorantiae* scilicet, *dubii*, *opinionis* et *certitudinis*.

Ignorantia alicujus rei animus laborat, quando nec pro nec contra eam aliquid affirmare rationabiliter potest.

Animus de re aliqua *dubius* haeret, dum pro utraque contradictionis parte solidas esse rationes cognoscit; et hoc est dubium *positivum*. Quod si pro una tantum parte rationes habe-

(1) Divinarum Institutionum *lib.* 3. *cap.* 6.

Digitized by Google

rentur et tamen quis suspicaretur de opposito, dubium *negativum* esset, quod alias est prudens, imprudens alias.

Si rationes solidae pro utraque vel pro una tantum contradictionis parte adfuerint, sed tales quae perfectum assensum extorquere non valeant, licet prudentis viri attentionem mereantur, poterit animus rationibus illis innixus, ex imperio saltem voluntatis, existimare rem ita esse vel non esse: sic agens dicitur *probabiliter judicare, seu opinari*. Est itaque opinio, vel judicium probabile: *Assensus intellectus rei cognitae propter rationes satis firmas, non omne tamen erroris periculum excludentes*. Probabilitas haec gradus admittit, pro majori scilicet vel minori pondere rationum internarum vel externarum; unde etiam alia dicitur probabilitas *intrinseca, extrinseca* alia.

36. Quando animus noster, omnibus rite perpensis, apprehendit aliquid ita et non aliter esse, propter rationes omne erroris periculum excludentes, tunc *certi* esse dicimur. Est itaque certitudo: *Firmitas adhaesionis objecto cognito absque formidine de opposito*. Ex diversitate motivorum, quibus mens impellitur ad firmiter assentiendum, oritur certitudinis divisio. *Metaphysice* certum erit, cujus oppositum intrinsece repugnat et nec per virtutem divinam aliter ac cognoscitur fieri potest; idque vel *absolute* vel *hypotethice* tantum. Hinc certitudo *metaphysica absoluta* vel *hypothetica*. Quando cognoscimus aliquid ita esse, ut salvis tantum naturae physicae legibus aliter esse nequeat ac cognoscitur e. g. *crastina die solem oriturum, physica certitudo* aderit. Quod si motivum habendi aliquid pro certo fundetur in constantia legum moralium, quibus homines ad verum dicendum impelluntur, habebitur *certitudo moralis;* quae multum differt a mera probabilitate vel morali certitudine latiori sensu accepta, quaeque in legibus tantum humanae prudentiae fundamentum agnoscit: porro quamvis a nonnullis auctoribus majores vel minores gradus probabilitatis soleant exhiberi per fractiones numericas crescentes vel decrescentes, hoc tamen certitudini morali (ut quidam vellent) nullatenus aptari potest, quae et toto genere a probabilitate differt, et ex probabilitatum aggregato vel praesuppositione tamquam subjecto abstractionis oriri nequit. Physica et moralis certitudo quandoque in metaphysicam *indirecte* migrant (1).

(1) Certitudo moralis latiori seu improprio sensu accepta eadem fere est ac probabilitas, eaque dirigimur in quotidiano procedendi modo, dum

Haec distinctio certitudinis extrinsecam tantum differentiam importat, cum omnis naturalis certitudo *formaliter* spectata sit aequalis; debet enim essentialiter erroris periculum amovere, exclusio autem periculi erroris in indivisibili consistit, aut enim habetur aut non habetur; cumque firmitas adhaesionis intellectus sequatur *naturaliter* exclusionem periculi erroris, ipsa quoque ratione sui *in veritatibus naturalibus* in indivisibili consistit. Unde licet e. g. pro veritate *metaphysica* fuerint quinque, pro *physica* tria, pro *morali* unum motivum, singula tamen respective excludentia periculum erroris, mens nostra rationalis aeque debet (si prudenter agere velimus) singulis hisce veritatibus assensum praebere et aeque sibimetipsi vim inferre, quamcumque earum respuendo. Fatendum tamen est, quod ad veritates ubi certitudinis motivum est immediate animo applicatum ratio nostra majori quadam propensione, non tamen assensu rapiatur, quodque auctis motivis certitudinis aeque periculum erroris excludentibus pro eadem veritate, certitudo fiat *extensive* major. Diximus *naturaliter* et *in veritatibus naturalibus*; non enim loquimur de supernaturali mentis assensu rebus fidei exhibito, qui cum praecipue dependeat a gratia Dei intrinsecus mentem illuminante et cor movente, potest esse et est major quocum-

---

e. g. passim fidem adhibemus loquentibus ex eo quod hic et nunc nulla appareat ratio erroris vel mendacii, licet interim in hoc haud raro decipiamur. Ad veram itaque certitudinem moralem requiritur, ut constet leges morales (de quibus suo loco) actu violatas non fuisse; secus non excluderetur erroris periculum, idque obtinetur quando potest ostendi actualem testium conspirationem in mendacium locum non habuisse, quod cum certe in indivisibili consistat, gradibus fractionum crescentium vel decrescentium e. g. $\frac{1}{10}, \frac{2}{10}, \frac{3}{10}$ etc. exprimi nequit. Certitudo quaevis ex sui natura periculum erroris debet excludere, probabilitas ut talis nequaquam, ergo toto genere ab invicem differunt: cumque quodlibet probabilitatum aggregatum, utpote per collectionem non mutans naturam, remaneat semper, ut ita loquar, aggregatum deficientiarum a certitudine, nequit quoque esse subjectum abstractionis; non enim potest abstrahi a subjecto proprietas, quae in eo non est. Quando autem quod est tantum physice aut moraliter certum, si in quibusdam adjunctis supponeretur falsum et ex hac suppositione sequeretur, quod etiam aliquod principium metaphysice certum, falsum redderetur, tunc quia hoc metaphysice repugnat, illud aeque repugnabit, seu certitudines illae in metaphysicam certitudinem quamvis hypotheticam indirecte migrabunt.

Digitized by Google

que assensu certitudini naturali praestito seu ex motivis naturalibns orto.

37. Certitudo, pront est mentis affectio, *subjectiva* dicitur; *objectiva* autem prout ad rem ipsam vel propositionem refertur; fieri tamen potest, ut intima mentis persuasio habeatur, quin objectiva veritas adsit; unde certitudo, licet sub diverso respectu, cum errore sociatur; et hinc etiam infertur necessitas regulae cujusdam, ad quam judicia nostra exigamus, ut subjectivam et objectivam certitudinem assequamur. Quia vero certitudo et falsitas vel error se destruunt, nemo existimet nos hic loqui de certitudine vera quae cum errore societur: vera enim certitudo nequit haberi, nisi sit simul subjectiva et intrinsece vel extrinsece objectiva atque realis; nam cum certitudo sit mentis affectio seu modus cognoscendi, quo mens firmiter adhaeret rei cognitae, proprie loquendo non invenitur in objecto, et proinde haec *objectiva* certitudinis denominatio indicat tantum quod objectum debeat in se ita esse sicut cognoscitur, ut ope certitudinis veritatem assequamur. Similiter certitudo solum *subjective* spectata non innuit nisi affectionem mentis seu potius meram persuasionem internam, quod res ita sit, ac proinde cum mera apparentia de rei veritate consistere potest, seu apparentem dumtaxat certitudinem indicare.

ARTICULUS II.

DE VERI FONTIBUS
ET IN SPECIE DE GENERALI NORMA JUDICIORUM NOSTRORUM

38. *Criterium*, *regula*, vel *norma*, qua de veritate aut falsitate omnium judiciorum nostrorum pronunciamus, et ad quam velut ultimum motivum omnis nostra naturalis reducitur certitudo, seu potius quae prohibet ne certitudinem per media naturalia acquisitam prudenter respuere valeamus, distinguenda est a *fontibus veri*, qui sunt regulae partiales, a quibus pro rerum diversitate, diversa judicia eorumque certitudo hauritur. Illa, sicut et rationalitas nostra, unica est; isti, quatuor, nimirum *sensus intimus*, *ratio*, *sensus externi*, *auctoritas*, de quibus in sequentibus; nunc de generali tessera veritatis.

In *evidentia*, juxta communiorem et veriorem philosophorum doctrinam, generalem hanc veritatis normam reponemus;

Digitized by Google

prius tamen, ut difficultatibus aditus praecludatur, evidentiam in concreto (1) spectando, nihil aliud esse dicimus nisi *naturalem rationis nostrae dispositionem, qua fit, ut positis quibusdam adjunctis (seu dato quod media naturalia certitudinis rite adhibuerimus), ad sic et non aliter judicandum cogamur, nisi ipsi rationalitati nuncium remittere velimus.* Eam antiquiores *naturale rationis lumen* vocabant. Porro sic spectata differt et a claritate ac certitudine, quae sunt dumtaxat effectus partiales illius naturalis dispositionis; et ab ipsa *anima rationali*, seu *ratione in concreto*, ejusque *activitate*, cum haec possint dici et sint *principium reale* vel *efficiens* nostrarum cognitionum, minime autem *ultimum motivum* certitudinis earum. Praeterea claritas sive perspicuitas quasdam tantum nostras cognitiones comitatur, estque potius *terminus* ad quem in his cognitionibus animus pertingit, nec revera proprio sensu in rebus vel propositionibus invenitur.

---

(1) Ut clarius pateant quae inferius de evidentia dicemus, adverte modum quo eam concipimus esse realem in concreto, quatenus spectamus eam in causa seu in hujusmodi naturali nostrae rationalitatis conformatione, quae induendo rationalem *convinctionem* de certitudine reddit impossibilem scepticismum, non permittendo prudenter resilire a certitudine hausta ope diversorum mediorum naturalium; unde evidentia est ultimum complementum ac velut sigillum naturalis certitudinis: certitudo proinde in hoc tantum, seu partialiter, ab evidentia pendet, estque ejus effectus, non secus ac claritas seu perspicuitas quarumdam cognitionum, quae pariter, quando adest, oritur directe ex motivis naturalibus et dumtaxat quoad sui realitatem et firmitatem ab evidentia pendet, estque quoad hoc ejus partialis effectus. Hinc colliges, evidentiam nostram in actu consideratam, consistere in reflexa rationali coactione, seu melius *convinctione* (italice) *convincimento*) de realitate certitudinis acquisitae (quam *convinctionem* certe non experimur, licet evidentiam in causa, seu naturali dispositione habeamus, nisi reflectendo ad nos et adjuncta in quibus versamur): ideoque sententia haec nostra differt tam a doctrina eorum, qui evidentiam indiscriminatim et veluti *in abstracto* considerantes, eam reponunt in quadam *claritate* seu perspicuitate mentis vel principiorum et rerum, quod utique non est considerare eam tamquam generale et ultimum certitudinis motivum, de quo non debet posse quaeri, utrum mens illud recte nec ne apprehendat; quam eorum, qui eam sumunt pro ipsa *clara cognitione* vel pro *intuitu relationis*, quae inter ideas habetur, onde ipsam cognitionem vel intuitum pro motivo propriae certitudinis ponunt; quod pariter in nostra sententia non accidit, cum naturalis nostrae rationalitatis dispositio seu conformatio et hujus effectus sive actualis coactio, utpote modus, ab ipsa ratione ejusque actuali cognitione distinguatur.

Digitized by Google

Certitudo autem directe dimanans a mediis naturalibus diversis pro diversitate objectorum cognitionis nostrae, debet necessario differre ab eo, quod impedit, ne quamcumque certitudinem naturalem prudenter respuere valeamus. Insuper claritas mentis potest esse vera vel apparens, fatentibus ipsis adversariis, diversa quoque in diversis hominibus; at necessitas orta ex naturali rationalitatis dispositione aut habetur aut non habetur; eademque debet esse in cunctis hominibus utpote ratione praeditis. Hinc vero manifestissime etiam apparet, quomodo anima rationalis seu ratio in concreto non sit norma sui ipsius, *saltem* sub eodem respectu; cum supradicta naturalis nostrae rationalitatis *dispositio* sit distincta ab ipsa ratione.

39. Evidentia in se unica est, ut patet ex nuper dictis, sed pro diversitate naturalium motivorum certitudinis quae comitatur, varias denominationes acquirit. Dicitur itaque evidentia 1° *immediata*, quando ex ipsa terminorum consideratione, nulla adhibita probatione, cogimur ad tribuendum aut removendum praedicatum a subjecto; e. g. *Totum est majus sua parte, cogito*, etc. 2° *mediata* evidentia audit, dum vi legitimae demonstrationis vel alterius adminiculi cogimur ad agnoscendam convenientiam aut pugnam inter subjectum et praedicatum; e. g. *anima est spiritualis*; 3° *intrinseca* evidentia vocatur, si rationes ex ipsa rei natura depromptae ad tale judicium ponendum impellant; *extrinseca* vero e contra, nempe si motivis extrinsecis ad ita sentiendum cogamur, e. g. *Existit Byzantium*. Dicitur quoque, pro ratione certitudinis, evidentia *metaphysica, physica* et *moralis*. Hae tamen evidentiae species fere omnes reciprocantur (1). Interim sit

---

(1) Et sane propositio illa, *totum est majus sua parte*, est non solum *immediate*, sed etiam simul *metaphysice*, et *intrinsece* evidens, cum ex ipsa subjecti natura praedicatum eidem conveniat et non convenire absolute repugnet. In altero exemplo, ut patet, *mediata* evidentia cum *metaphysica* et *intrinseca* invenitur sociata. In tertio exemplo nos, qui existentiam Byzantii ope humanae auctoritatis cognoscimus, habemus de hoc evidentiam *extrinsecam* et simul *moralem*; qui autem civitatem illam propriis oculis intuerentur, haberent *immediatam* simulque *physicam* evidentiam.

Digitized by Google

PROPOSITIO

Evidentia in concreto accepta, recte statuitur pro generali et ultimo motivo, quod prohibet ne a certitudine mediorum naturalium in omnibus nostris cognitionibus naturalibus prudenter resilire valeamus.

40. Assertio haec probari nec potest nec debet, sed simplici declaratione, et praesertim difficultatum solutione satis superque innotescit: non enim hic est quaestio cum scepticis, de quibus quid sit sentiendum superius (n° 34) innuimus, sed cum philosophis, qui admissis mediis naturalibus ad aliquid certo cognoscendum, inquirunt quodnam sit illud ultimum motivum, quod prohibet mentem nostram in omnibus naturalibus judiciis, ne certitudinem haustam prudenter respuat; an scilicet tale motivum sit ratio universalis, et auctoritas humana seu consensus communis? An vero quaedam naturalis rationalitatis nostrae dispositio, seu contemperatio? Omnium itaque, qui de hoc motivo statuendo disputant, judicio, homo vi rationalis suae naturae in certam veri cognitionem tendit. Debet igitur habere tale ultimum motivum seu regulam, quae intellectum ad assensum invincibiliter cogat, quae sit ipsi immediate applicata et probatione non egeat; sit clara in re cognita, id est, per se se manifestans; ad omnia judicia sese extendat. Hisce proprietatibus gaudere evidentiam superius definitam in comperto est. Nam per hanc naturalem rationis nostrae dispositionem, positis debitis requisitis, etiam inviti ad assensum veritati cognitae praebendum inclinamur; ipsa est immediate animo applicata, seu potius cum illo quodammodo identificata, ac proinde non eget probatione, qua constet nos eam recte apprehendisse. Quod vero sit clara in re cognita et ad omnia judicia se extendat, ex diversis fontibus veri, diversisque motivis particularibus quae comitatur et quibus inducimur ad sic et non aliter judicandum, in variis rerum et circumstantiarum adjunctis constituti, manifeste colligitur. Tandem quicumque animi nostri naturalem hanc constitutionem inspiciat, intelliget profecto, nihil posse esse magis certum, quam quod ita firmiter apprehendimus, ut de opposito vel minimum dubitando, ipsi rationalitati nostrae valedicere debeamus (1). Sic certi sumus nos existere, bis, duo

(1) De singulis mediis naturalibus, sensu intimo, sensibus externis, auctoritate, etc. cur ope ipsorum non decipiamur, reddi potest, ut

Digitized by Google

praebere quatuor, etc. Videamus nunc qnid adversus hanc doctrinam opponi soleat.

41. Opponunt 1° Evidentia non est ultimum ac generale veritatis motivum. Etenim 1° veritas rerum penderet ab evidentia, quod est falsum; omne enim hoc ipso quod est, verum est. 2° Quidquid certum est evidens esset, cum tamen quaedam maxime obscura, ut sunt fidei nostrae mysteria, pro certis habeamus, quin sint evidentia; ergo, etc.

Respondeo, *Nego ant.* Ad primam probationem, *Dist. maj.* Veritas rerum penderet ab evidentia, relate ad cognitionem, *conc.* in se, *neg. maj.* et *Dist. min.* falsum est veritatem in se spectatam, seu metaphysicam seu physicam pendere ab evidentia, *conc.* veritatem logicam, et praesertim quoad certam illius cognitionem *neg. min.* Ejus probationem pariter *Dist.* Omne enim, etc. verum est physice vel metaphysice, *conc.* logice, *neg.* Distinctionis ratio ex differentia veritatis logicae et metaphysicae desumatur. Etenim veritas metaphysica a nostra cognitione non pendet, cum quaelibet res per suas proprietates sit id qnod est, et ut talis cognosci possit; nos vero non cognoscimus aliquid nisi per ideas quas de ipso habemus, et per motiva inducentia animum ad sic et non aliter apprehendendum: hinc veritas non in se sed qnoad certam cognitionem pendet ab evidentia tamquam ultimo motivo. Atque inde patet, quantum juvet *certitudinem* a *veritate* apprime distinguere, quod tamen nonnulli etiam philosophi turpiter confundunt.

Ad 2^m^ *Dist.* Quidquid certum est, evidens esset aliqua ratione, nempe intrinsece vel extrinsece, immediate vel mediate, seu evidentia pro naturali rationalitatis nostrae dispositione accepta, *conc.* semper eadem ratione vel accepta pro claritate, *nego.* Per evidentiam non intelligimus claritatem quamdam (n. 38) in mente nostra vel in rebus ipsis; unde res etiam in se obscurae di-

---

ex infra dicendis patebit, ratio unicuique eorum propria: verum quaerenti, cur hasce omnes rationes respuere, et de omnibus nostris cognitionibus aeque dubitare nequeamus, non aliud certe rationabiliter responderi poterit, nisi quod mentem seu rationem nostram ita naturaliter comparatam seu dispositam habeamus, ut si in illis adjunctis de rei veritate dubitare vellemus, ipsi nostrae rationalitati nuncium remittere cogeremur. Atque hinc manifestum fit quomodo haec evidentia nostra tamquam ultimum motivum sive complementum naturalis certitudinis ad omnia particularia criteria sese extendat, et quomodo ista ad eam reducantur.

Digitized by Google

ci possunt evidenter certae quotiescumque talia motiva eas comitantur, ut animus ad sic et non aliter judicandum saltem moraliter cogatur, omnisque erroris et dubii de opposito periculum excludatur. Verum quidem est quod in iis, quae sunt intrinsece evidentia, non tantum scimus rem ita esse, sed etiam clare intelligimus cur ita sit; ast hoc in multis rebus haberi nequit, nec est necesse; nam ad certitudinem gignendam sufficiunt rationes etiam extrinsecae assensum extorquentes, sicut accidit circa plures quoque naturales veritates et circa fidei nostrae mysteria, ad quae admittenda non *physice* sed *moraliter*, scilicet *si prudenter agere velimus*, cogimur per extrinseca credibilitatis motiva, quae moralem proprie dictam certitudinem praebent, suadentque quidem rem ita esse, obscuritatem tamen intrinsecam non minuunt. Ex quo etiam aliquatenus colligitur, quomodo actus fidei sit liber et remaneat sub imperio voluntatis, quamvis intellectus assensum prudenter cohibere non valeat; illi namque, qui rebus fidei sufficienter propositis, assensum non praebent, certissime imprudenter agunt. Tandem si per *certum* (ut nonnulli confundunt) intelligatur *verum*, responsum datum ad 1^m^ difficultatem valebit etiam ad 2^m^.

Urgent. Evidentia nequit reddere nos certos de objectiva rerum veritate, cum sit animi affectio vel dispositio, et inter hanc et objecta eorumque proprietates nullus habeatur nexus.

Resp. *Dist. ant.* Nequit reddere, etc. directe, *conc.*; reflexe; *nego.* et *Dist.* probationem : Inter hanc, etc. nullus nexus absolute necessarius, *conc.* vel *transeat*; hypothetice necessarius *nego*. Evidentia et etiam certitudo *formaliter* et *subjective* spectata, est quidem aliqua dispositio vel affectio simplex animi nostri; verum ex hoc sequitur tantum, non posse nos ex evidentia nostra directe inferre objectivam rei veritatem, cum non habeatur nexus absolute necessarius, non autem reflexe ad diversa media, seu particulares veri fontes ; tunc enim, posito quod legitime e. g. sensus nostri applicati fuerint ad considerationem alicujus objecti, inter evidentiam et objectivam rei veritatem aderit nexus hypothetice necessarius ; hinc *reflexe* objectiva etiam aderit certitudo. Innuimus transmitti posse probationem relate ad nexum absolute necessarium; quia hic licet adsit, quando judicamus de principiis a priori, tunc tamen fit quaestio de sola idearum relatione, praescindendo ab existentia rerum.

42. Opp. II° Evidentia non inservit ad lites circa veritatis assecutionem dirimendas; ergo non est generalis, etc. Etenim 1°

Amentes, furiosi, etc. putant se evidenter cognoscere plura, quae non sunt. 2° Qui errores defendunt, dicunt se a ratione impelli ad sic judicandum, aeque ac illi qui verum propugnant. 3° Plura putamus evidenter cognoscere, quae deinde falsa fuisse deprehendimus.

Resp. *Nego. ant.* Ad primum dico, cum amentibus et furiosis non disputamus, neque modum inquirimus, quo eos de falsitate et delirio convincamus; dantur enim signa indubia, quibus hi a recta ratione utentibus discriminentur.

Ad 2m, et 3m, *Dist.* Et ista eveniunt in cognitionibus quae sunt immediate evidentes, *nego;* in aliis *subdist:* quando rationes non perpendimus, vel studio et amore partium ducimur, *conc.* secus, *nego.* Circa cognitiones, quae sunt immediate evidentes, e. g. *Totum est sua parte majus,* etc., nemo unquam erravit, neque est periculum quod de iis quaestio exurgat. Relate vero ad alia, quae recta ratiocinatione aliisque mediis comparantur, attentio est adhibenda, rationes perpendendae, praejudicia derelinquenda; quod si hisce non obstantibus, aliquis in suo errore obfirmatus persistat, seipsum extra numerum rationabiliter agentium ponit, quin opus sit ut quaeramus regulam aliquam, quae sit velut tribunal publicum, poenam in contradicentes decernens. Praeterea qui errores defendunt poterunt quidem mala fide dicere, se a ratione impelli ad sic judicandum; at veram rationalitatis coactionem non experiuntur, neque proinde fides ipsis adhibenda est, dum rationes ostendunt contrarium verum esse. Hinc tantum inferes, quod bona et sincera voluntas plurimum influat in veritatis rectam inquisitionem, unde etiam haec non sine causa *philosophia* seu *amor sapientiae* dicta est. Similiter iis dumtaxat, qui evidentiam in claritate mentis reponunt, accidere potest, ut falsa fuisse deinceps deprehendant, quae prius evidenter cognita putabantur.

Urgent. Evidentia haec, cum consistat in individuali nostra ratione innumeris erroribus occasionem praebebit; 1° quia ratio nostra finita et essentialiter limitata, essentialiter fallibilis est (1). 2° Quia cum veritas sit quid commune (2) velut haereditas, toti

(1) Hoc et subsequentia scepticorum sophismata, hac nostra aetate acriter promovit cum quibusdam suis asseclis D. De La Mennais *Essai sur l'indifférence etc.* praesertim *Tom.* 2. Vide in primis *pag.* 25, *Quatrième édition.*

(1) Ibidem *pag.* 128 et alias.

generi humano, regulam generalem veri non individualis, sed universalis ratio omnium hominum constituet. 3° Quia certius esse debet, omnes vel plures homines non errare, quam unum. 4° Quia sequeretur generaliter verum esse dictum Cartesii: *Quidquid in idea clara et distincta continetur, id verum est*; vel illud aliud: *Quidquid ratio alicujus hominis evidenter cognoscit, id verum est*. 5° Quia, cum certitudo sit *ratio* veritatis, seu *illius quod est* et vita entis rationalis, sequeretur, hominem habere *rationem* sui, et *principium* vitae suae in semetipso, seu esse *causam* suimetipsius (1); quod profecto absurdum.

Resp. *Nego ant*. Ad 1^m^ *Conc. ant. Dist. cons*. Est essentialiter fallibilis in iis, quae sunt supra captum ejus, *conc.* in aliis, *subdist.* quatenus, non adhibitis mediis necessariis, possit errare, *conc.* quatenus in omnibus actu erret, *nego;* et distinctio per se patet. Nec valet paritas, quae duci solet a ratione divina infinita, cui competit esse in omnibus infallibilem; nam ex quo ratio nostra sit limitata, non est *non ratio* seu nihil; ergo aliquid debet certo cognoscere. Tandem, qui ita ratiocinantur, directe ad scepticismum universalem homines ducunt; si enim ratio individualis *essentialiter* in omnibus decipitur, etiam ratio universalis (si unquam existeret) in omnibus deciperetur; nam essentia per collectionem non mutatur: ergo nulla haberetur certitudo, etiam pro universo genere humano. Insuper quodvis individuum essentialiter errans, errabit quoque in ipsa perceptione judicii illius universalis: ergo et de hac ipsa perceptione dubitabit.

Ad 2^m^, *Dist. ant*. Veritas est quid commune, etc. ita ut sit etiam unicuique proprium, *conc.* secus, *nego*, et *nego* consequens. Quia porro hic non agitur de veritate in se, sed de certa ejusdem cognitione, et certa plurium aut pauciorum veritatum cognitio pro hominum diversa conditione differt, patet eam non posse dici haereditatem generis humani, nisi forte hoc sensu, quod nullus possit esse homo ratione utens, qui aliquid certo non cognoscat, non vero nullam posse esse certam cognitionem, quae non sit omnibus manifesta. Veritas autem in se ita est quid commune omnibus, ut non excludat proprietatem individualem, cum quivis homo hoc ipso quod sit rationalis, habeat jus cognoscendi aliquam veritatem: quin si hoc jus non supponeretur, neque commune hominum judicium, utpote coalescens ex judiciis indi-

---

(1) Ibidem *pag*. 2. 44 *in nota*: similiter *pag*. 106. 108.

viduorum, eo gauderet. Ergo non ratio ista universalis, sed individualis, modo jam explicato, erit generalis norma certitudinis, praesertim quod et dentur veritates, quae ideo ab omnibus admittuntur, quia sunt certae, non autem ideo certae quia admittuntur, et eas quoque quae communi hominum judicio probantur ideo tamquam certas habemus, quia dispositio naturae rationalis uniuscujusque, quae eadem est in omnibus, invincibiliter cogit ad commune judicium hominum circa propria objecta, pro sufficienti motivo habendum.

Ad 3^m, *Dist. ant.* Certius debet esse, etc. non positis iisdem adjunctis, *conc.* vel *transeat*; positis iisdem adjunctis, *nego*. Si supponas omnes vel plures homines ferre judicium circa veritatem, quae non excedit captum eorum, et nullam esse rationem eos in errorem impellentem, unum vero hominem non ita; tunc profecto certius esset illorum quam istius judicium. Si autem contra, eaedem conditiones in utroque obtineant casu, sicut repugnabit omnes vel plures recte ratione utentes in errorem impelli, ita etiam et unum; quia ratio neminem per se in errorem inducit. Verum quidem est, quod judicium omnium vel plurium difficilius possit esse destitutum supradictis adjunctis, quam unius; attamen quia et potest esse et fuit revera quandoque erroneum e. g. circa polytheismum, nisi supponamus rationem individualem saltem in hoc non errare, quod sciat distinguere praesentiam a defectu earum conditionum, jam omnis certitudo periret. Diximus praeterea, *transeat*: nam dato etiam, quod judicium omnium vel plurium sit quandoque praeferendum judicio individuali, tamen et hoc non fit praecise ratione multitudinis, et consensio ista communis ad plures cognitiones certas e. g. ad facta quaedam naturalia vel miraculosa applicari nequit absque absurditate; et semper requireretur aliud medium distinguendi consensionem veram a falsa; non potest itaque statui pro generali veritatis regula.

Si quis vero adderet: ergo hac ratione 1° suadetur hominibus pertinacia proprii judicii et opinionis et datur occasio transeundi ad spiritum privatum haereticorum; 2° in collisione judicii particularis cum universali consensione, ignotum erit quis sit judex, et pro quo stet veritas; respondeo in primis: adhaerere firmiter proprio judicio, quando est rectum et a rationis dictamine provenit, non est aliquid mali, neque per hoc datur occasio falsi principii haereticorum in eo positi, quod vel-

Digitized by Google

lent juxta individualem uniuscujusque persuasionem judicare de rebus fidei et de iis, quae ad infallibile Ecclesiae tribunal pertinent. Deinde ad 2^m negamus suppositum, posse fieri collisionem supra dictam, quando agitur de judicio in mediis a natura datis fundato, et a necessitate rationalitatis nostrae ad sic et non aliter judicandum impellentis proveniente; nam rationalis natura eadem est in omnibus: si vero non esset tale judicium, patet responsio tum ex dictis superius (ad 2^m et 3^m), tum ex eo, quod in judiciis seu quaestionibus, ut vocant, opinabilibus, rationes seu fundamenta opinionis ipsius, earumque soliditas sunt ea, quae determinant (secluso semper aestu cupiditatum, et supposito veritatis amore) pro quo stet veritas.

Ad 4^m *Dist.* utrumque: sequeretur verum esse, etc. positis debitis requisitis, *conc.* secus *nego*. Expressiones allatae pravum sensum possunt habere, quasi omne quod subjective verum est, etiam tale necessario objective esset; vel nihil aliud requiri ad certitudinem, nisi simplicem rationis nostrae persuasionem. Hae absurditates itaque removeantur, et expressiones illae poterunt admitti. Praeterea nos nullius philosophi suscipimus vindicias, nec evidentiam constituimus in idearum claritate, nec eam spectamus tamquam splendorem quemdam mentis aut propositionem aliquam perspicuam, quae caeteris illuminandis inserviat; unde non potest contra nos ullam vim habere disputatio stulti cujusdam cum philosopho cartesiano, quae et inepta et absona prorsus in se est, et ad invidiam dumtaxat ciendam ab auctore, heu nimis noto, adfertur (1).

Ad 5^m dicimus, misellum et hoc D^ni^ De La Mennais sophisma corruere vel ex sola distinctione inter *rationem* seu motivum et *causam*; et ex eo quod aliud sit habere *in se*, aliud *a se* principium vitae vel sibimetipsi vitam tribuere; in hoc tantum casu homo esset causa sui ipsius; quin etiam ex principiis adversarii possumus contra eum sic arguere: si certa veritatis cognitio sit vita hominis, quatenus rationalis, jam cum vita necessario et essentialiter sita sit in aliqua proprietate intrinseca *viventis*, quam debet habere ex propria constitutione sive *in se*, licet non necessario *a se* (nemo enim naturaliter vivere potest vita alterius sicut nec comedere ore alieno, sed pro-

(1) *Défense de l'Essai sur l'indifférence en matière de Religion Préface.*

Digitized by Google

prio) sequitur; vitam quoque rationalem hominis ac proinde certam alicujus veritatis cognitionem, debere fundari in aliqua intrinseca ipsius rationalitatis contemperatione seu constitutione, neque posse hominem omni prorsus principio certitudinis ex se destitutum (sicut vellet adversarius), vivere vitam rationalem, certitudine consensionis vel auctoritatis universalis. Quomodo praeterea homo poterit agnoscere, vitam suam rationalem a communi et universali consensu derivandam esse, si ex se neque certus est de propria existentia, sicut impudenter contendit idem auctor pluribus in locis (1)?

43. Opp. III. Evidentiam nos non decipere ex alio deducitur; ergo non est prima veritatis regula. 1° quia ab attentione, reflexione, aliisque adjunctis ejus veracitas pendet; 2° a principio contradictionis, cujus veritate non supposita, etiam quod evidens est poterit esse falsum; 3° a veracitate Dei nos decipere nolentis. Ipse enim est prima veritas, a quo omnis alia certitudinem mutuatur.

Resp. *Nego ant.* Ad 1^m probationem dico: attentio, reflexio et adjunctorum consideratio, utrum videlicet judicium ex naturali fonte et cum debitis requisitis ponatur, sunt actus necessarii ad quamcumque prudentem operationem, non vero formalis ratio et motivum ultimum certitudinis nostrorum judiciorum.

Ad 2^m *Neg. ant.* et *Dist.* rationem additam: cujus veritate non supposita, etc. poterit esse falsum *de consequenti*, *conc. a priori*, quasi vis certitudinis ab illo principio desumatur, *nego*. Supposito vel semel tantum, quod principium contradictionis sit vel possit esse falsum, *consequenter* dici etiam poterit, quamcumque aliam vel maxime evidentem cognitionem posse esse falsam, ac proinde quod est evidenter certum posse esse evidenter falsum; sed non *a priori*, quasi evidentia in sua firmitate ab hoc principio dependeat: non est enim veluti quaedam propositio, quae per alias probetur, sed naturalis animi nostri rationalis dispositio, quae dum in actum exit, assensum extorquet, prohibetque a certitudine prudenter resilire.

Ad 3^m *Dist. ant.* A veracitate Dei, etc. directe, *nego*; reflexe, *transeat*. *Dist.* quod additur, ipse enim est prima ve-

---

(1) *Essai sur l'indiffér. en matière de Relig.* tom. 2. pag. 15. 22. 44. 76. 123. etc. editionis quartae. Vide *Disquisit. histor. philosoph. systemat. cap.* 8. §. 7. *cl. Bonelli.*

Digitized by Google

ritas ratione originis et in se, *conc.* ratione motivi formalis et relate ad nos, *nego.* Eodem modo distinguatur quod ultimo loco ponitur. Quando exposuimus characteres et notas, quae suadent evidentiam pro generali veri regula statuendam esse, praescindimus a veracitate Dei; ergo evidentiam nos non decipere ex veracitate divina non desumitur. Nisi supponatur naturam nostram ita comparatam esse ut aliquid certo cognoscat, jam de omnibus prorsus dubitandum erit; ergo etiam de hoc, num Deus nos continue non decipiat. Hinc licet reflexe inferamus, quod repugnet Deum ita nos constituisse ut continue erremus, hoc non fit, nisi quia lumen naturale rationis respuit conceptum Dei mendacis. Ex quo colligitur, Deum esse quidem primam veritatem in se et ratione originis, quatenus omnis realitas aliqua ratione est ab ipso sive in ipso suum esse agnoscit, non tamen primam veritatem, quae sit ratio formalis nostrae certitudinis in cognitionibus naturalibus. Non itaque omnis veritas mutuatur quoad cognitionem certitudinem a veritate, ut dicunt, *prima in essendo,* sed *prima in ordine cognitionis.*

Neque dicas, non supposito quod Deus nos decipere nolit, de cognitionibus etiam maxime evidentibus dubitare licebit. Etenim respondeo, licebit imprudenter et pervertendo ordinem omnium cognitionum naturalium, *conc.* secus *nego.* Si quis principiis naturalibus non steterit, necessario de omnibus dubitabit et in absolutum scepticismum labetur; quo cum pervenerit, cave ne, veluti lethali somno correptum, excitare contendas. Sed aget ne, quaeso, tunc rationabiliter? Poterit ne cum ipso de aliqua re disputatio iniri? Verum haec sunt indigna homine ratione utenti. Caeteras difficultates contra ultimum motivum certitudinis nostrae, utpote communes cum illis, quibus Sceptici media particularia certitudinis impugnant, in his quae sequuntur invenies.

ARTICULUS III.

DE SENSU INTIMO, SEU PRIMO PARTICULARI CRITERIO VERITATIS

44. Diversa ratio, qua animus seipsum considerat, duplicem constituit *sensum intimum* sive *conscientiam; directam,* dum se suasque affectiones tamquam concretum quid et per modum unius apprehendit e. g. *dolentem, existentem,* etc. *reflexam* vero, dum easdem affectiones a se ceu subjecto separat et vel-

uti formas quasdam ipsi tribuit, dum judicat e. g. *Ego sum existens, volens, gaudens,* etc. ex quo patet utriusque conscientiae objectum: directae scilicet, sunt simplices apprehensiones; reflexae autem judicia. De sensu intimo loquendo, intelligemus in posterum semper conscientiam *reflexam,* quae causaliter accepta ita definitur: *Vis animi nostri, qua reflectens super statum suum, se suasque actuales affectiones percipit.* Defendimus porro non probando, sed simpliciter tamquam quid per se notum asserendo, sensum intimum esse veritatis fontem circa *judicia immediata* quae et *facta interna* et *veritates primitivae* dicuntur, non autem circa *veritates derivatas* seu *judicia mediata,* quae ex primis illis ope legitimae ratiocinationis, in qua etiam suam firmitatem agnoscunt, deducuntur. Unde sequitur, sensum quidem intimum, istarum derivatarum cognitionum, sicut et caeterarum quarumcumque, dum actu in mente versantur, praesentiam nobis manifestare, quia scilicet animus est subjectum omnium nostrarum cognitionum; attamen non esse nisi in solis cognitionibus *internis primitivis* motivum seu rationem quare praedicatum illarum cognitionum conveniat subjecto. Hac distinctione principii manifestantis omnes cognitiones nostras, a motivo ultimo vel proximo certitudinis earum non facta, plerique philosophi ipsam evidentiam et prima rationis principia, ad intimum sensum tamquam ad primum vel proprium eorum motivum, revocarunt.

45. Judicia, quae sunt objectum sensus intimi, absoluta certitudine gaudere manifestum est; ipsi siquidem immoderati sceptici huic interno testimonio refragari non audebant. Nihil enim est adeo immediatum et intrinsecum animo, quam ipse ejusque affectiones; cum subjectum cogitans cogitatio et utriusque perceptio absolute identificentur, et unum idemque sint nobiscum qui cogitamus, existimus et utrumque percipimus. Omne igitur periculum illusionis ab intrinseco provenientis abest, dum hujusmodi judicia formamus; neque proinde potest dici tales perceptiones esse apparentias dumtaxat seu phaenomena, sicut vellent nonnulli impudentes Rationalistae sive potius Sceptici et Idealistae. Sed neque illusio ab extrinseco timeri potest; cum ope sensus intimi non de causa existentiae et affectionum nostrarum, sed de actuali utriusque praesentia judicamus. Tandem ipsa negatione vel dubitatione affirmatur existentia nostra. Hinc lepide ac ingeniose S. Augustinus sic Academicos urget (1): *Sine ulla phantasiarum*

(1) De civit. Dei *lib. II. cap.* 26.

Digitized by Google

vel phantasmatum imaginatione ludificatoria, mihi esse me *idque* nosse *et* amare *certissimum est. Nulla in his verbis Academicorum argumenta formido, dicentium: Quid si falleris? Si enim fallor, sum. Nam qui non est, utique nec falli potest.*

Ex dictis colligitur 1° cognitionem existentiae nostrae esse veritatem primitivam non vero derivatam , ideoque argumentum illud Cartesii: *Cogito, ergo existo,* non habere vim logicae illationis: quod ulterius etiam ostenditur, ex eo quod in omni ratiocinio ad id instituto, ut ex affectionibus nostris existentiae cognitio eruatur, praemissae semper supponant qnod esset probandum; et ex eo quod affectiones nequeant spectari tamquam effectus existentiae, ejus cognitionem non supponens; secus affectiones deberent spectari tamquam existentes in nihilo vel in subjecto mere possibili , quod repugnat. Neque potest dici cum Imre (1), ab affectionibus experimentalibus animum saltem excitari ad sui perceptionem, ut nempe valeat principium : *Omnia cum experientia, licet non ab experientia extrinseca.* Quomodo enim animns se nondum cognoscens, sentiet se nihilominus excitari ad sui perceptionem? nonne quaevis perceptio est actus vitalis?

Colligitur 2° eamdem cognitionem propriae existentiae animo essentialem esse et a quacumque alia cognitione independentem; cum enim animus sit sibi ipsi immediate applicatus, vis ejus activa nequit egere ullo antecedente determinativo, quo veluti ex potentia transeat in actum. Deinde, si animus quandoque seipsum non sentiret, nunquam sensum *sui ego* acquireret; cum nunquam posset hanc cognitionem ut *suam* apprehendere, sibique quem adhuc non cognosceret, tribuere. Inde infertur, quod et semper conscientia *directa* seipsum percipiat, et cum tali sensu *sui ego* creari debuerit.

46. Si opponeretur I°, sensum intimum non renunciare affectiones internas animi, quae accidunt e. g. in sanguinis circulatione aliisque actionibus continuis in corpus, nec ipsam perpetuam *sui ipsius* perceptionem ; ergo non esse fontem veritatum internarum; respondemus : ista omnia et horum similia, quamvis sint actiones vitales, non fiunt tamen cum sensibili immutatione status animi, hoc ipso quod supponantur esse continuae et per modum cujusdam naturalis et necessarii habitus perfici; ergo de

(1) *Metaph. purae,* tom. 2. part. 1. §. 3. et alibi.

Digitized by Google

his nec possumus nec debemus reflexam conscientiam habere, cum sub reflexionem non cadant.

Urgent. Saepe affectiones animi etiam sensibiles et transeuntes non distinguimus, de ipsis dubitamus, causam et naturam earum non cognoscimus; ergo, etc.

Resp. ad duo priora; et hoc ipsum indicat sensum intimum vera renunciare, *conc.* secus *nego*. Nam quando affectiones nostras non distinguimus, sensus intimus testatur nos confuse aliquid percepisse; quando de ipsis dubitamus, testatur nos debitam attentionem non posuisse, dum illae praesentes fuerunt. Quamvis confusionis et dubii diversae extrinsecae causae plerumque esse possint (1).

Ad 3^m^ et 4^m^ dico: haec non esse objectum sensus intimi; ipse enim manifestat existentiam affectionum, non autem unde proveniant, quomodo fiant aut in quo consistant.

47. Oppon. II°. Amentes, somniantes et recta ratione utentes saepe per sensum intimum decipiuntur: 1° Putant se habere diversas affectiones, quas saepe non habent e. g. se vigilare dolere vel dolorem esse in parte corporis laesa; cum tamen non vigilant frequenterque nulla causa doloris existit, et certum est aliunde, dolorem in animo, non in corpore laeso residere. 2° Contradictoria nequeunt simul esse vera; sensus intimus oppositum videtur docere e. g. in affectionibus oppositis frigoris et caloris, aliisque similibus.

Resp. *Nego ant.* Ad 1^m^, *Dist.* Putant se habere affectiones, quas saepe non habent, occasionaliter acceptas, *conc.*; formaliter *nego*. Amentes, somniantes et qui vivida admodum phantasia gaudent, affectiones e. g. vigiliae, doloris aliasque, si formaliter spectentur, sive prout in mente sunt, revera habent etiam dum dormiunt. Verum tunc error versatur circa occasionem earum, quod scilicet putent actu existere e. g. vulnus in corpore vel objectum actu esse praesens, sicut in mente exhibetur; aut

---

(1) Causa confusionis affectionum plerumque esse solet ipsa confusio externorum objectorum animum afficientium; sic confusio seu permixtio plurium rerum odoriferarum non nisi affectionem quamdam confusam odoris poterit exhibere. Similiter dubium circa aliquam affectionem plerumque ab animi anxietate procedit, respicitque potius qualitatem affectionis, quam ipsam eiusdem existentiam, e. g. circa dolorem de peccatis plerumque dubitamus, non an extet displicentia, sed an sit qualis esse debet, et ex motivo ex quo debet elici talis dolor,

quod ex quadam judicandi consuetudine affectionem ipsam ad locum occasionis transferant. Ast cum de objecto, seu occasione affectionis a parte rei ejusque loco, non ex sensu intimo, sed aliunde judicare debeamus, patet errorem provenire tantum ex praepropero judicio et reflexionis defectu, qui corrigi nequit in amentibus et somniantibus, at in aliis ex ipsorum culpa oritur.

Ad 2^m, Negamus contradictoria esse vera, vi testimonii sensus intimi. Nam ad veram contradictionem requiritur, ut sit affirmatio et negatio ejusdem de eodem sub eodem respectu; jam vero in quibusdam affectionibus, quas experimur, licet videantur contradictoriae esse, semper datur diversitas vel objecti vel modi vel actus. Quod autem spectat ad actiones objectorum externorum in corpus nostrum, licet hae forent contradictoriae, mutatio tamen facta in corpore ejusque occasione affectio exorta in animo, est quid reale et positivum, etiam dum objecti actio in mera consistit privatione, uti forte accidit in frigore relate ad calorem. Similiter nulla est contradictio in eo, quod sensus intimus renunciet plures quandoque affectiones simultaneas esse in animo; neque enim affectiones istae, utpote simplices, se invicem excludunt, neque ullam partitionem aut physicam compositionem in animo supponunt. Unde corruit difficultas quae ita solet (1) urgeri; vel una affectio totum animum occupat, et nullus relinquitur locus pro simultanea aliarum affectionum existentia; vel partem dumtaxat animi, et tunc animus haberet partes, essetque quid compositum.

48. Opp. III° Nulla ratio est, cur sensus intimus vera renunciet; vel si esset, oporteret haberi aliam conscientiam reflexam, qua constaret nos primum bene reflexisse et sic deinceps in infinitum, quod absurdum est; ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* et rationem additam. Diximus (n° 45) rationem reflexam, ob quam vera sunt judicia sensus intimi hanc esse, quod objectum perceptionis adeo cum ipsa identificetur, ut ne suspicari quidem prudenter liceat de veritate eorum judiciorum. Haec autem ratio major est omni probatione et nullis adversariorum cavillis subrui potest. Falsum denique est, aliam requiri conscientiam reflexam; cum prima reflexio se ipsam quoque sufficienter manifestet, sicut sol et corpora et seipsum eodem splendore videndum praebet.

---

(1) Vide *Institution. Philosoph. Lugdunen. tom.* 1. *Logicae Dissert.* 2. *Cap.* 1. *Art.* 4. §. 1. *proposit.* 1. in solut. difficultatum.

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

DE RATIONE IN GENERE

49. Ratio pro ipsa mente percipiente et intelligente accepta, cum sit principium omnium cognitionum nostrarum, nequit esse fons veri a quocumque alio distinctus. Eam itaque nunc spectamus ut *nobilissimam animi facultatem, qua et rationales sumus et a brutis vel maxime distamus.* Sic porro considerata, plura constitutiva involvit; nos, cetera ad metaphysicam remittendo, et fundamentum, scilicet tendentiam invincibilem in verum supponendo, investigabimus quae proprie ad logicam pertinent, nempe 1° Vim universalia et abstracta percipiendi; 2° Relationem quarumdam idearum immediate et mediate percipiendi; 3° Impulsum ad quaedam judicia ponenda, quae mores et vitam socialem praesertim respiciunt.

Tendentiam invincibilem in verum posse absque probatione supponi, patet vel ex eo, quod si quis contenderet, rationem nostram nos *per se* in errorem ducere, talis et brutorum sorte contentus esse et omni veritatis inquisitioni valedicere deberet (1).

50. Mentem nostram gaudere facultate reflectendi et abstrahendi, ac proinde ex ideis singularibus universales sibi efformandi, intima experientia luculentissime probat et de hoc nulla fit quaestio. Verum Nominales cum Abaëlardo inter veteres, quos sequuntur ex recentioribus Hume, Berkeley aliique, universalia tantum *nomina* esse, non autem *ideas* dixerunt. Hobbes et Spinosa eas esse confusam dumtaxat plurium individuorum apprehensionem docuerunt. Beguelin vero, arbitrarios tantum seu chimaericos conceptus esse commentus est. Cum ipso sentire videtur Condillac, qui in sua logica genesim istarum idearum repetit ex limitatione mentis nostrae et ex necessitate plura eodem vocabulo exprimendi, ubi quoque, ut sapienter in eum animadvertit D. De Bonald (2), confundens per summum ne-

---

(1) Id optime urgeri quoque potest contra La Mennais qui in opere superius memorato non exhorruit asserere et pag. 41. *la raison nous ordonne de douter de tout; mais la nature le défend*; et pag. 100. *contraint de douter de tout et de lui-même, sa raison l'entraîne invinciblement dans le pyrrhonisme absolu; de sorte que la plus noble de ses facultés lui seroit une cause de mort.*

(2) Législatio. primit. *liv.* 2. *chap.* 20. Dissert. in fine.

Digitized by Google

fas idearum universalitatem, seu summam unitatem, cum mera collectione individuorum et quacumque abstractione, ideas suas abstractas brutis etiam tribuere non dubitat; dum interim ideae universales etiam per abstractionem efformatae sunt nota certissima nostrae rationalitatis. Vide dicta (1) superius.

51. Primos de errore evidenter convinces vel ex eo tantum, quod intima experientia constet dum hujusmodi universalia vocabula proferuntur duos in mente nostra exoriri conceptus; quorum unus exhibet sensibilem vocis articulationem, alter significationem vocabulo subjectam; et quod sine hujusmodi universalibus vocabulis pleraeque enunciationes sensu destituerentur; nec non ex ingenti discrimine inter eum qui vocabula universalia intelligit et qui non intelligit.

Error Hobbes, et Spinosae corruit; comprehensio enim in his ideis determinatur per has, et non alias proprietates; ergo non est confusa. Unitas indivisibilitatis et immutabilitatis ejusdem universalis conceptus, quatenus nempe notae ipsum constituentes per modum unius *esse* spectatae, semper eaedem remaneant utcumque individua mutentur, suadet ipsum ab eorum collectione esse independentem; quin imo, cum ideae hujusmodi omnem prorsus sensibilem imaginem excludant, et in ideis complexis seu collectivis e. g. *mundi, civitatis, exercitus*, etc. quamvis sint et ipsae quoad aliquid distinctae, semper aliqua sensibilis imaginis repraesentatio habeatur ac proinde quaedam apprehensio in confuso, patet illos conceptus seu potius simplicissimas notiones, non solum ab his toto genere differre, verum etiam esse opus solius dumtaxat intellectus. Extensio denique conceptus universalis est quidem indeterminata, utpote ad omnia etiam possibilia se porrigens; at valde differunt *indeterminatum* et *confusum*. Inadaequate tantum extensionem istam percipimus; infinita enim possibilia nequeunt comprehendi. At inadaequatus objective conceptus potest esse distinctissimus.

Beguelin et Condillac turpiter errant. Etenim licet sit in potestate et arbitrio animi, hunc potius quam illum conceptum magis minusve universalem, hoc potius prae illo modo efformare, semper tamen nequit concipere aliquid, quod vel rerum naturae vel intrinsecae possibilitati adversatur. Sic nunquam ideam e. g. *hominis* sine rationalitate, *lineae rectae* in orbem redeuntis

(1) *Parte* 1. *articul.* 1. *n.* 3.

Digitized by Google

poterit efformare, nec pro lubitu efficere ut pro diversitate comprehensionis non sit quoque diversa extensio.

62. Nec juvat opponere in subsidium Nominalium: universale non existit, ergo nequit concipi, ergo universalia sunt tantum *nomina*: etenim distinguimus antecedens; non existit sicut apprehenditur, *conc.* quasi in individuis sub diversis proprietatibus non contineretur, *nego*. Cum quidquid existit, semper individuantibus proprietatibus gaudeat, patet non existere animal e. g. quod non sit nec bos, nec equus, etc. sed hoc non officit quominus mens, *sensum* et *vitam* per modum unius spectando, illud possit apprehendere velut quid commune pluribus cum fundamento in re.

Tandem ex eo quod in efformatione ideae universalis per abstractionem quaedam dumtaxat individua considerantur, non sequitur eam tantum ad illa se extendere, ac proinde non esse revera universalem. Nam aliquorum individuorum consideratio est requisitum dumtaxat, seu conditio, non autem objectum hujusmodi ideae, quae posita abstractione a notis individuantibus, statim acquirit extensionem illimitatam sese porrigentem ad omnia prorsus individua ejusdem naturae, contenta sub simplicissima unitate intellectualis conceptus excludentis omnem determinationem, quae a sensibilitate vel ab imaginatione solet conceptibus singularium objectorum, aut eorum collectionis admisceri.

ARTICULUS V.

DE VI RELATIONEM IDEARUM IMMEDIATE PERCIPIENDI, SEU DE PRIMIS RATIONIS PRINCIPIIS

63. *Idem nequit simul esse et non esse*; *bis duo praebent quatuor*, etc. sunt principia rationis immediate evidentia et *a priori*, quamvis esse aliquid immediate evidens et a priori latius ad invicem pateant, ut colligitur ex numero 39. et ex eo, quod ad hoc ut veritas aliqua sit a priori, sufficiat naturam subjecti requirere aut respuere tale praedicatum.

Principia prima rationis sunt opus immediatum intellectus, nobilissimae scilicet portionis nostrae rationalitatis et fundamentum earum cognitionum, quas ope legitimae ratiocinationis aliisque adminiculis acquirimus. Nisi enim eorum certitudo perspecta haberetur, omnes scientiae nutarent, ideoque illa men-

Digitized by Google

tibus nostris provide impressa fuerunt a natura tamquam faces, quae cetera suo splendore detegerent, sicut ait Pallavicinus (1). Hic autem non abs re erit advertere discrimen inter *principia* et *axiomata*, quod sapienter innuit Stewart (2), ubi observat, per *principium* proprie intelligi *datum* quoddam (sive fuerit factum sive hypothesis) ex quo deducitur series ratiocinationum, quarum rectitudo formalis nunquam compensare potest illius dati falsitatem: per *axioma* vero illas veritates elementares intelligimus, sine quibus progressus in ratiociniis foret impossibilis, e. g. *Quae conveniunt uni tertio* etc. A principiis itaque demonstrationum *materialis* veritas, ab axiomatibus *formalis* dependet; quamvis in quaestionibus maxime abstractis axiomata nonnunquam principiorum vices gerant. Confer dicta alias (3).

54. Principia haec absolute certa esse, per se patet; nec revera potest probari, sed simpliciter declarari. In primis animus, inspecta natura subjecti et praedicati eorum, ad sic et non aliter judicandum, licet invitus, naturaliter impellitur; ea, quocumque idearum examine peracto, semper eamdem firmitatem retinent, nulla temporum vicissitudine obliterantur, mediis in praejudiciis, pravis opinionibus, aliisque animi nostri inordinatis affectionibus, quocumque demum tempore vitae, aeque ad assensum animum rapiunt: haec autem omnia licet, ut dictum est, stricte non probent, adeo tamen vehementer eorum principiorum realitatem suadent, ut si quis de ipsis vellet etiam subdubitare, gravissimam propriae rationalitati violentiam inferret.

Quae in contrarium opponi solent, sunt mera sophismata; nec nisi exercitii gratia potest objici, in primis directe; falsa esse praesertim aliqua eorum principiorum. Deinde indirecte ex limitatione mentis nostrae, et aliunde id ipsum potest quis contendere.

55. Dicunt itaque primo. Principium identitatis: *Quae conveniunt uni tertio*, etc. falsum esse scimus ex fide; nam Personae divinae conveniunt cum Natura divina, et tamen non conveniunt inter se.

Resp. *Dist.* sensum axiomatis: Quae conveniunt, etc. sub eo respectu sub quo conveniunt uni tertio, *conc.* sub omni

---

(1) *De bono* cap. 74.
(2) *Elem. de la phil. de l'Esprit hum.* tom. 3. chap. 1. sect. 1.
(3) Parte 1. Articul. 4. n. 27.

Digitized by Google

prorsus respectu, *subdist* : si comparatio fuerit adaequata, *conc.* si tantum inadaequata, *nego*; ad veritatem hujus axiomatis non est opus, ut convenientia duorum uni tertio sit semper adaequata et sub omni respectu, dummodo illatio mutuae convenientiae non excedat convenientiam cum uno tertio. Haec inadaequata convenientia locum habet etiam in casu praesenti. Nam Personae divinae, sub quo respectu conveniunt cum Natura divina, conveniunt etiam inter se, scilicet quod habeant unam eamdemque Naturam : in Personis vero utpote relative oppositis non identificantur ad invicem; ergo neque conveniunt; ergo distinguuntur ad invicem.

Dicunt iterum : in mundi creatione omnia ex nihilo facta sunt, ergo falsum est principium: *Ex nihilo nihil fit.*

Resp. *Dist.* sensum : ex nihilo, tamquam ex subjecto nihil fit, *conc.* ex nihilo, seu a nihilo tamquam termino nihil fit, *subd.* virtute finita, *conc.* infinita, *nego.* Verissimum est, quod nihilum nequeat esse subjectum alicujus actionis, velut e. g. marmor fit subjectum statuae, cum significet privationem sive potius negationem omnis rei; potest tamen esse terminus *a quo*, id est, potest aliquid de simpliciter *non esse* transferri ad *esse*, sed virtute tantum infinita, cum inter *esse* et simpliciter *non esse* infinita adsit distantia, sicut alibi videbimus.

56. Quae ex limitatione rationis nostrae possunt opponi innuimus n° 42; hic addimus tantum, quod rationem nostram esse essentialiter finitam duo significet : 1° defectum ulterioris perfectionis, quatenus necessario debeant esse plura, quae ejus vim cognoscendi excedunt, non autem quatenus ad nulla prorsus sese extendit. Etenim hoc ipso quod sit finita, habet proportionem ad cognoscenda saltem ea quae sunt finita: 2° *finitam* dici rationem nostram ad discrimen rationis infinitae, non autem quasi differentia haec negativa esset quoddam constitutivum reale et positivum essentiae rationis nostrae; cum essentia sita sit semper in aliquo positivo, a quo etiam metimur vires cujuscumque entis. Hinc patet, quid foret respondendum objicienti, quod limitatio nostrae rationis, utpote essentialis, debeat esse causa erroris in omnibus.

57. Opponunt demum. Ut principia rationis essent absolute certa, deberet mens percipere relationem idearum realem; atqui hoc fieri nequit; 1° quia nemo certus est, res tales esse in se, quales sunt in ideis; 2° quia ipsam idearum naturam ignoramus.

Digitized by Google

Resp. *Dist. maj.* deberet, etc. realem formaliter, *conc.* objective, *subdist.* reflexe, *conc.* directe, *nego*; et ex opposito distincta minore, dico, principia, de quibus sermo, esse abstracta et a rerum existentia praescindere; hinc ut absolute certa dicantur satis est, si mens deprehendat relationem idearum formaliter realem, id est, qualis datur inter ipsas ideas. Quia vero in hisce principiis semper de subjecto aliquid enunciatur, quod pertinet ad ejus essentiam, patet reflexe etiam objectivam realitatem adesse; sic ex quo in abstracto certus sum, totum esse sua parte majus, recte infero etiam a parte rei nullum existere totum, quod non sit sua parte majus. Ideae universales, quas haec principia involvunt, praescindunt ab existentia rerum; ergo in ipsis sola relatio formaliter realis attenditur. Falsum quoque est, non posse aliquem certum esse, res tales esse sicut in ideis exhibentur; hoc enim praestat debita sensuum ad observandum applicatio. Pariter non est opus, ad relationes idearum recte apprehendendas, cognoscere idearum naturam, hoc est, in quonam sitae sint, quomodo in animo recipiantur, aut quamnam originem habeant.

Urgent: omnes ideae nostrae a sensibus pendent; ergo etiam principia ista erunt experimentalia et a posteriori: principia autem a posteriori absoluta certitudine non gaudent.

Resp. *nego.* vel *trans. antec.* et *nego conseq.* Transmittimus antecedens; licet enim omnes ideae a sensibus *remote* penderent, duplex nihilominus principiorum genus admittendum foret: sic quamvis e. g. idea totius et partis, nonnisi ope sensuum acquireretur, excessus tamen totius supra partem solo intuitu relationis idearum cognoscitur (1), non vero ab experientia et inductione desumitur, sicut accidit in principiis a posteriori: ergo etiam universalitas, necessitas et veritas illius principii non pendet ab experientia, sicut vellent Kantiani. Falsum tamen est, omnem ideam ab experientia sensuum pendere, ut post Loke contendunt omnes Sensistae; nam idea nostri *ego*, ut vidimus n° 45, ideae quoque *veri, boni, honesti, justi*, etc. in genere, nulla prorsus ratione a sensibus pendent; quin imo (quod dictum sit contra Materialistas) ipsae ideae universales per abstractionem factae sunt opus solius intellectus et nonnisi occasionem remotam a sensibus repetunt, ut ex earum genesi et

(1) Vide superius dicta, loco in praecedenti nota indicato.

ex n° 51 et 52 luculenter colligitur. Quod diximus de ideis *veri*, *boni*, etc. in Psychologia probabitur; hic vero juvat dumtaxat advertere subdolam agendi rationem hujusmodi Sensistarum, qui licet aeque Cartesianorum ac Peripateticorum placita omni conatu respuere atque ipsam docendi methodum prorsus convellere adnitantur, principium tamen illud scholae peripateticae, *nihil est in intellectu, quod non fuit in sensibus*, suum fecerunt, vehementerque adamarunt; non alia sane, ut videtur, ratione nisi ut teterrimo materialismo (quod intellige de Sensistis malae fidei) facilem aditum aperirent; unde etiam ortum suum agnoverunt nefanda systemata, omnes animae nostrae facultates ad sensibilitatem et hanc ipsam ad variam corporis organisationem, nervorumque ac fibrillarum motum reducentia: sed de hoc alias.

ARTICULUS VI.

DE VI RELATIONEM IDEARUM MEDIATE PERCIPIENDI, SEU DE CERTITUDINE CONCLUSIONIS

58. In omnibus ratiociniis, quibuscumque propositionibus coalescant, formalis veritas conclusionis a principiis identitatis et discrepantiae dependet; materialis autem a natura propositionum in se desumenda erit. Si enim ambae praemissae in se spectatae fuerint *a priori*, erit quoque materialis veritas conclusionis a priori e. g. totum est majus sua parte; atqui genus est totum, species sunt partes; ergo genus est majus qualibet specie sua: tale ratiocinium vocatur *purum*. *Mixtum* erit quando alterutra praemissarum fuerit *a posteriori* et tunc conclusio, materialiter spectata, erit quidem metaphysice, sed *hypothetice* tantum certa e. g. figura habens quatuor latera aequalia, est quadratum; atqui haec tabula habet quatuor latera aequalia; ergo est quadratum: cum minor sit experimentalis, in hypothesi tantum ejus veritatis intrinsece repugnabit, ut haec tabula non sit quadratum. Ratiocinium *empiricum* constituunt ambae praemissae *a posteriori* e. g. in terram projecta semina fructum adferunt; atqui nunc projiciuntur semina in terram; ergo fructum adferent: conclusionis veritas materialis non excedet physicam certitudinem praemissarum. Idem dicatur de conclusione, si utraque aut alterutra praemissarum foret probabilis tantum.

Digitized by Google

Prima et ultima ratiociniorum denominatio, pendet a distinctione judiciorum, seu cognitionum nostrarum in *empiricas* et *rationales* stricte tales seu *puras*, quae a sola mente, ut rationali, efformantur et etiam a *simpliciter intellectualibus* solent discriminari. Ad intelligendos autem philosophos, praesertim germanos, advertendae sunt quoque aliae cognitionum divisiones in *analyticas* et *syntheticas*, *theoreticas* et *practicas* etc. quae omnia non sunt confundenda cum *ratione theoretica* et *pura* a Kant invecta, diversisque formis intellectualibus quas *categorias* nominat et de quibus alibi loquemur. Itaque philosophi hujusmodi judicia seu cognitiones vocant *simpliciter intellectuales* e. g. circa genera et species, easque a *pure rationalibus*, quae in Mathesi e. g. versantur circa aequalitatem linearum, angulorum, etc. distinguunt: quatenus illae supponunt aliquod fundamentum in praecedentibus perceptionibus sensibilibus vel empiricis, istae autem nequaquam, suntque *pure rationales. Analyticae* dicuntur cognitiones, in quibus ex ipsa analysi subjecti eruitur ratio tribuendi illi praedicatum; *syntheticae* e contra, quando velut ab extrinseco praedicatum adjicitur subjecto; ideoque analyticae cognitiones sunt semper a priori, syntheticae a posteriori: unde falsitatis arguitur nonnullorum doctrina a Kant mutuata, dari scilicet aliquas cognitiones a priori, quae tamen sunt syntheticae e. g. $7+5=12$, *mundum habere initium*, *in mutationibus corporeis nullam materiae partem perire*, etc. non enim, sicut adversarii fieri supponunt, in primo judicio convenientiam detegimus per successivam additionem numerorum $7+1+1+1$, etc. sed ex ideis numeri 7 et 5 jam efformatis et ad invicem collatis aequalitatem cum 12 inferimus; sicut nec per additionem alicujus extrinseci conceptus, sed ex natura contingentiae mundi, ipsum debere habere initium, et ex natura perfecti interitus seu annihilationis, ad quam praestandam mutationes viresque corporum minime sufficiunt, nullam partem materiae in permutationibus rerum corporearum revera perire detegimus. Illa judicia cognitiones *theoreticae* vocantur, quae solum veritatis intuitum pro objecto habent e. g. *Existit Deus; practicae* vero, quae operationem respiciunt e. g. *Deus est colendus*: unde etiam *ratio theoretica* et *practica* significationem et denominationem accipit. De his omnibus videatur Imre (1).

---

(1) Tom. II. Introduct. et parte 1. *Metaphys. purae.*

Digitized by Google

59. In omnibus porro hisce ratiociniis formalis veritas est metaphysica; posita enim legitima applicatione principiorum identitatis et discrepantiae, absolute repugnabit conclusioni falsum subesse, cum hujusmodi principia aeque ac principium contradictionis omne erroris periculum excludant.

Praeterea tamquam certum habemus, posse nos ratiocinando invenire veritatem prius a nobis incognitam, quod et ex natura ipsa demonstrationis, quae secus foret mera declaratio, et ex progressu scientiarum, nec non ex quotidiana, ut ita dicam, experientia eorum, qui severioribus disciplinis operam navant, evidenter colligitur.

Nec moramur iis, quae auctor quidam recens congerit in contrarium, videlicet non posse quaeri quod non cognoscitur, quia ignoti nulla cupido: animus inveniendo veritatem incognitam eam crearet et sic esset e. g. Deus, inveniendo notionem Dei: veritas est aeterna et omnis veritas quae inveniretur, aut jam ab antecessoribus nostris cognoscebatur vel in principiis unde deducitur includebatur (1); ergo non est nova.

Resp. ut quaeratur veritas incognita, sufficit radicalis quaedam et implicita ejusdem cognitio et sic non quaeretur aliquid absolute ignotum. Nova veritatis cognitio nec subjective nec objective importat eductionem alicujus rei *ex nihilo sui et subjecti*; ergo nullam creationem. Veritas quidem in se est aeterna, sed cognitio ejusdem potest esse et est plerumque, saltem *relate ad nos* nova, ideoque parum refert, quod alii eam antea cognoverint. Nexus vero principiorum cum veritate quaesita non officit, quia novitas cognitionis in ipso hoc nexu detegendo consistit.

Hoc posito, assertionem nostram sic enunciamus: *Ratiocinio formaliter et materialiter recto potest acquiri cognitio veritatis prius incognitae, et conclusioni inde deductae falsum subesse non potest, juxta naturam principiorum ratiocinii materiam constituentium.*

60. Assertionis pars altera, quin probetur aut possit probari, inde elucet, quod de formali veritate recte instituti ratiocinii dubitare non liceat, quin de ipsis primis rationis principiis dubitemus. Materialis veritas ratiocinii facile deprehenditur; nam

(1) Vide quomodo haec dicta discipuli congruant cum verbis magistri et antecessoris De La Mennais *Essai sur l'indifférence en matière* etc., tom. 2. pag. 108. et 109.

Digitized by Google

et qui ratiocinatur tenetur et cui ratiocinando aliquid ostenditur, potest et debet exigere, ut modus assignetur, quo veritas praemissarum ex aliquo judiciorum fonte descendit. Tota igitur praesens quaestio ad hoc reducitur, quomodo nempe constet nobis nos recte ratiocinatos fuisse; at regulae (n° 19) expositae vel sunt immediate evidentes vel proxime reducuntur ad principia identitatis et discrepantiae : earum itaque applicatio probatione non eget. Deinde cum regulae istae sint practicae non speculativae, eas in casu particulari recte applicatas fuisse, nosque ad id debitam attentionem fecisse, est factum nobis internum, cujus certitudinem simplex reflexio ad regulas illas et nosmetipsos sufficienter manifestat. Hinc vero facile in primis dissolves omnes illas difficultates, quae ex abusu ratiocinii peti solent.

61. Dicunt enim I° quovis tempore ratiocinando plures deceptos fuisse; nihil tam certum esse quod impugnari, nihil tam falsum quod propugnari ope ratiocinii nequeat; quod modo ratiocinando verum esse concludimus, id plerumque ut falsum deinceps rejicimus. Idipsum suadent infinitae propemodum philosophorum contentiones.

Resp. *Dist.* et haec omnia evenerunt et eveniunt ex ratiocinio recte instituto, *nego* : secus, *conc.* vel *trans.* Fatemur quidem, ratiocinia non recte instituendo, plures quovis tempore hallucinatos fuisse, sed hoc non est ad rem. Ostendant adversarii, quod ex ratiocinio formaliter et materialiter vero haec omnia sequantur et tunc aliquid conficient. Insuper absolute falsum est, quod secundo loco ponitur; proferant enim, si valent, aliquod sophisma, quo apparenter saltem aut impugnent veritatem alicujus principii a priori, aut defendant aliquid illi contradictorium. Philosophorum contentiones originem habent non ex eo quod dubitent de certitudine legitimae conclusionis, sed quod in conficiendis demonstrationibus a principiis dubiis vel tantum probabilibus frequenter proficiscantur.

62. Opponunt II°. Nequit prorsus constare de veritate rectae ratiocinationis; id enim fieret ope ratiocinii ac proinde committeretur circulus vitiosus.

Resp. *Nego ant.* et probationem. Quae dicta sunt (n. 59 et 60) satis ostendunt, quibusnam fundamentis conclusionis certitudo innitatur, neque hoc exponendo circulum vitiosum admittimus; non enim ratiocinando assumptum probamus, sed tantum ob oculos ponimus ea, quae per se nota sunt, quaeque sine ab-

Digitized by Google

surditate in dubium revocari non possunt ; ac proinde sine probatione admitti debent.

Urgent 1°. De conclusionis veritate semper dubitare possumus : 1° ob fallibilitatem nostrae memoriae, quae in ratiocinando potest nobis suggerere notiones falsas ; 2° quando de eadem quaestione fit controversia, ex sola rectitudine ratiocinii nunquam determinabitur, uter contendentium melius ratiocinetur, nisi recurramus ad auctoritatem aliorum, ergo etc.

Resp. *Nego ant.* Ad 1^m probationem, *Dist.* memoria potest suggerere, etc. nisi adhibeatur debita attentio et reflexio, *conc.* secus, *nego.* Quando ratiocinamur ex ideis vel principiis, quae animo sunt actu praesentia, locum non habet memoria proprie dicta seu accepta pro facultate recognoscendi ideas earumque nexum. Quod si revocandae forent aliquae cognitiones alias habitae, posita reflexione super nos constare poterit, an eas eodem nexu, ordine et perspicuitate apprehendamus, quo olim fuerant apprehensae (1).

Ad 2^m probationem, *Neg. ant.* et rationem additam, in sensu explicando. Nisi quaestio quae agitatur, ad fidem et mores pertineat (in his enim dirimendis ad Ecclesiam fidei magistram infallibilem semper recurrendum est) in aliis quibuscumque quaestionibus mere philosophicis, ille contendentium verum assecutus censendus erit, qui assumptum suum solidis et ex debito fonte depromptis rationibus probat. Nec obstat, alium quoque existimare se solidis aeque rationibus non destitui ; nam earum debilitas aut fallacia ipsa per se de animi pertinacia vel partium studio illum arguet, cordatosque homines ab ejus sentententia retrahet. Vide quae diximus (2) alias. Nec multum prodesset, te ab aliis de tua demonstratione consilium petiisse (quod profecto utile est in rebus praesertim difficilioribus) ; forte enim et adversarius tuus magna vel etiam majori quam tu, erit stipatus caterva suam opinionem approbante.

(1) Haec si animadvertisset De La Mennais non iam universaliter asseruisset, loco superius memorato pag. 19. et 20. *lorsque nostre esprit compare, infère, conclut, que fait-il que mettre en oeuvre les matériaux que lui fournit la mémoire ? . . . . . nous ne saurions nous assurer que nos réminiscences ne sont pas de pures illusions . . . . Ainsi nous n'avons aucune certitude que la mémoire ne nous trompe point.*

(2) Artic. II. n. 42. ad oppositionem II.

Urgent II°. Ratiocinia pura nullam cognitionem realem animo praebent; empirica nihil certi suppeditant: illa enim ex mere abstractis et idealibus, haec vero ex principiis experimentalibus coalescunt. Deinde, naturale est animo nostro prius singularia quam universalia cognoscere et veritas universalium pendet a singularibus, non vice versa; in ratiocinio autem oppositum accidit.

Resp. ad 1^m, *Nego* utrumque. Rationes additae nihil valent; cognitio realis non solum illa dicitur, quae respicit objectum existens, sed etiam quae pro objecto habet notas compossibiles; per hoc enim opponitur nihilo et chimaericis ac arbitrariis conceptibus; tales autem cognitiones praebent ratiocinia pura; in empiricis porro, materialis certitudo conclusionis physica erit, juxta naturam praemissarum.

Ad 2^m, *Dist.* 1^m *partem*: Naturale est animo, etc. in quibusdam ideis efformandis, *conc.* in ratiocinando, *nego. Dist.* 2^m *partem*: Veritas universalium pendet, etc. in principiis a posteriori et inductione, *conc.* a priori, *nego.* Et haec postrema distinctio patet ex n° 57: non eadem est ratio progressus in ratiocinando et in quibusdam ideis universalibus efformandis. Cum enim, ut in loco nuper indicato monuimus, non omnes ideae universales fiant per abstractionem, ac proinde singularium cognitionem praesupponant, jam hoc ipso, ex principio isto universali e. g. *suum unicuique est reddendum* a sensibus et experientia independenti, poterit optime inferri notio haec particularis, scilicet fures obligari ad res ablatas restituendas (1). Quamquam hoc locum etiam habeat in ratiociniis empiricis, ubi praemissae certitudinem suam non mutuantur ex enumeratione casuum singularium, sed a principiis: *praeteritum est simile futuro; causae similes producunt effectus similes*, in quibus fundatur constantia legum physicarum.

Haec postrema animadversio ostendit, non fieri circulum vitiosum, sicut quidam vellent, ex eo quod certitudo physica dicatur (n° 36) fundari in constantia legum physicarum et quod haec ipsa constantia sit physice certa. Etenim constantia legum

(1) Potest etiam adverti, falsum esse, dum ratiocinamur, semper aliquid ex universalibus principiis inferri; syllogismus enim potest constare solis propositionibus singularibus e. g. Maria est mater Christi; atqui Christus est Deus; ergo Maria est mater Dei.

physicarum in genere est metaphysice certa, utpote fundata in nuper memoratis principiis, ad quae, ut vult Pallavicinius (lib. *De bono*) tamquam certa habenda, ab ipsa rationali natura impellimur; vel in ipsa divina sapientia, quae non potest sinere continuam harum legum mutationem: secus et inordinatio constans in rerum natura adesset, et nullam fixam normam actiones suas moderandi homines haberent; quod utrumque sapientiae auctoris naturae adversatur, praebetque motivum metaphysicae certitudinis pro constantia legum physicarum in genere. Quod vero eventus earum legum in particulari sint tantum physice certi, non officit; quia hoc innuit dumtaxat, talem esse constitutionem legum physicarum, ut in casu particulari exceptionem quandoque habere valeant.

ARTICULUS VII.

DE IMPULSU NATURAE RATIONALIS AD QUAEDAM JUDICIA PONENDA, SEU DE SENSU NATURAE COMMUNI

63. *Vis illa, qua homines rationis usum assecuti impelluntur ad quaedam judicia ponenda, quae mores et vitam socialem praesertim respiciunt*, appellatur *Sensus naturae communis.* Constat enim omnium saeculorum experientia et ex monumentis antiquitatis, apud diversas nationes viguisse quaedam constantia uniformia et communia judicia e. g. *suum unicuique esse reddendum*, *aliquod Numen existere*, etc. Haec autem judicia neque ab educatione, neque a praejudiciis, opinionibus, spe aut timore, neque demum ab auctoritate aliorum ortum habuisse manifestum est, cum omnes istae causae pro diversitate regionum, aetatum, conditionum variae sint; restat igitur ut ab ipsa rationali natura, quae in omnibus constanter et uniformiter est eadem, proveniant: non eodem tamen modo quo veritates immediate aut mediate evidentes, a rationali natura derivantur. Nam relate ad omnes vel saltem ad maximam hominum partem, judicia haec veritatem suam immediate intuitu non manifestant et in iis etiam hominibus deprehenduntur, qui subtilia ratiocinia nunquam instituerunt; sed ex caeco quodam et necessario impulsu haec judicia nascuntur, ita ut, etiamsi homo practice alia agat, speculative tamen, ad sic et non aliter in communibus hisce notionibus judicandum impella-

Digitized by Google

tur. Atque hinc sumi potest argumentum veluti a priori ad probandum debere dari talem propensionem seu impulsum nostrae rationis; Deus enim et natura, sicut nihil frustra operantur, ita non desunt in necessariis. Jam vero, quia veritates aliquae ad vitam rationalem recte instituendam maxime necessariae e. g. *existere aliquod Numen, ipsum esse providum, dari aliam vitam post praesentem,* etc. non sunt objectum sensus intimi, sensuum externorum aut humanae auctoritatis, et aliunde immediato rationis intuitu non percipiuntur, nec ope ratiocinii a maxima hominum parte detegi valent; jam, si talis rationis impulsus seu medium eas cognoscendi non haberetur, natura deesset in necessariis; non secus ac frustra aliquid operaretur, si de veritatibus aliorum criteriorum e. g. de existentia nostri *ego*, solis etc. suadente ipsa ratione, deberemus ope hujus impulsus judicare.

64. Judicia haec absoluta certitudine gaudere evidens est. Etenim cum ex una parte sint communia, constantia et uniformia et ab invitis etiam pectoribus erumpant, ex alia vero parte a natura rationali, cujus est nos in verum ducere, procedant; si falsa forent, jam constanter, uniformiter et invincibiliter rationalis natura nos in errorem *per se* impelleret, quod repugnat; esset enim simul rationalis et non rationalis, deficiendo a munere suo: ergo sine aperta contradictione, etiam objectiva certitudo horum judiciorum nequit in dubium revocari. Nam si vel semel admittatur, rationalem naturam *per se* nos in errorem trahere aut posse nos dubitare de veritate judiciorum, quae ipsa duce feruntur, de omnibus aeque dubitandum et ad absolutum scepticismum perveniendum erit, quod totam destruit rationalitatem nostram.

65. Sed apprime distinguendus est *sensus naturae communis* 1° a simplici *Consensu communi:* ubicumque enim adest *sensus communis*, adest etiam *Consensus*, sed non vice versa; cum et de immediate per rationem cognitis principiis consensio habeatur et non repugnet consensionem cum errore sociari, si aliunde quam a natura rationali oriatur; dum nimirum aut ex solo numero ita judicantium aut ex apparentibus sensuum relationibus, aliisque animo praeconceptis opinionibus, aut perversa majorum institutione aut sine aliis debitis requisitis judicium feratur, sicut accidit circa motum solis, non existentiam antipodum; etc. 2° ab *Auctoritate universali,* quam nonnulli ven-

Digitized by Google

ditant. Haec enim revera non existit et ex mente istorum auctorum se deberet extendere ad omnem prorsus cognitionem nostram, tamquam regula generalis et unica sicut vidimus (1); unde multum differt a sensu naturae communi, cujus objectum sunt judicia, quae sensu intimo, immediato vel mediato rationis intuitu aut sensibus externis non comparantur. Praeterea humana auctoritas, ut videbimus, proprio sensu accepta, ad facta sensibilia tantum se porrigit et essentialiter praesupponit certas aliquas rationales cognitiones ab hac auctoritate independentes.

66. Opponunt I°. Nulla sunt hujusmodi judicia communia constantia et uniformia; 1° Plures semper extiterunt athei. 2° Plerique populi nefandissima scelera contra prima moralitatis principia perpetrabant e. g. parentes inhonorando, furtum permittendo, etc. ergo.

Resp. 1° Argumentum non esse directum; nos enim nunc supponimus talia judicia extitisse; nec de aliquo eorum in particulari agimus, sed tantum de motivo certitudinis.

Resp. 2° *Nego ant.* et 1^{m} probationem, eam intelligendo de atheis proprie dictis. Etenim, ut jam suo tempore Tullius animadvertit: *Multi de iis (diis) prava sentiunt; id enim vitioso more effici solet*; *omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur* (2). Quod si sermo esset de atheis improprie dictis, seu iis, qui ita perverse vivunt, ac si Deus vindex scelerum non haberetur, vel qui verbis asserunt, se non impelli a natura rationali ad judicandum existere Numen aliquod, ipsis cum Seneca respondendum erit: *Mentiuntur qui dicunt, se non sentire Deum: nam etsi tibi affirmant interdiu, noctu tamen et soli dubitant* (3). Insuper notetur, certitudinem horum judiciorum nos non desumere ex numero ita sentientium, sed ex impulsu rationalis naturae; ideoque non est opus contendere, apud omnes homines, nullo excepto, ea extitisse. Sed de his uberius, ubi de Numinis existentia agemus.

Ad 2^{m} probationem dico, scelera enumerata non probare, illos populos ignorasse prima moralitatis principia. 1° Quia haec scelera plerumque proveniebant ex apparenti quadam collisione

(1) *Hujus partis* articul. II. n. 40. et 42. Urgent.
(2) *Tusculan. quaest.* l. 1. c. 13.
(3) *De ira* l. 1.

Digitized by Google

notionum vel prava applicatione notionis generalis ad casum particularem. 2° Quia impulsus rationalis naturae ad ista judicia ponenda, respicit intellectum; et voluntas libera semper manens, potest a dictamine intellectus recedendo, ad nefandissima crimina hominem pertrahere, praesertim corruptione morum et pravis aliorum exemplis subsidium ferentibus (1).

Urgent I°. Judicia haec licet communia, possunt esse falsa et de facto talia inventa sunt e. g. circa non existentiam antipodum, motum solis, polytheismum, etc.

Resp. *Dist. ant.* Judicia haec, etc. si non proveniant ab impulsu rationalis naturae, *conc.* secus, *nego.* Distinctionis ratio ex n. 65 patet. Exempla allata non sunt ad rem, cum hujusmodi judicia non spectent ad sensum naturae communem; sed ob apparentes rationes duo prima ferebantur, aliud praecipue ex corruptione morum originem traxit et naturae rationalis vocem semper sibi oppositam habuit.

Urgent II°. Etiam quae proveniunt ab impulsu rationalis naturae possunt esse falsa; non enim repugnat universalis inclinatio rationis in falsum, sicut non repugnat propensio voluntatis in malum.

Resp. *Nego ant.* et probationem; siquidem utrumque repugnat. Constat enim intima et universali omnium hominum experientia, dari in nobis naturalem tendentiam in verum et in felicitatem, sub indistincta ratione boni cujusdam perfecti; ergo si in nobis daretur etiam naturalis tendentia in errorem seu falsum et in malum, quod per se opponitur felicitati, adessent in animo nostro naturales proprietates sese invicem destruentes, quod repugnat. Dixi *naturales,* quia non loquimur de habitu quodam ad malum morale seu peccatum, qui ex consuetudine potest acquiri; vel de pronitate ad peccandum, quam ob Adae culpam omnes contraximus.

67. Opponunt II°. Judicia haec pro maxima hominum parte sunt inutilia; rudes enim nequeunt investigare, utrum alii homines similiter ac ipsi sentiant.

(1) Inhonoratio parentum e. g. dum quidam barbari senio aut aegritudine confectos interficiebant vel avibus dilaniandos projiciebant, interdum potuit provenire ex inordinato commiserationis affectu, ne diutius affligerentur, aut ex ratione boni communis, ne eidem impedimento forent. Furti autem sub quibusdam conditionibus permissio, hoc ipso quod a libera voluntate civium procedebat, juri in res proprias renunciantium, omni inordinatione destituta erat; cum furtum sit *ablatio rei alienae, domino rationabiliter invito.*

Digitized by Google

Resp. *Nego. ant.* et *Dist.* probat. Haec investigatio non est semper necessaria, ut certi simus unde haec judicia dimanant, *conc.* secus, *nego.* Cum ex una parte ad haec judicia ponenda necessario impellamur, ex alia vero, eadem judicia pravis cupiditatibus, amori proprio et perversae educationi communiter sint adversa, certi esse possumus, ea a natura rationali habere originem, licet non sciscitemur alios homines, an similiter sentiant. Quod si quandoque dubium occurreret, poterit quis consulere aliquos, sed omnes necesse non est, neque ab ipsorum judicio desumendum erit certitudinis motivum; secus illi, qui ab infantia in idolorum cultu, aliisque superstitionibus enutriti fuerunt, miseri et excusabiles forent, si in rationali natura propria velut insculptum non haberent, quid sit quod deceat, quid turpe, quidve honestum, quid fugiendum, quidve amplectendum sit; ipsis vero impossibile erat, consulere traditionem et consensum universalem, cum vix scirent alias existere nationes, praesertim quod et apud illas nationes, excepta Judaica, eamdem specifice superstitionem regnare deprehendissent.

Ex modo dictis facile colligitur responsio danda illis, qui dicerent, non a rationali natura, sed a traditione primorum parentum judicia haec originem traxisse. Nam licet hoc per successivas generationes fieri potuisse concedamus, tamen nisi etiam ratio ipsa homines impelleret ad haec judicia ponenda, non fuisset sufficienter humano generi provisum. Etenim Ethnicorum traditio, prava exempla, morumque corruptio constanter his veritatibus adversabatur. Patet insuper, inter ethnicas et barbaras nationes non fuisse hanc excellentem educationem filiorum, vi cujus parentes imbuerent filios necessariis cognitionibus ad vitam rationalem recte instituendam, et nihilominus judicia ista, in sua saltem generalitate, conservata sunt. Si solis demum parentibus relinqueretur onus instruendi filios, etiam nunc videremus passim tenebras ignorantiae.

Urgent. Certitudo judiciorum sensus naturae communis est indigna phyilosopho; cum sit tantum moralis. Ita Bayle (1).

Resp. *Nego ant.* ad probationem, *transeat ant.* et *neg. conseguens.* Ostendimus judicia sensus naturae communis falsa esse non posse, quin natura rationalis esset simul rationalis et non rationalis; ergo oppositum intrinsece repugnat; ergo dici

(1) *Dictionaire* Art. *Pyrrhon.*

Digitized by Google

potest, certitudinem hanc esse metaphysicam, ita ut nec Deus possit contrarium praestare. Nos quidem non recurrimus ad hypothesim repugnantiae ex parte Dei, ne circulum vitiosum committamus, cum argumento isto in posterum utamur ad probandam Dei existentiam: at hoc non minuit intrinsecam oppositi repugnantiam, ac proinde non tollit metaphysicam certitudinem. Dato demum quod certitudo ista esset tantum moralis, non ideo censeretur indigna philosopho; cui vel maxime expedit acquiescere omni verae certitudini, quae ex principiis naturalibus eruitur, quaeque necessario debet esse diversa pro diversitate motivorum. Recolantur dicta n° 36.

ARTICULUS VIII.

DE CORPORUM EXISTENTIA

68. Sensus nostri sunt corporei; ergo antequam de certitudine cognitionum, quas ope sensuum acquirimus, disseramus, corporum existentia probanda est invictis argumentis adversus Idealistas, quorum agmen Georgius Berkeley ducit (1), quique ideas dumtaxat in mente nostra versari, corpora vero non existere autumant. Idealismus hic in multiplici est differentia; *dogmaticus* nempe, dum quis contendit, posse revera demonstrari non existentiam corporum; *scepticus*, dum asserit, nullam pro utraque parte hac de re posse afferri solidam rationem; *mysticus*, dum tota ratio persuasionis de objectiva et reali corporum existentia, solis facultatibus animae nostrae vel modo cuidam cogitandi tribuitur; *egoisticus* tandem, quando ad solam de subjecti nostri existentia certitudinem, vis omnis demonstrationis vel intrinsecae nostrae persuasionis coarctatur. Malebranche non negat existentiam corporum, sed sola Dei revelantis auctoritate eam nobis innotescere asserit (2). Antequam propositum nostrum ostendamus, tria sunt praenotanda.

1° *Idearum sensilium* nomine in hac quaestione nihil aliud intelligimus, quam affectionem animi nostri, quae dum adest, exhibet nobis aliquid ut actu praesens, quod *corpus* nominamus.

---

(1) *Dialogues entre Hylas et Philonous.* Amsterd. 1750.

(2) *De la recherche de la vérité t. 1, l. 1. ch. 10. et t. 2. l. 6. p. 2. ch. 6.* Amsterd. 1688.

2° *Corporis* nomine venit objectum, a mente nostra distinctum, *extensum*, *resistens et impenetrabile*; praescindendo a definitione corporis essentiali, seu a quaestione, an hujusmodi proprietates constituant metaphysicam essentiam corporis, nec ne.

3° Confundi non debet notio *corporis* cum notione *materiae;* per materiam enim proprie intelliguntur elementa, quae corpus componunt, de quibus elementis plures fiunt quaestiones; dum tamen nomine corporis, omnium etiam adversariorum judicio, veniat illud quod nuper diximus. De corporibus igitur sic intellectis quaeritur, num revera existant (1).

69. Corporis nostri aliorumque generatim sumptorum existentia invicte probatur ex ideis sensilibus et inclinatione invincibili rationalis naturae nostrae, eas referendi ad objecta quae extra nos posita existimamus. Intimo sensu constat, ideas supra dictas in animo nostro adesse, eas concordes et constantes esse, dum vel diversas objecti illius, quod *corpus nostrum* vocamus, partes referunt vel circa ea versantur, quae caelum, astra,

---

(1) Tres istae animadversiones praeviae ad quaestionis statum determinandum et ad praecludendas quasdam difficultates referuntur. Nam imprimis ideae sensilis tradita definitio, etiam ab Idealistis quibuscum disputamus, respui nequit; at si diceretur quod idea sensilis sit illa, *quae occasione mutationum nostri corporis ab animo efformatur*, supponeretur quod est in quaestione, scilicet existentia corporis nostri et ab Idealistis jure ac merito negaretur. Hinc in eadem gratuita suppositione versantur, qui existentiam corporum ita probant: non haberentur tales affectiones seu ideae sensiles in animo, nisi adessent respondentes mutationes corporis nostri et mutationes istae non forent, nisi haberentur externa objecta easdem producentia; ergo positis illis animi affectionibus, necesse est corpus nostrum et alia corpora existere Praeterea, qui tali modo ratiocinantur, in necessitatem se conjiciunt explicandi, quomodo mutationes nostri corporis, sive ipsum corpus in animum et corpora externa in corpus nostrum agant; porro, si recurrant ad sensuum veracitatem, quae ab ordine divinae sapientiae potissimum desumitur, sibimetipsis eripiunt argumentum physicum, quod adhiberi solet ad evincendam Dei existentiam; aut si eo deinceps in naturali Theologia utantur, manifeste in circulum vitiosum incidunt. Insuper, aliae duae animadversiones praecavent difficultatem, quae ex ignorantia naturae et essentiae corporum, seu ex eo, quod videatur repugnare, ut sint quid compositum, et sive ex elementis simplicibus sive ex extensis coalescens, desumeretur: haec enim omnia in antecessum determinare non oportet, nec fortassis fieri potest, sufficitque praemittere definitionem corporum nominalem, ut de eorum existentia disputare valeamus; secus, nec de existentia animi nostri certi esse possemus, eo quod ejus essentiam ac naturam a priori determinare nequeamus.

Digitized by Google

montes, etc. nominamus. Eodem sensu intimo scimus, haberi in animo nostro propensionem, ideas illas referendi ad objecta ut actu praesentia ; quo posito, en argumentum : propensio seu inclinatio animi nostri, referendi ideas sensiles ad objecta , quae corpus nostrum et alia generatim sumpta vocamus, est constans et invincibilis, quocumque vitae tempore semper eadem , cuicumque examini subjiciatur , quaecumque rationes oppositum suadentes perpendantur, semper eamdem firmitatem retinet, quibuscumque affectionibus gaudii, doloris, irae , invidiae non cedit : quin imo etiam cum vel maxime cordi esset, ne objecta ab ideis exhibita et ideae ipsae praesentes haberentur, ultro sese offerunt, nobisque invitis et reluctantibus , se suasque proprietates manifestant ; ergo concludimus, hujusmodi inclinationem ad judicandum qnod corpora existant , a natura rationali provenire : atqui absolute repugnat, ut natura rationalis constanter et invincibiliter nos in errorem impellat ; ergo suppositis ideis sensilibus , et inclinatione invincibili naturae rationalis eas referendi ad objecta ut actu praesentia , certissimum est , corpus nostrum et alia generatim sumpta existere.

Quod si etiam ad Deum auctorem naturae recurras, repugnabit quoque , ratione veracitatis divinae , Deum nos in errorem invincibilem posse impellere ; in quaestione porro cum Idealistis, recursus iste ad Deum sine circulo vitioso fieri potest. Nam cum plures ideas sensiles animus non libere sed necessitate naturae efformare cogatur, Idealistae, exclusa existentia corporum et necessaria animi dependentia ab ipsis in efformatione harum idearum, non aliam hujus necessitatis, ita cogitandi nimirum ac si essent et existerent corpora , reddunt rationem , nisi recurrendo ad virtutem Dei hasce ideas in animis nostris producentem , uti patet ex ipsis difficultatibus, quas solent urgere.

70. Argumentum hoc non solum Idealistas, sed et Malebranchium jugulat. Etenim ex sola ratione depromitur, ac proinde falsum est quod Malebranche adstruit, sola scilicet revelatione divina constare nobis de corporum existentia. Praeterea , si hoc verum esset , ipsius revelationis cognitio nobis impossibilis foret ; cum certum sit , revelationem , prouti eam nunc habemus, praesupponere in nobis indubiam cognitionem existentiae corporum ; quia praesupponit necessario media , seu signa illa , quibus in ejus cognitionem devenimus et eam a falsis aliis revelationibus distinguimus.

Atque haec etiam generatim dicta sint contra eos, qui cum auctore opusculi *De imbecillitate humani intellectus* omnem naturalem certitudinem subvertunt et in sola revelatione divina reponunt. Sic enim ipsius divinae revelationis certam cognitionem nobis impossibilem reddunt. Quid enim? Quomodo poterimus assentiri revelationi divinae aliquid manifestanti, si certi prius non sumus, hanc esse revelationem divinam, nobisque incumbere onus eidem assentiendi? Quomodo poterit dici actus noster, quo assentimur, prudens, si in nullo prorsus certo rationis nostrae dictamine fundetur? Videatur hanc in rem Muratori, egregie refellens omnia sophismata in opusculo memorato congesta (1).

71. Nullum autem Malebranchio subsidium feres, dicendo, ipsum non intellexisse revelationem proprie dictam, sed revelationem seu manifestationem per rationem nostram, quae in tantum cognoscit certo existentiam corporum, in quantum eam intuetur in essentia divina (2). Nam et hoc falsum esse constat, inspiciendo ejus opera, et absurda doctrina absurdiori ratione defenditur. Quis enim dabit Malebranchio nos omnia in essentia Dei cognoscere? Nonne volitiones nostras, ipso fatente, animus sibi efficit immediate? Quare igitur etiam cognitiones, quae certe non sunt quid nobilius volitionibus, non efficiat? Praeterea, cum omnes res creatae non praecontineantur in divina essentia, nisi virtualiter aut eminenter, visio divinae essentiae non *formalem*, sed dumtaxat *eminentiorem* quamdam corporum cognitionem praeberet, dum interim nos cognoscimus corpora, qualia sunt objective in semetipsis, saltem per eorum effectus. Adverte ulterius, ad videndam divinam essentiam qualis *in se* est, nedum sufficere divinam revelationem, sed requiri insuper (sicut docent Theologi Dogmatici) supernaturalem elevationem humanae mentis in Deum.

Ex dictis colliges, certitudinem de existentia corporis nostri aliorumque in genere esse metaphysicam, licet hypotheticam, ut patet ex ipsa demonstratione. Non idem tamen accidit de aliquo corpore particulari, scimus enim hanc esse legem physicam, ut posita mutatione in sensibus nostris facta ab objecto externo, mens sibi efformet ideam exhibentem objectum illud tamquam praesens, cui legi in casu particulari Auctor naturae quandoque de-

(1) *Delle forze dell' intendimento umano* edit. 2. Venet. 1748.
(2) *Loco cit.* l. 1. l. 3. ch. 7.

Digitized by Google

rogare potest et derogat; ergo de corporis alicujus determinati existentia non nisi physice certi sumus.

72. Opponunt I°. Ut constet, propensionem ad judicandum quod corpora existant provenire a natura rationali, debemus investigare, an alii homines similiter judicent; hoc autem supponit jam cognitam corporum existentiam: homines enim utique corpora habent; ergo, etc.

Resp. *Trans. maj.; nego min.*; et concessa probatione, *nego conseq.* Num judicium aliquod a rationali natura proveniat necesse non est, ut jam monuimus (1), alios sciscitari. Sed hoc etiam omisso, falsum est nos supponere id quod est in quaestione. Idealistae enim non diffitentur, alia entia, uti nos, existere, praescindendo an habeant corpora nec ne, modumque adesse conceptus nostros ad invicem manifestandi; et si hoc diffiterentur, sibimetipsis aperte contradicerent et omni disputationi valedicere deberent: ergo, licet homines corpora actu habeant, argumentum nostrum eorum cognitionem necessario non supponit.

Urgent I°. Haec propensio rationalis naturae nequit esse argumentum certum, nisi detur necessarius nexus inter ideas sensiles et corpora; atqui non datur; ideae siquidem sunt modificationes animi, nihilque simile habent cum corporibus: insuper corpora sunt quid contingens; ergo nequit haberi nexus necessarius.

Resp. *Dist. maj.* Propensio haec, etc. nisi detur nexus absolute vel hypothetice necessarius, *conc.* tantum absolute, *nego*: et *Dist. min.* non datur nexus absolute necessarius, *conc.* hypothetice necessarius, *nego*. Dato quod haec propensio naturae rationalis existat, necessario ideis sensilibus debet respondere existentia objectorum, quae per eas exhibentur; secus natura rationalis nos deciperet. Patet itaque, dari nexum hypothetice necessarium, licet absolute necessarius non adsit; cum per se non repugnet existentia istarum idearum in animo, etiam non existentibus objectis. Ideae hae sensiles sunt quidem modificationes animi, sed tamen relativae, quae non sistunt simpliciter in animo, sed ad aliquid ut actu praesens referuntur, quod colligitur quoque ex discrimine istarum ab illis, quae *revocatae* vel *imaginariae* dicuntur (2); ergo accedente supra dicta ra-

(1) Articul. praeced. n°. 67. *Opponunt II.*

(2) Exemplum idearum sensilium quae *revocatae* vel *imaginariae* dicuntur absurditatem idealismi evidenter confirmat; Idealistae namque

tionis inclinatione, legitime infertur existentia objectorum. Nec obstat, corpora esse quid contingens; non enim absolutam, sed hypotheticam tantum existentiae eorum necessitatem inferimus: praescindimus insuper qua ratione influant in hoc ut ideae sensiles habeantur, quaenam sit natura istarum idearum, etc. Licet enim haec omnia nos laterent, probationis robur ab invincibili rationis propensione desumptum nihilominus remaneret.

Urgent II°. Invincibilis haec propensio, ac ideae constantes et concordes habentur in amentibus, furiosis, etc. quin tamen adsint objecta actu praesentia. Deinde invincibiliter impellimur ad judicandum, proprietates secundarias, ut sunt color e. g. sapor, etc. esse in corporibus; cum tamen communiter philosophi doceant, eas esse tantum in animo: ergo a pari, proprietates etiam primariae, uti extensio, resistentia, etc. erunt tantum in animo et corpora non existent.

Resp. ad 1^m^, *Transeat* totum. Propensio et ideae nostrae sensiles judicio naturali rationis subjiciuntur, ita ut, ad statum nostrum reflectendo, valeamus apprehendere inclinationem hanc a sola ratione provenire; non idem accidit in amentibus, etc.; ergo comparatio nulla est. Quis insuper furiosorum animum potuit investigare?

Ad 2^m^, *Nego ant. conseq.* et *parit.* in sensu explicando. Sive istae ideae sensiles proprietatem primariam, sive secundariam referant, semper verum est, occasionem earum repetendam esse ab objecto praesente, quod per eas exhibetur; et hoc est ad quod inclinamur a ratione, non autem ad judicandum de modo et de diversitate qua proprietates insunt objectis. Tandem quaestio haec, an proprietates secundariae insint formaliter in objectis nec ne, supponit jam cognitam corporum existentiam.

---

discrimen istarum idearum ab illis quae exhibent aliquod objectum ac si actu praesens esset, vel negare debent vel nullam illius rationem reddere possunt. At quis est sanae mentis, qui non agnoscet toto caelo differre apprehensionem mentis que e. g. amicum longe dissitum velut nobis praesentem sistimus, aut noctu in tenebris splendorem solis repraesentamus, ab illa actuali idea sensili quam experimur, quando amicum ut coram nobis adstantem alloquimur, et in ejus amplexum proruimus, aut sub dio immediate solem cernimus, vel ejusdem radiis domum illuminatem conspicimus? Nonne etiam has sensationes sicut illas, pro lubitu habere non possumus? Vide Buffier *Traité des premières vérités.*

73. Opponunt II°. Inclinationem ad judicandum de corporum existentia possumus et debemus corrigere per ipsam rationem, quae docet 1° Deum posse in nobis producere has ideas, quin corpora existant; 2° possibile esse, quod corpora non existant; 3° Deum quandoque excitare ideas sensiles, ut patet in factis miraculosis (1), non existentibus objectis; 4° Deum posse permittere errorem constantem et necessarium e. g. in amentibus; 5° Deum non facere per plura, quod potest fieri per pauciora: ergo, cum ideas sensiles possit per se producere, frustra crearet corpora. Ita fere Malebranche (2).

Resp. *Nego ant.* Ad 1^m^ probationem, *Dist.* Deum posse, etc. absolute loquendo *conc.* facta hypothesi *nego.* Sola omnipotentia Dei absolute spectata, possent in nobis produci ideae sensiles, non existentibus corporibus; at facta hypothesi, seu supposita rationis nostrae naturali inclinatione eas referendi ad objecta ut actu praesentia, repugnat Deum id facere. Tunc enim non esset verax, quia error uniformis constans et invincibilis in ipsum refunderetur.

Ad 2^m^, Ex quo ratio dictet, possibile esse corpora non existere, non sequitur eam non ostendere, quod revera existant.

Ad 3^m^, *Dist.* Deum quandoque, etc. et hoc evenit in casu particulari et errorem detegendo *conc.* secus *nego.* Multum differunt casus quidam particulares ubi error ad breve tempus permittitur ac in sola ignoratione quod legi physicae hic et nunc sit derogatum consistunt, et hypothesis constantis, uniformis et invincibilis totius vitae erroris. Illud ad aliquem utilem finem potest intendi, istud ad nullum; fieri etiam nequit sine perversione totius rationalis naturae.

Ad 4^m^, *Nego parit.* Aliud est enim, non impedire causas accidentales, quae praecludunt rectum rationis usum et in errore necessario amentem detinent, aliud est homines recte ra-

(1) Huc spectant inter alia illae Christi Domini post resurrectionem sui manifestationes in quibus et duobus discipulis euntibus in Emmaus, *Lucae* cap. XXIV. v. 15. et seqq. sub specie peregrini, et Mariae Magdalenae *Marci* cap. XVI. v. 9. et seqq. *Joannis* cap. XX. v. 14. et seqq. sub specie hortulani apparuit; nec non continua illa sensuum, seu idearum sensilium illusio cui subjicimur circa SS. Eucharistiae Sacramentum; saltem in eorum sententia juxta quos qualitates seu proprietates accidentales corporum sunt relativae.

(2) *De la recherche de la vèrité* t. II. *Eclaircissemens.*

Digitized by Google

tione utentes, in constanti et invincibili errore detinere, omnemque viam sese ab illo liberandi adimere.

Ad 5^{m}, Non facere per plura, etc. quando nullum finem ita agendi habet aut non vult, *conc.* secus, *nego.* Imprudenter utique censetur agere, qui, quod per pauciora media eodem modo obtinere potest, per plura nihilominus obtinere nititur. Hoc de Deo nefas est cogitare, quia ipse innumeras potest habere rationes nobis incognitas hoc potius quam alio modo operandi. Tandem, falsum quoque suppositum in difficultate latet: nos enim non dicimus, ideo corpora creata esse, ut ideas sensiles habeamus; sed praescindendo ab eorum fine, contendimus, certo nobis constare quod existant a parte rei.

Urget Berkeley. Quidquid percipitur et sentitur, est in re percipiente et sentiente; corpora nec percipiunt nec sentiunt; ergo quod percipitur et sentitur, non est in corporibus, sed in nobis, ac proinde nequit ex hoc inferri corporum existentia.

Resp. Tota argumentatio merum sophisma est. Hinc *Dist. maj.* Quidquid percipitur, etc. est in percipiente *formaliter* et *subjective*, *conc.*; *objective*, *nego*: et concessa minori, *nego* utrumque *consequens.* Major ita intellecta, quasi nulla perceptio et sensatio posset habere objectum extrinsecum percipienti, supponit quod est in quaestione et nulla ratione id probat; nos vero quamvis concedamus, ex solis ideis sensilibus non posse deduci corporum existentiam, tamen accedente naturae rationalis inclinatione eas referendi ad objecta ut actu praesentia, id rectissime fieri ostendimus.

ARTICULUS IX.

DE CERTITUDINE COGNITIONUM QUAS OPE SENSUUM ACQUIRIMUS

74. Veterum et recentiorum Scepticorum (1) dogma est, sensibus non esse fidendum, de omnibus ipsorum ope perceptis

---

(1) En quomodo Scepticorum patronus hac de re disserit, *Essai sur l' indifférence* etc. t. II. pag. 6. *Car qu'est-ce que nos sens peuvent nous apprendre de certain, et sur nous-mêmes, et sur les autres êtres? Qu' oserons-nous affirmer sur leur témoignage? . . . . Chacun d'eux, pris à parte, nous abuse par de vaines illusions; ils se convainquent à toute heure mutuellement d' imposture . . . . Pourquoi, nous trompant séparément, ne nous tromperoient-ils pas tous ensemble?* Vide quoque pag. 41.

Digitized by Google

esse dubitandum. Antequam hujusmodi errorem convellamus, quaedam notiones praeviae exponendae sunt.

Sensus externi vel *organa sensoria* sunt eae corporis nostri partes, ex quarum immutatione mens percipit, quae extra se posita sunt. Cerebrum dicitur *sensorium internum*; *externa* quinque numerantur, videlicet oculi, aures, nares, palatum et cetera omnia membra, quae sub nomine *tactus* veniunt. Unumquodque sensorium externum habet proprium objectum; sic oculi respiciunt colores, aures sonum, nares odorem, palatum sapores, tactus figuram, extensionem, resistentiam, etc. Saepe tamen, praesertim oculi, ad objecta aliis sensibus propria se extendunt.

75. Vis animi nostri mutationem in organo factam percipiendi, *facultas sentiendi* appellatur; actus hujus facultatis dicitur *sensatio*, quae *formaliter* et *subjective* spectata solum actum seu affectionem animi sentientis, *materialiter* vero solum motum in organo interno aut externo excitatum indicat.

Cognitiones ope sensuum acquisitae *immediatae* vocantur, quae enunciant, quod in sensatione explicite continetur e. g. *murus hic est albus*, etc. *mediatae* vero, quae referunt aliquid implicite tantum in sensatione contentum, quodque nonnisi adhibito aliquo medio cognoscitur e. g. *albedo est accidens*, etc. Harum veritas a legitima plerumque ratiocinatione dependet; in *immediatis* itaque cognitionibus dumtaxat, sensus nostros rite dispositos nos non decipere, in praesenti quaestione defendimus.

76. Errare *formaliter*, sive apprehendere aliquid aliter ac revera est, ad animum spectat; igitur nonnisi improprie error formalis sensibus tribuitur: ipsi enim referunt semper ad animum mutationem illam, quam ab objecto pro diversa eorum dispositione acceperunt, suntque, ut ajunt, *potentia necessaria*. Quando itaque recta dispositione vel applicatione destituuntur, *materialem* dumtaxat occasionem errandi animo praebent, si non reflectens ad circumstantias, in quibus versatur, judicium ferat (1). Ne autem hoc accidat, regulae quaedam, quas ratio et experientia suppeditat, pro recto sensuum usu assignantur.

(1) Pulcherrime hoc declarat S. Augustinus, in libro *De vera religione*, cap. 33. sumpto exemplo ab oculis. *Sed*, inquit, *ne ipsi quidem oculi fallunt; non enim renunciare possunt animo, nisi affectionem suam . . . . si quis remum frangi in aqua opinatur et cum inde aufertur, integrari, non malum habet internuncium, sed malus est judex. Nam ille* (oculus) *pro sua natura, non potuit aliter in aqua sentire, nec aliter debuit.*

Digitized by Google

I^a^. Sensus sint in naturali dispositione, qualis communiter haberi solet; id fiet, si constanter eadem ratione ab objectis afficiamur, eodemque modo ac alii, quae conferunt ad nostram conservationem distinguamus, etc.

II^a^. Accurate ad observandum applicentur, quod fiet, rem attente perpendendo, in rebus insolitis observationem iterando, pluresque sensus, ubi fieri potest, in subsidium vocando.

III^a^. Relatio sensuum praesens cum praeteritis conferatur, aut si dubium aliquod occurrat, cum relationibus aliorum hominum. Hoc tamen passim fieri nec potest nec debet; secus impossibilis redderetur nobis quotidianus usus vitae.

IV^a^. Objectum sit in debita proportione ad sensus: 1° non nimis exiguum, secus non percellet sensus; 2° non in magna aut nimis exigua distantia; secus imago seu repraesentatio objecti fiet confusa et difformis vel magnitudinis non respondentis.

V^a^. Medium, in quo intuemur objecta, sit constans et uniforme; si enim pars una objecti fuerit in aëre, altera e. g. in aqua, vel objectum totum in aqua, oculus in aëre, diversam impressionem patietur oculus, quam si objectum in aëre ordinario modo conspiceretur.

VI^a^. Relatio sensuum nec rationi nec auctoritati, praesertim divinae, adversetur; cum veritas veritati nequeat opponi.

77. Ex recto sensuum usu posse nos certas plurium rerum cognitiones acquirere, manifestum est. Etenim, ut experientia quotidiana probat, non solum re bene considerata, ita firmiter adhaeremus cognitionibus sensilibus, ut omne prorsus prudens dubium excludatur, verum etiam pro maxima probatione et certitudinis motivo adferre solemus, nos scilicet rem aliquam propriis sensibus observasse. Deinde evidenter repugnat, Deum tribuisse nobis media insufficientia ad finem. Nequit igitur sine absurditate supponi, sensus nostros etiam recte adhibitos, passim nos decipere, praesertim circa propria cujusque sensus objecta, et in cognitionibus rerum externarum, quae ad conservationem nostri compositi conferunt et ut a visibilibus ad invisibilia rapiamur, sapientiamque ac bonitatem Conditoris nostri miremur, impellunt. Insuper, si per sensus constanter deciperemur, nullam fixam normam vitae moderandae haberemus, quod experientiae universali adversatur (1).

(1) Probationes istae, sicut et nonnullae ex regulis n°. praecedenti expositis, inde valide impugnari videntur, quod et finem ad quem dati sunt

Digitized by Google

Argumenta haec evincunt, absolute certum esse, generatim in omnibus casibus sensus rite adhibitos minime nos fallere. Quando vero agitur de aliqua cognitione particulari, legitima sensuum applicatio investigari debet, cujus existentia facile innotescet, ad nosmetipsos reflectendo, praesertim cum regulae expositae superius sint practicae, nec semper omnes, sed modo haec modo illa pro circumstantiarum diversitate, locum habeat; et sic obtinebitur physica certitudo.

Sensiles cognitiones dici quidem possunt experimentales et a posteriori, quia experientia comparantur et sunt veritates contingentes; ex hoc tamen non sequitur, eas tantum probabiles esse. Illae enim experimentales cognitiones tantum sunt probabiles, quae ab incompleta inductione pendent, nec habent aliquod extrinsecum motivum certitudinis; sensiles autem cognitiones in sola apprehensione consistunt, nec motivo certitudinis destituuntur (1).

78. Opponunt I°. Sophistica est probatio, in qua consequens tantum per accidens nectitur cum antecedente; hoc accidit in casu nostro, quia ideae sensiles non habent nexum necessarium cum proprietatibus objectorum: ergo per accidens, etc.

Resp. *Dist. maj.* sophistica est, etc. *per accidens*, id est si casu quodam, et non propter nexum cum antecedente, consequens sit verum, *conc.* si tantum non nectetur absoluta necessitate, *nego*; et ex opposito distincta minori, *nego conseq.* Quando argumentatio formali veritate caret, consequens tamen casu quodam verum invenitur, dicitur *per accidens* verum esse. Quod si *per accidens* intelligatur, quod non sit nexus

---

sensus et rectam sensuum dispositionem ad abjecta nequeamus cognoscere nisi ope ipsorum sensuum, ideoque supponendo veracitatem illius criterii, de quo quaeritur. Verum quia in praesenti quaestione tamquam certa sumitur existentia corporis nostri, aliorumque in genere, et quia ex ideis sensibilibus formaliter spectatis, praescindendo ab earum objectiva realitate potest erui relatio, quam habent objecta externa cum nostro composito eiusque conservatione, et quandonam praebeant affectionem molestam aut gratam, nec non quem sensuum usum subsequantur istae vel illae affectiones, etc. patet, praescindendo ab objectiva sensuum veracitate, posse nobis constare de fine et recta eorum dispositione ac applicatione in usu; accedendente praesertim continua ac diuturna experientia, errorem, si quis foret, accidentalem removente. Non itaque supponitur in antecessum certitudo criterii, de quo quaeritur.

(1) Vide I. partis artic 4. circa finem et *in nota*. Superius articul. 6. *Urgent* II. in animadversione post resp. ad 2,

Digitized by Google

absolute necessarius, falsum est talem probationem sophisticam esse; secus foret respuenda maxima pars nostrarum cognitionum, quae nonnisi hypothetica certitudine gaudent, propter contingentem et non obsolute necessarium subjecti et praedicati nexum.

Urgent I°. Sensus non referunt res quales in se sint; saepe diversa ratione referunt ac sunt, unde tot errores circa figuram, distantias, magnitudinem, colores demum ac sapores, etc. Ergo nihil certi per sensus acquiri potest.

Resp. *Dist.* 1ᵐ *partem ant.* Non referunt, etc. id est non percipimus ullam proprietatem objectorum positivam et realem, *nego*; non referunt, id est non possumus determinare quaenam proprietas naturam et essentiam corporum constituat, *conc.* sed *nego* suppositum, id scilicet per sensus debere nobis constare. Sensus enim duo tantum renunciant: 1°. qualem relationem objeta habeant nobiscum: 2°. objectis ad extra varias inesse proprietates reales. Quaenam autem earum sit essentialis, aliunde determinari debet.

Dist. 2ᵐ *partem ant.* ejusque probationem; haec omnia accidunt sensibus non rite applicatis, *conc.* secus, *nego*. Sensus nobis non praebent certitudinem, nisi rite juxta regulas praescriptas adhibeantur; errores itaque hujusmodi non sunt ad rem. Sic ex improportione distantiae fit, ut turris quadrata eminus rotunda, sol circa terram moveri et magnitudinis bipedalis conspiciatur; ex defectu constantiae et uniformitatis medii, remus in aqua fractus, sidera magis minusve lucentia apparent. Tandem, dijudicare an colores et sapores, aliaeque secundariae proprietates formaliter insint objectis, ad sensus non spectat.

Urgent II°. Qui a nativitate male conformatos haberet sensus, profecto semper diversa ratione ac alii objecta perciperet, quin unquam error detegeretur.

Resp. *Trans.* totum. Ista non recta sensuum dispositio esset exceptio a lege ordinaria; homines enim communiter recte dispositos sensus habent. Posset tamen et iste error plerumque detegi, si nempe affectiones, quae aliis gratae sunt et vitalitati consentaneae, nostrae conservationi adversas experiremur. Quod si sermo esset de perceptione e. g. magnitudinis vel coloris, in quibus error detegi non posset, dicimus, anguli optici juxta quem visio perficitur diversitatem in diversis hominibus, identitatem judiciorum circa rerum magnitudinem earumque differentiam, minime adimere, et nos magnitudinem apprehendere rela-

tivam, non absolutam; diversam vero perceptionem coloris conservationi nostrae non adversari; ideoque, licet hos aut similes errores nequeamus corrigere, finis tamen primarius sensuum obtinetur (1).

79. Opponunt II°. Numquam potest constare praesentes sensuum relationes convenire cum praeteritis aut cum relationibus aliorum hominum 1°. Quia sensus nostri, eorum objecta, medium cognitionis, non servant identitatem, sed per effluxum particularum, aliisque de causis, continue mutantur. 2°. Quia diversa est structura sensuum in diversis hominibus, sicut diversa vultuum conformatio; ergo diversae quoque erunt affectiones.

Resp. *Nego ant.* Probationem 1^{ae} *partis Dist.* quia sensus nostri non servant identitatem, nimirum absolutam seu mathematicam *conc.* vel *transeat*; physicam et ut vocant *ad sensum*, *nego*. Identitas relationum sensilium, licet sensus, objecta, mediumque in quo conspiciuntur, aliquam mutationem subeant, physica tamen et *ad sensum*, quae non excludit exiguam variationem, sicut fit in absoluta seu mathematica, semper servatur et est sufficiens ut de earum conformitate recte judicemus. Sic nemo est, qui constanter eodem modo non percipiat objecta, quae frequenter sub sensus cadunt. Quod si quandoque ex parte organorum aut objectorum et medii notabilis mutatio accidat, de hoc ipso per sensus monemur.

Probationem 2^{ae} *partis Nego*. Ratio est, quia experientia constat homines communiter ab iisdem objectis in iisdem circumstantiis positos, eadem ratione affici. Deinde anatomici docent, diversitatem structurae organorum non esse talem, ut si plurium hominum relationes conferantur, identitas physica seu *ad sensum* non exurgat: ergo non est pro vultuum varietate diversa (2).

(1) Hinc colliges parum ad rem prodesse quod solet adferri exemplum hominis japonensis, vel sensis qui sensus diversa ratione a nostris conformatos habens, proindeque diversa a nobis ratione objecta sensibilia percipiens e. g. colorem, odorem saporem etc. nihilominus in usu vocum quas disceret perfectissime nobiscum conveniret, vocando e. g. murum album, panem sapidum etc, quin unquam posset error detegi.

(2) Diversa vultuum humanorum conformatio esse potest motivum concludendi physicam indentitatem in interna sensuum sive organorum nostrorum conformatione; sicut enim identitas et magna similitudo vultuum redderet valde difficilem vitae socialis usum, pluribusque erroribus praeberet occasionem; ita valde notabile discrimen in interna quorumdam praesertim organorum structura, communem consensionem circa usum earumdem rerum ad conservationem vitae necessariarum redderet impossibilem: quod utrumque ordini divinae sapientiae videtur aeque adversari.

Digitized by Google

Ipsa tandem diversitas judiciorum circa proprietates eorumdem objectorum, non semper probat diversitatem dispositionis in sensibus: cum saepe apprehendamus aliquid gratum vel ingratum ex consuetudine vel praejudicio.

ARTICULUS X.

DE AUCTORITATE

80. *Testimonium alterius, quatenus nos movet ad aliquid pro certo habendum*, vocatur *auctoritas*. Si testimonium a Deo feratur, erit *auctoritas divina*; si ab homine, *humana*. De auctoritate divina hoc praecipue scire expedit, eam in omnibus rebus, ubi adfuerit, absolutam et metaphysicam certitudinem gignere: non esse tamen temere advocandam ad quaestiones mere philosophicas, nec sicubi adfuerit, impedire quominus eadem res vires intelligentiae humanae non excedens, argumentis quoque naturalibus probari valeat. Quod autem divina auctoritas absolutam et metaphysicam certitudinem pariat, manifestum est. Nam, ut inferius indicabimus, pondus auctoritatis desnmitur ex scientia et veriloquio testantis; jam vero absolute repugnat, Deum utpote perfectissimum posse deficere sive a scientia per errorem, sive a veriloquio per mendacium; ergo absolute et metaphysice certum sit oportet, quod Deus suo testimonio firmaverit.

Auctoritas humana, si ad veritates speculativas traducatur, *dogma philosophicum* constituit et non est auctoritas proprie dicta, pro *testimonio* scilicet accepta. Nam in assertionibus speculativis philosophicis, tantum valet auctoritas philosophorum quantum rationes quibus eas confirmant. In rebus itaque *facti* auctoritas humana locum habet. Facta sensibilia quae nostris sensibus non subjiciuntur, vel sunt nobis coaeva et possunt cognosci per testes *oculatos*, vel longo tempore ante nos evenerunt et tunc vel per testes *auritos* seu *traditionem*, id est, per *oralem et successivam testium seriem*, *ab origine facti ad nos usque manantem*; vel per *historias*, id est, *memoriam factorum scriptis commendatam.* Cum autem ratio formalis, cur assensum praebeamus testium narrationi, sit scientia et veracitas eorum, ne temere hac in re procedatur, conditiones quaedam, quae etiam *leges criticae* appellantur, tam ex parte facti ipsius, quam testium solent assignari.

Digitized by Google

Assensus intellectus praestitus alicui assertioni, non ob intrinsecum veritatis indicium, sed propter testantis auctoritatem, *fides* dicitur, divina scilicet vel humana, pro diversitate testis. Assensus itaque fidei immediate nititur testantis auctoritate, sed necessario praesupponit certam cognitionem de scientia et veriloquio testis; secus non esset actus prudens. Hoc adeo verum est, ut ubi certo non constat, tanta scientia et veracitate instructos fuisse testes, quod spectatis circumstantiis nec fallantur nec fallant, pondus auctoritati desit et tantum plus vel minus probabile judicium de objecto, in quaestione posito, ferri possit.

81. Atque hinc evidenter quoque colliges, quod jam superius innuimus (1), turpiter errare eos qui unicam certitudinis naturalis normam in sola humana auctoritate reponunt, contendentes nullam certitudinem pro homine relinqui, nisi supponatur quod auctoritas humana seu consensus communis (haec enim duo penes ipsos idem significant) sit in omnibus certissima et unica veritatis norma. Deinde, nullam creaturam si non incipiat dicere: *credo*, posse dicere: *ego sum*. Praeterea, talem normam certitudinis naturalis optime congruere cum norma qua in rebus fidei dirigimur, quae non est alia quam auctoritas Dei manifestata nobis per infallibilem auctoritatem Ecclesiae (2).

Verissimum foret, nullam pro homine relinqui certitudinem in dicta hypothesi, quia auctores isti supponunt, rationem cujusque hominis *per se* et *essentialiter* in omnibus errare; at cum hoc falsum sit, ut vidimus, falsum quoque est nullam relinqui certitudinem: nisi forte revera nulla relinqueretur certitudo, dato quod homo ex se de nulla re certus esse posset et tamen auctoritatem generis humani deberet admittere. Animus namque noster nequit assentiri extrinseco certitudinis motivo et in casu auctoritati humanae, nisi certo eam cognoscat, sciatque illi esse credendum: non crederet enim, nisi certo sciret esse credendum, nullamque adesse errandi formidinem. At quomodo certe sciet istud, si nulla habeatur certitudo praeter hanc auctoritatem? Si neque de propria existentia sit certus, nisi prius

---

(1) Art. II. n° 40 et 42. *Urgent.*

(2) Ita fere De la Mennais cum suis. Vide loca pluries in superioribus *notis* indicata et praesertim *notam* positam in fine n.i 42. Porro sic loquitur pag 123. *Le premier acte de la raison est nècessairement un acte de foi et qu'acun être crèè s' il ne commençoit par dire je crois ne pourroit jamais dire je suis.*

Digitized by Google

credat? Quod postremum adeo est absurdum, ut qui hoc asserit, valeat comparari cum illo, qui alterum necaret ad hoc ut viveret. Tandem, unicam certitudinis normam in universali vel particulari auctoritate humana reponere, idem est ac tollere discrimen inter *fidem* et *scientiam*, seu potius omnem scientiae (cujus est rem cognoscere per causas ex principiis naturalibus deductas) notionem excludere, ac proinde contra consensum omnium Doctorum, hoc discrimen quovis tempore agnoscentium, agere.

Congruentia vero hujus regulae cum regula fidei parum juvat. Non quaeritur enim an congruat, sed an admitti possit. Praeterea veritas religionis christianae et a fortiori catholicae, *universali auctoritate* humana probari nequit; ergo ipsa veritas religionis nostrae, ut nempe agnoscatur et a falsis religionibus possit distingui, supponit aliud naturalis certitudinis medium, ab auctoritate humana universali diversum.

82. Merito proinde arguendi sunt editores et continuatores posthumi operis cl. Dominici Bertini (1), doctrinam hanc De La Mennais nimis praepropere defendere, seu potius simpliciter atque serviliter adserere et vulgare cupientes. Qui praeterea etiam in eo vehementer reprehendendi sunt, quod susceptae sententiae opem undique corrogantes, praedicto operi tamquam *insigne* quoddam et ornamentum praefigant istud S. Augustini (2) testimonium, *Naturae ordo ita se habet, ut cum aliquid discimus, rationem praecedat auctoritas;* quasi nempe S. Doctor hujus parum sanae ac novae opinionis fuisset praeformator. At S. Augustinus disputans eo loco adversus Manichaeos, per *naturae ordinem* intelligit dumtaxat ordinem seu modum naturalem, probationes aut argumenta in disputatione proponendi; eaque quae mox subdit, *Nam infirma ratio videri potest quae cum reddita fuerit, auctoritatem postea, per quam firmetur, assumit,* contrarium prorsus innuunt, adversariosque etiam invitos omnimode jugulant. In eamdem rem videri quoque potest aliud praeclarum testimonium ejusdem S. Doctoris (3) ubi sic loquitur: *Ad discendum necessario dupliciter ducimur auctoritate atque ratione. Tempore auctoritas, re autem*

(1) *Rationalis philosophiae institutiones* Dominici Bertini Lucae 1828.
(2) *De moribus Eccl. Cathol.* cap 3.
(3) *De ordine* libr. II. cap. 9.

Digitized by Google

ratio prior est. Aliud est enim, quod in agendo anteponitur, aliud quod in appetendo aestimatur. Itaque, quamquam bonorum auctoritas imperitae multitudini videatur esse salubrior, ratio vero aptior eruditis.

83. Conditiones seu leges criticae superius memoratae, ex parte *facti* sunt istae: I^a^ factum sit *possibile*, id est tale, ut naturaliter aut saltem virtute divina fieri potuerit. II^a^ sit *sensibile*, id est, quod sensibus rite dispositis percipiatur et non conjecturis aut ratiocinatione. III^a^ sit *simplex*, id est, substantiam solam eventus praesertim respiciat. IV^a^ sit illustre, nempe attentionem plurium mereatur, sive tandem in se fuerit *scientificum* sive *politicum* sive *religiosum*.

Conditiones ex parte testium sunt sequentes: I^a^ *sint plures*, qui aetate, studiis, moribus, conditione differant; tunc enim facilius erroris et mendacii periculum excluditur. Numerus sufficiens testium ex circumstantiis ipsis colligitur. II^a^ factum enarrent coram iis quorum interest mendacium detegere, et redarguere, quique utrumque facile perficerent. III^a^ observari etiam poterit, an factum relatum anticipatis testium opinionibus sit contrarium, nec ne; an gloriam, commoda, divitias, aut potius infamiam, vexationes, inopiam, etc. testibus pariat.

Praeter mox dicta, in traditionibus et historiis haec etiam observentur: 1° traditio sit *constans*, ut nempe ab ultima linea traditionali regrediendo, ad ejus originem successive perveniatur. 2° sit *ampla*, quaelibet scilicet linea traditionalis plures testes involvat. Historia vero 1° sit *multiplex*, id est, a pluribus historicis idem factum enarretur: quando autem ex circumstantiis facti vel aliunde colligere licet, historicum tale factum retulisse, quod sub oculis fere omnium cum ipso degentium evenerit, et non solum tunc, sed etiam successivis temporibus narrationem ejus pro veridica habitam fuisse, unus etiam poterit indubiam parere fidem. 2° sit *concors*, ut historicus nimirum circa facti substantiam sibi cohaereat et ab aliis non impugnetur. 3° *sit fundata in testibus* oculatis vel immediate auritis, in monumentis aut in constanti et ampla traditione.

84. Auctoritas humana in plerisque casibus, est certa veritatis norma circa facta sensibilia, si spectatis adjunctis possit nobis constare, testibus nec scientiam sive facti cognitionem, nec veracitatem sive voluntatem narrandi verum defuisse; atqui ita est; ergo.

Digitized by Google

Major hujus ratiocinii probatione non eget; nequit enim non esse verum quod ab iis narratur, qui veritatem cognoscunt et voluntatem habent non mentiendi. Minor probatur ita: in factis sensilibus non alia requiritur scientia, quam quae ex recta sensuum dispositione et ad observandum applicatione comparatur: jam vero in praecedenti articulo ostendimus repugnare, ut sensus rite dispositi et applicati praebeant occasionem errandi; ergo quando agitur de facto sensibili et pluribus praesertim testibus illud observantibus, defectus scientiae supponi non potest, nisi leges naturae physicae subversas velimus. Recta autem sensuum applicatio ad veriloquium testium reducitur; si enim factum testes non recte observassent et tamen pro certo illud traderent et narrarent, hoc ipso mentirentur.

De veracitate testium itidem plerumque constare potest. Nam ex una parte verum naturaliter amplectimur et proprio amore ita ducimur, ut nemo unquam gratis sit malus, id est, ut nemo a legibus honestatis recedat, nisi propter utile vel delectabile; ex alia autem parte mendacium in se spectatum est turpe et inhonestum: unde nemo in re gravi mentitur, nisi aliquo utili aut delectabili fuerit illectus; atqui in plerisque casibus constare nobis potest, nullum ex his motivis testes ad factum enarrandum impulisse. Etenim, si fuerint plures diversae educationis, aetatis, conditionis, nationis, etc. et tamen in idem mendacium conspirassent, tale mendacium esset effectus diversarum cupiditatum, quae diversos homines comitantur: sed hoc fieri nequit, cum in ea collisione cupiditatum, quaedam aliquorum ad mendacium impellerent, quaedam aliorum vel etiam principia moralitatis, ab hoc retraherent; ergo testium consensus non haberetur; ergo quando habetur, certum erit eos veritatis tantum et honestatis amore ad testandum motos fuisse. Insuper, quando testes et historici factum aliquod referunt cujus veritas plurimos interest, si mendacium dicerent multi statim invenirentur qui reclamarent, nec sinerent errorem serpere atque ad futuras generationes propagari. Tandem, talia adjuncta ipsum factum, testes, eosque qui narrationem audiunt, plerumque comitantur, ut non solum certum fiat, testes non fuisse mentitos, sed etiam non potuisse mentiri e. g. circa existentiam alicujus civitatis, mortem vel elevationem ad thronum alicujus regis, etc.

85. Ex his patet, certitudinem moralem quae ex auctoritate humana acquiritur, quandoque aequiparari metaphysicae; quan-

Digitized by Google

do nempe circumstantiae ostendunt, non posse supponi mendacium, quin supponatur violatio legum moralium sine ulla ratione seu motivo. Idem enim foret, ac si admitteretur effectus absque causa, quod metaphysice repugnat.

Rationes porro expositae evincunt quoque, scientiam et veracitatem non deesse, sive historicis, sive illis qui traditionem constituunt, dum relate ad utrumque conditiones n° 83 requisitae servantur. In traditionibus praeterea, ad earum firmitatem atque sufficientiam in praebenda certitudine magis detegendam, advertendum est cum Draghetto nostro, quod traditionales lineae, quas constituunt successivae hominum generationes, non debeant spectari tamquam instantanee perenntes, cum habito respectu ad diversam hominum aetatem et constantem diversarum humanarum generationnm successionis ordinem, evidentissime appareat, nunquam lineam quamcumqne traditionalem perfecte desinere, priusquam altera in talibus constituatur adjunctis, quae ab ejus testimonio omne prorsus erroris et mendacii periculum excludunt. Deinde quod diximus de factis sensibilibus in genere, valet etiam de factis miraculosis. Nam de istorum existentia certi esse possumus ex iisdem motivis, quae erroris et mendacii periculum a testibus excludunt.

86. Opponunt I°. Unus testis parit tantum probabilitatem; ergo et plures simul sumpti; ergo ex testimonio humano nulla certitudo habetur.

Resp. *Dist. ant.* Unus testis, etc. ut plurimum, *conc.* semper *nego* vel *trans.* et *nego* utrumque *consequens.* Si unus testis factum enarret, communiter de scientia et veracitate ejus difficile constare potest; unde, ut plurimum, tale testimonium est tantum probabile, non tamen semper. Si enim honestus homo factum referat, quod a multis visum fuit, qui omnes, si mentiretur, falsitatis eum arguerent, nullum prudens dubium de opposito aderit. Sed dato etiam, quod id semper eveniret, falsum esset 1m *consequens.* Certitudo enim, de qua sermo, exurgit *indirecte* ex circumstantiis et motivis, suadentibus testes in mendacium non conspirasse; quae cum in collectione testium facile deprehendantur, ut vidimus, patet plures testes posse praebere certitudinem, licet unus nonnisi probabilitatem pareret (1).

---

(1) Dicimus, circumstantias et adjuncta, quae ostendunt conspirationem in mendacium locum non habuisse, *indirecte* tantum in moralem in-

Digitized by Google

Urgent. Plures quoque collective sumpti possunt falli et fallere. 1° Quia singulis natura convenit falli et fallere ; ergo et collectioni; 2° Quia etiam in collectione positi liberi sunt; ergo possunt abuti libertate et mentiri.

Resp. *Dist. ant.* Etiam plures, etc. absolute, *conc.* spectatis circumstantiis, *nego.* 1ᵐ *prob. Dist.* singulis natura convenit, etc. incomplete, *conc.* complete, *nego.* Circumstatiae et adjuncta ex quibus colligimus, testes actu non esse mentitos, non excludunt quidem absolutam erroris et mendacii possibilitatem, sed tantum relativam ad casum illum, de quo agitur: porro hoc sufficit, ut de facti veritate certi simus. Ex quo autem singulis naturaliter competat *posse falli et fallere*, non sequitur quod actu errent; cum *actualis* error et mendacium non conveniat *complete*, id est absque ullo addito, verum *incomplete* tantum, hoc est, posito quod non recte observaverint factum aut conspiratio in mendacium locum habuerit. Quoniam itaque in collectione testium facile dignoscitur utrumque defuisse, patet non posse de collectione enunciari, quod incomplete tantum singulis distributive acceptis convenit; a distributivo enim ad collectivum valet solum illatio in essentialibus, vel in iis, quae complete singulis conveniunt.

Ad 2ᵐ. *prob. Conc. ant. dist. conseq.* Possunt abuti, etc. constat tamen quod non sint abusi, *conc.* secus, *nego.* Unusquisque testis, etiam in collectione, retinet expeditam facultatem mentiendi, seu liber est; non tamen actu mentitur, quando circumstantiae ostendunt, locum non habuisse conspirationem in mendacium, quia scilicet ex se turpe est et non poterat apprehendi a testibus, tamquam utile vel delectabile.

---

fluere certitudinem. Nam haec, ut in fundamento vidimus, *directe* dependet a constantia legum moralium, a quibus etiam suam appellationem derivat; circumstantiae vero et adjuncta indicant tantum, quandonam debeamus judicare constantiam illam legum moralium obtinuisse, seu leges ipsas non fuisse violatas. Cum autem constantia haec, sive ipsae leges morales intrinsece nectantur cum moralitate humanorum actuum, ac proinde cum ipsa morali certitudine, nihil proficeret quis dicendo, nos certitudinem moralem colligere ex indiciis seu signis extrinsecis, quae nonnisi per accidens nectuntur cum testium veriloquio, quod est aliquid intrinsecum et a libera voluntate dependens. Nam utique iste nexus est quid accidentale; at reflectendo ad constantiam legum moralium, evadit *hypothetice necessarius.*

Neque addas, utilitatem mentiendi posse esse ipsum libertatis exercitium. Nam posita supra dicta cupiditatum pugna in testibus, etiam hoc motivum mentiendi excluditur. Praeterea, cum non loquamur de testibus coactis, sed sponte factum narrantibus, cumque abstinendo ab enarratione facti vel veritatem dicendo, aeque habeatur libertatis exercitium, patet, motivum hoc non esse sufficiens, cur potius mentiantur quam verum dicant; praesertim, quod exercitium libertatis in mendacio semper sit conjunctum cum conscientiae stimulis.

87. Opponunt II°. In factis, quae *miracula* vocantur, auctoritas humana nihil valet, quia pro non existentia talis facti pugnat semper certitudo physica, fundata in constantia legum physicarum et certitudo physica major est certitudine morali; ergo mens nostra, quae naturaliter cedere debet validiori probationi, nequit praebere assensum morali certitudini, quae pro existentia miraculi pugnat. Ita fere Hume (1).

Resp. *Nego ant.* Ad *prob. nego* utramque partem. Ratio est, quia dum constat, legi alicui physicae in casu particulari derogatum esse e. g. mortuum surrexisse, falsum est certitudinem physicam haberi pro non existentia talis facti. Nam constantia legum physicarum respicit generalem assertionis veritatem e. g. *Spectato ordinario legum naturalium cursu, mortui non resurgunt;* quae assertio exceptionem admittere potest. Falsum quoque est, certitudinem physicam majorem esse certitudine morali: tum quia utraque erroris periculum excludit sicut vidimus (2); cum etiam, quia sapientiae divinae saltem aeque interest legum physicarum, ac moralium constantiae providere. *Consequens* proinde falsum est, praesertim quod naturaliter cedimus validiori probationi, ubi utraque ad eamdem conclusionem firmandam adfertur, sicut in probabilibus; non autem quando ad diversas et dum utraque probatio erroris periculum aeque excludit: tunc enim utrique conclusioni, utpote non oppositae assensum praebere possumus et debemus.

Neque dicas, impossibile esse, ut ex testimonio hominum constet de miraculis: sunt enim facta supernaturalia, ideoque scrutandum foret, quid ferre valeant et quid recuseut vires totius naturae, quod est impossibile. Deinde homines valde proni sunt ad quaedam facta extraordinaria pro miraculosis venditanda.

---

(1) *Essai*, l. 11. ch. 10.
(2) *In hac parte* art. 1. §. 2. n°. 56.

Digitized by Google

Etenim respondeo, ex testimonio humano, prout hic sumitur, non determinari an factnm aliquod sit supernaturale, sed an evenerit et in quibusnam circumstantiis. Ad hoc vero non est opns majori scientia et veracitate, quam ad quodcumque aliud sensibile factum enarrandum. Pronitas demum hominum ad facta extraordinaria, diligentiam acuit in cognoscenda eorum existentia; ergo potius favet doctrinae nostrae.

88. Ex iisdem principiis facile respondebis, sive insanienti Rousseau (1), sive desipienti Diderot (2), impudenter effutientibus 1°. quanto magis insolitnm fuerit factum, quod a testibus refertur, tanto magis imminuitur veracitas narrationis eorum: 2°. homines decipi aut decipere, non est miraculum; ergo istud potius evenisse, quam legibus naturae derogatnm fuisse, credendum est.

Respondeo ad 1^m: cum semper sistamus intra limites sensibilitatis, utcumque crescat ratio, quae factum magis reddit insolitum et extraordinarium, pertinebit semper ad modum, finem, vel causam ipsius eventus, quae sensibilitatem, ac proinde scientiam de reali ejus existentia non mutat, nec possibilitatem conspirandi in mendacium auget. Sic, quamvis maxime insolitum fuit, ut aquae maris hinc inde immobiliter consistentes, liberum in medio sui iter populo Judaico relinquerent (3), nihil tamen hoc factum continet, quod vel sensibus rite dispositis non potuerit observari, vel tantae hominum multitudini occasionem errandi et mentiendi praebere.

Ad 2^m dico: vel maximum utique foret admittendum miraculum et quidem quod nec ab omnipotentia divina fieri unquam potest, si homines, et in casu nostro testes, qui nullum habent errandi aut mentiendi motivum, nihilominus deciperentur; quia tunc admittendus foret effectus absque causa, quod utique intrinsece repugnat. Nulla autem repugnantia in eo habetur, quod legibus physicis in aliquo particulari casu derogetur; ergo falsum consequens.

89. Opponunt III°. Vis traditionum tantum imminuitur, quantnm ab earum origine recedimus. Ita Loke (4), D' Alem-

---

(1) *Lettres 2ᵉ et 3ᵉ écrites de la montagne*
(2) *Pensées philosoph.*
(3) *Exodi* cap. XIV v. 22.
(4) *Sur l'entendement humain.* l. 4. ch. 16.

bert (1), Laplace (2), aliique contendunt. Loke utitur ad hoc probandum, exemplo cujusdam legis anglicanae; Laplace vero propagatione facti alicujus, ab unico teste oculato ad alium et sic deinceps. Deinde interpositione vitri inter objectum et oculum pluries multiplicati; quod, quo pluries fuerit interpositum, eo obscuriorem reddit imaginem, seu visionem objecti.

Resp. *Nego ant.* In traditione, de qua loquimur, supponitur unaquaeque linea traditionalis *ampla* satis, ideoque eadem motiva, quae excludunt erroris et mendacii periculum a generatione facto contemporanea, excludunt etiam a successivis generationibus. Falsum itaque est, vim traditionum imminui, quanto magis ab earum origine distamus. Exempla, sive paritates adductae non concludunt, ideoque negandae.

Nam in primis, lex positiva quandoque praesumit periculum erroris, etiam ubi non est. Deinde, lex illa praecipiebat, ne exemplaria ex autographo, in duorum tantum aut trium testium praesentia exarata, in judiciis admitterentur; nos autem loquimur de integra linea traditionali, quae multos homines complectitur.

In serie testium, ex unico ad unicum tantum testem conflata, licet facti certitudo decresceret, nihil nostra refert; quia loquimur de traditione ampla et motivum certitudinis non desumimus ex probitate personali, sed ex adjunctis conspirationem in mendacium excludentibus. Ex quo etiam patet, nullam esse rationem, cur in serie quoque ex unico ad unicum testem conflata certitudo decrescat: si enim non ex probitate personali et calculo algebrico (3), ut faciunt Laplace aliique, sed ex adjunctis extrinsecis motivum proximum certitudinis desumatur, dato quod eadem adjuncta singulos seriei testes comitentur, ultimus eorum aequalem primo certitudinem pariet.

Tandem interpositi vitri similitudo non est ad rem. Vitrum enim *necessario* et *naturaliter* radios lucis intercipit; ergo si pluries interponatur, imaginem objecti necessario obscuriorem reddet. Homines *necessario* non errant, neque mentiuntur; ergo si ab omnibus lineis traditionalibus aeque sint remotae erroris et mendacii occasiones, sicut in casu evenit, ultima ge-

---

(1) *Éclaircissements Philosophiques*, §. 4.
(2) *Essai sur les probabilités.*
(3) Vide dicta superius in hac parte articul. I. §. 2. n° 39 in *nota*.

neratio aequalem ac prima certitudinem praebebit. Diximus *naturaliter*, id est, sicut communiter evenire solet. Quia vero vitrum, ope exquisitioris artis, potest redigi ad illam perfectionem seu statum, in quo radios lucis minime intercipiat, et quandoque etiam eorum actionem in oculos augeat; tunc sane interjectio talis vitri inter oculos et objectum, licet pluries multiplicata, eadem immo quandoque etiam majori claritate praeditam objecti imaginem exhiberet.

90. Denique si objiciantur cum Bayle facta quaedam particularia, quae ut falsa rejecta sunt, dum tamen prius plena auctoritate fulciri putabantur, respondebis: et in his factis admittendis, non fuerunt observatae omnes regulae, sive ex parte testium, sive historicorum, et traditionum, *conc.* secus, *nego*. Nos in genere statuimus, posse acquiri certitudinem de plerisque factis sensibilibus ope *auctoritatis humanae*, ideoque, ut aliquid contra nos concludatur ex factis particularibus, opus est ostendere ea, quae dubia aut falsa deprehenduntur, a legitimis testibus enarrata, vel authenticis historiis et constanti traditione fuisse transmissa. Etenim, antequam de veritate alicujus facti quotidiano, ut ita dicam, usu non comprobati judicium feratur, diligens examen et regularum critices accurata investigatio adhibenda est. Praeterea, neque hoc opus est in plerisque factis publici juris, de quibus plerumque ita absolute certi sumus, ut non solum argutiis sophistarum minime moveamur, sed etiam impossibilitatem oppositi clare deprehendamus, sicut monuimus in fundamento. Quis unquam dubitare poterit Tullium, Caesarem, Titum, Neronem, etc. extitisse? Quaenam sophismata inveniri possunt, quibus veracitas istorum factorum, in sola auctoritate humana fundamentum habens, vel minimum labefactetur et tenebris contegatur? Videantur Bergier (1), Gerdil (2), et Baldinotti (3).

---

(1) *Dissertation sur les différentes espèces de certitude.* OEuvres complètes. t. III, pag. 236, edit. Paris. 1830.

(2) *Saggio d' istruzione teologica.* Storia umana t. X. Oper. edit. Rom. 1806.

(3) *De mentis institutione* l. 4. c. 7. Ticini 1787.

EXPLICIT LOGICA

Digitized by Google

INSTITUTIONES METAPHYSICAE

METAPHYSICAE NOTIO

Si animum cuncta innovandi et veterum dicta absque nllo delectu spernendi prorsus deseras, neque ex adverso eorum placitis servili pede insistendo recentiorum doctrinas, velut delirantium somnia, indiscriminatim contemnas, magnam procul dubio ex metaphysices tractatione voluptatem et utilitatem percipies. In hac enim homo seipsum attente contemplatur, animi sui naturam ejusque excellentem conditionem, ac proprietates perfecte scrutatur, a sensibus et materia segregatus, futuram vitam avide prospicit, universalibus conceptibus totam hujus mundi machinam, seipso quodammodo major complectitur: quin imo extra mundum veluti excurrens, alios atque alios ipsi similes cogitatione assequitur. Ab effectibus ad causas eo usque progreditur, donec ad primam omniumque principem pertingat, cujus demum naturam ita rimatur ut de infinitis ejus perfectionibus, pro viribus intelligentiae creatae, minus quam fieri potest imperfectam notionem comparare valeat. Hisce autem omnibus, quid est, quod aut majori voluptate animum perfundat, aut majorem utilitatem non solum privato, sed etiam publico totius societatis bono adferat?

Metaphysica, si rei et non vocis significationem spectes, sub se complectitur *ontologiam* seu *scientiam entis in genere*, quae et *metaphysica generalis* dicitur, *psychologiam* seu *scientiam animi nostri*, *ejusque proprietatum*, et *theologiam naturalem*, quae *Deum O. M. ejusque perfectiones*, *rationis lumine investigat*. Hisce tribus, post Wolfium, jungi etiam communiter solet *cosmologia*, quae *aspectabile hoc universum*, *ejus finem*, *ordinem*, *legesque generatim considerat*.

Non me latet plerosque incautos, veritatum nuper expositarum inquisitionem solo rationis lumine institutam, despectui habere, et nomini *philosophiae rationalis*, per injuriam, nefariae incredulitatis notam affingere. Verum ideo ne rectum philosophiae studium derelinquendum erit, quia improbi homines perverso ejus usu religioni insultant? Ideo ne etiam nomen phi-

Digitized by Google

losophiae respuendum et ignavo otio contabescendum erit, quia recentiores increduli vesana Materialismi, Fatalismi, Atheismi, Rationalismi, Idealismi, Formalismi, omnisque impietatis deliramenta *philosophiam* dixerunt? Et non satius ita eidem operam navandam, ut pleniores ejus haustus homines ad veram religionem perducere valeant, vel in ea jam constitutis firmiter permanere suadeant? Animum itaque, optimi juvenes, ad studia erigite; nos enim et inutiles veterum quaestiones eliminando, et recentiorum omnia scrutandi et innovandi insanum pruritum compescendo, tam in tractatione ontologiae, quam pneumatologiae, ea tantum delibabimus, de quibus certum aliquid affirmari potest et quae scitu sunt necessaria. Postremum denique locum, prout institutionis nostrae ratio patitur, cosmologicis notionibus tradendis conservabimus.

METAPHYSICA GENERALIS, SEU ONTOLOGIA

PROOEMIUM

Notiones generales de *ente*, seu de *illo quod aliquo modo est*, ejusque abstractis proprietatibus in hac metaphysices parte exponendae, omnibus scientiis perdiscendis inserviunt. Usus autem obtinuit, ut non solum de proprietatibus entium, eorumque ad invicem relationibus, sed etiam de relationibus veritatum seu principiorum quorumdam se mutuo excipientium, nonnihil disseratur. Unde et nos ordinem hunc sequemur.

ARTICULUS I.

DE RELATIONE VERITATUM NECESSARIARUM ET CONTINGENTIUM

1. Ex impossibilitate, quam animus noster experitur, conjungendi *simul esse et non esse*, factum est, ut nonnulli existimarint principium contradictionis esse primum omnium veritatum necessariarum *ordine demonstrationis:* quia in his, cum ex natura ipsius subjecti praedicatum ipsi tribui aut ab ipso removeri debeat, si animus illud non tribueret vel non removeret, cogeretur conjungere *simul esse et non esse*, contra naturalem incompossibilitatem. Verum hac in re quid sit sentiendum, sequens propositio aperiet.

PROPOSITIO.

Omnes veritates necessariae reducuntur ad principium contradictionis, non omnes tamen possunt, aut debent per illud demonstrari.

2. Analysim veritatum necessariarum instituendo e. g. *totum est majus sua parte, circulus est rotundus*, etc. apparet, animum ita apprehendere in iis convenientiam vel pugnam, ut, si secus esset, cogeretur conjungere *simul esse et non esse*; ergo ratio convenientiae aut pugnae earum eadem est, ac ipsa natura principii contradictionis; ergo omnes ad illud reducuntur.

Nec obstat, principium hoc esse negativum et modale; alias veritates necessarias affirmativas esse et simplices; in reductione enim unius veritatis ad aliam, respicitur dumtaxat identitas rationis convenientiae vel pugnae praedicati ad subjectum; cum itaque in omnibus hisce veritatibus, eadem incompossibilitas conjungendi *esse* et *non esse* deprehendatur, recte principium contradictionis dicitur esse primum *ordine reductionis*.

3. Quod autem non omnes istae veritates possint, aut debeant per hoc principium *demonstrari*, patet 1° quia pleraeque earum aeque immediate ab animo deprehenduntur eumque ad assensum cogunt ac ipsum principium contradictionis, et eas demonstrando, ut advertit sapienter Gerdil (1), loco majoris persuasionis, obscuriores forte efficies; 2° quia demonstratio debet fieri non solum ex prioribus, sed ex notioribus; principium contradictionis, licet esset prius cognitione omnium aliarum veritatum necessariarum, quod forte potest negari (2), non est tamen

(1) *Réflexions sur un mémoire de M. Beguelin.* Oper. edit. Romanae tom. II.

(2) Dicimus, posse forte negari, principium contradictionis esse *prius cognitione* ceteris veritatibus necessariis. Nam prorsus non video, quid solide posset responderi contendenti, hoc aliud principium, *quod est, est*, utpote positivam et generalem necessitatem, seu permanentiam alicujus *esse* exhibens, antecedere etiam quoad cognitionem. Etenim videtur necessario debere prius percipi simplicem necessitatem alicujus *esse*, quam absolutam repugnantiam, seu impossibilitatem *simul esse et non esse.* Insuper, neque prioritas illationis illi relate ad istud principium tribuenda videtur, cum non appareat aliquod discrimen inter has duas

Digitized by Google

semper notins, ut nuper diximus; ergo non esset *demonstratio*, sed mera *declaratio*; 3° si quis veritatem aliquam necessariam intuitivam e. g. *bis duo praebent quatuor* etc. aut non perciperet aut negaret, a fortiori non percipiet, vel negabit demonstrationem tuam, utpote magis complicatam.

4. Dices I°. cum Storchenau (1): analysim in synthesim convertendo, omnis veritas necessaria deducitur ex principio contradictionis; ergo per illud demonstratur.

Resp. *Nego conseq.* Deductio haec relate ad veritates immediato intuitu cognitas, est mera declaratio: non enim fit ex notioribus, sicut postulat demonstrationis natura, quae non est mera analysis in synthesim conversio (2).

Instabis. Saltem indirecte et ad absurdum qnaecumque veritas necessaria demonstrari poterit.

Resp. *Nego*. Etenim demonstratio etiam indirecta postulat, ut illud quod deducitur non sit immediate cognitum: secus haberetur merus verborum lusus.

5. Dices II°. Si principium contradictionis non sit primnm ordine demonstrationis, 1° nulla gaudet prae ceteris praerogativa: 2° tollitur unitas scientiae et cognitionum: 3° ab adversario, cum quo disputamus, petendum est, ut absque probatione plura admittat: 4° deberemus acquiescere cognitionibus, quae non probantur. Quae omnia sunt indigna philosopho.

Resp. *Nego* 1^m et 2^m *partem majoris*. Ratio primae negationis est, quia principium hoc est primum *ordine reductionis*, quod de ceteris veritatibus necessariis dici non potest, cum

---

deductiones: *idem nequit simul esse et non esse*; *ergo quod est, est*; et, *quod est, est*; *ergo idem nequit simul esse et non esse*. Atque hoc relate ad cognitiones et veritates necessarias; nam cognitio alicujus veritatis contingentis e. g. cognitio quaedam distincta nostri *ego* existentis, ut possit haberi tamquam subjectum nostrarum affectionum, antevertat oportet quamlibet aliam cognitionem, uti vidimus (*Logicae* parte secunda art. 3.).

(1) *Ontol.* sect. 1. c. 1.

(2) Difficultatem hanc illi tantum promovere possunt, qui relicta accurata demonstrationis definitione, quam indicavimus (*Logicae* part. 1. art. 4), hanc aliam eidem substituunt, scilicet: *deductio unius veritatis ex alia.* Verum definitio haec gratis data gratis potest negari, praesertim quod meram declarationem a demonstratione non distinguat, et adversetur communi sententiae Doctorum, in omnibus veri nominis scientiis plura indemonstrabilia principia admittentium.

non sint adeo universales; quia ipsam naturam veritatum necessariarum exhibet; quia sola negatione affirmatur, etc. dum interim cum quibusdam aliis in hoc conveniat, quod nequeat demonstrari: quodque, si quis ullum horum principiorum audeat negare, aeque de quacumque alia cognitione poterit et debebit dubitare, et in absolutum scepticismum labetur (1).

Ratio ob quam negavimus *alteram partem majoris* est, quia unitas scientiae cujuscumque non desumitur ex unitate principii demonstrativi, sed ex unitate vel objecti totalis vel finis aut modi, quo aliquid considerat. Sic theologia e. g. est unica scientia, quia omnia de quibus disserit, ad unicum objectum, nempe Deum, immediate aut mediate referuntur. Cognitionum autem unitas et nexus satis manifestatur per simplicem reductionem ceterarum veritatum ad istam.

3^m^ *Partem Dist.* ab adversario, etc. plura *numero* admittat, *conc. in se*, *nego*. Unum tantum postulandum erit, ut scilicet admittat absque probatione, quae probari nec possunt nec debent; nisi velimus, omnium probationem exquirendo, aeque de omnibus dubitare. Hinc patet, cur vera sit 4^a^ *pars majoris*, et *minor* omnino falsa. Non enim indignum est philosopho sequi rationem, quae docet se ita constitutam esse, ut vel plura aeque certa absque probatione debeat admittere, vel secus ad scepticorum placita descendere.

Instabis 1°. Formalis veritas ratiocinii ultimate in principio contradictionis fundatur; atqui ope ratiocinii omnia probantur; ergo.

---

(1) Diximus, contradictionis principium ipsa negatione affirmari. Nam qui illud negaret, id faceret existimans, non posse nec debere dici verum illud, quod est falsum, seu existimans, *idem non posse simul esse et non esse*: quod etiam de dubitatione circa veritatem hujus principii dici potest. Si autem quis opponeret, hoc principio non supposito, nihil posse supponi verum, quia aeque poterit dici falsum; ideoque hoc principium antevertere ceteras omnes cognitiones; imprimis negare potes *antecedens*. Etenim, saltem posset et deberet admitti veritas cognitionis existentiae nostrae, quae pariter ipsa negatione, aut intrinseca dubitatione affirmatur. Deinde, negatur et *consequens*. In dicta namque hypothesi, non ideo nihil posset dici verum et falsum, quia tolleretur istud principium, velut cognitio quaedam universalis caeteras omnes antevertens; sed ex falsa suppositione, quasi simul tolleretur naturalis animi nostri incompossibilitas conjungendi *esse* cum *non esse*, quae est medium distinguendi verum a falso. Incompossibilitas haec, cum nunquam aufera-

Digitized by Google

Resp. *Dist. maj.* Ordine reductionis, *conc.* demonstrationis, *nego*; et *Dist. min.* quae indigent probatione, *conc.* secus, *nego min.* et *conseq.* In Logica (1) ostendimus, reduci quidem ad principium contradictionis, non vero probari identitatis et discrepantiae principia, quae per se immediate sunt certa. Idem dic de aliis veritatibus immediatis e. g. *si ab aequalibus demas aequalia*, etc. Si veritatem immediate cognitam demonstrare contendas, ratiocinium utramque praemissam immediate evidentem habebit; erit proinde dumtaxat declaratorium.

Instabis II°. Si quis solum principium contradictionis pro certo haberet, poterit illi tunc omnis veritas necessaria ope istius principii demonstrari; ergo.

Resp. *Dist. ant.* poterit tunc, etc. et hoc fieret per accidens, *conc.* quasi omnis veritas necessaria egeret probatione, *nego.* Distinctionis ratio per se patet; recolantur insuper dicta in fundamento. Praeterea argumentum hoc retorqueri potest; nam si quis solum principium e. g. *totum est majus sua parte*, admitteret tamquam certum, poterit tunc illi et ipsum principium contradictionis probari (2).

6. In ratiociniis mixtis, ubi agitur de praedicato contingenti, quod praeter essentiam tribuitur subjecto, locum habet principium rationis sufficientis: *nihil fit sine sufficienti ratione*; seu strictius et verius loquendo, principium causalitatis: *non datur effectus sine causa.* Non enim ratio sufficiens vel motivum nostrae e. g. cujusdam cognitionis, est causa existentiae ejusdem. Sic itaque supposita existentia etiam unius e. g. entis contingentis, legitime infertur existentia Dei seu entis necessarii, dicendo: non datur effectus sine causa; atqui ego existo, qui utique sum effectus contingens poteram enim esse aut non esse: ergo existit ille, qui mihi tribuit existentiam, nempe Deus. Quia porro in analysi omnium veritatum contingentium, devenimus ad hoc principium, hinc omnes veritates contingentes ad illud reducuntur, quamvis non omnes possint, aut debeant ope illius demonstrari, propter easdem rationes, quas jam attulimus (3). Nec obstat, quod

---

tur, relinquit semper in animo facultatem ac necessitatem, apprehendendi saltem *suum esse*, dum est, non aliter quam est. Confer nuper dicta in nota 2. n. 3.

(1) Parte 1. artic. 3. §. 1. n. 16.

(2) Vide superius notam 2. n. 3. adjectam.

(3) Superius n. 3.

causam sive rationem sufficientem alicujus effectus, plerumque non valeamus assignare. Hoc enim fit ex imbecillitate nostra; scimus tamen, vi hujus principii, eam debere adesse, licet in specie nequeat determinari.

7. Absolutam certitudinem principii rationis sufficientis impugnavit Beguelin (1) contendens, illud esse dumtaxat experimentale et probabile. Oppositum suadetur hisce rationibus:

1°. Ex ipsa terminorum explicatione immediate patet, dato quod aliquid ita sit, ut potuerit non esse vel aliter esse, necessario requiri aliquid, cur potius sit quam non sit; nam secus, eodem modo, quo est, posset non esse, ac proinde esse et non esse. Hinc, spectata natura hujus veritatis, non eget probatione.

2°. Si posito effectu, qui poterat non esse, nulla haberetur ratio seu causa ipsius, tunc, aut ideo tantum existit, quia erat possibile, aut quia sibi ipsi existentiam tribuit aut quia eam a nihilo accepit; atqui haec omnia sunt absurda. Etenim possibilitas per se non involvit existentiam, estque natura prior et idem ac non existentia; ergo existentiam acquiri a mera possibilitate, idem est, ac acquiri a non existentia, seu *esse acquiri a non esse*, seu *acquiri et non acquiri*. Idem accidit in altero casu; si enim sibi ipsi existentiam tribueret, deberet agere antequam existat seu existere antequam existat seu *existere et non existere*. Acquirere demum existentiam a nihilo idem est ac *nihil acquirere* seu *acquirere et non acquirere*, cum nihili nulla sit activitas, et axioma; *a nihilo nihil fit*, ex ipsa terminorum consideratione certissimum sit, dum inter *nihilum* et *aliquid* eadem inveniatur relatio, ac inter *esse* et *non esse*, seu inter ipsum contradictionis principium. Atque hoc est argumentum ad hominem: Beguelin enim, absolutam certitudinem principii contradictionis admittens, nequit eamdem praerogativam principio causalitatis denagare, quin sibi ipsi apertissime contradicat et principium contradictionis destruat. Videatur Gerdil superius (2) memoratus.

8. Hinc quoque sequitur, principium causalitatis non esse *a posteriori* et ab experientia, sicut vellet Hume, quasi nempe necessitas illationis alicujus causae posito effectu, ac proinde etiam

(1) In *Dissertat. Academiae Borolinensi oblatis.* Vide *Acta* ejusd. *Acad.* ad An. 1755.

(2) In nota 1. n. 3. adjecta.

Digitized by Google

certitudo istius principii fundaretur dumtaxat in constanti observatione immediatae successionis unius eventus post alium et hinc profluenti habitudine mentis nostrae, spectandi unum ut *effectum* aliud ut *causam*. Etenim ista assertio, *post hoc, ergo ex hoc,* jamdiu a sanae mentis philosophis tamquam inanis et illusoria reprobata atque rejecta est. Insuper necessitas illationis in illo principio, non a multitudine et constantia eventuum sed ab ipsis conceptibus *effectus*, et *causae* dependet, qui conceptus ab observatione successionis unius post aliud praescindunt, vel saltem non eam tantum, sed praeterea dependentiam in *esse*, ab efficientia seu causalitate manantem, essentialiter includunt; secus nullum foret objectivum discrimen merae, licet immediatae successionis rerum, a successione cum dependentia, vel tamquam a conditione vel tamquam a causa; quod tamen discrimen non in nostro solum arbitrio, et habitudine spectandi diversos eventus situm esse, innumera et obvia probant exempla (1). Tandem, necessitas et universalitas alicujus principii, quae a sola inductione et observatione casuum particularium exurgit, minime involvit absolutam oppositi repugnantiam, qualis in isto principio habetur; experientia enim *per se* tantum docet *rem ita esse*, non autem, *aliter esse non posse*.

9. Cum vero conceptus *necessitatis absolutae, contingentiae, causae* et *effectus*, ut ex dictis facile colligitur, in ipsa naturali animi nostri constitutione et activitate, nec non in objective realibus rerum extra nos existentium proprietatibus fundamentum agnoscant, experientia interna et externa, quamvis dicat dumtaxat aliquam *rem ita esse*, nihilominus praebet fundamentum objectivae realitatis, etiam *notionibus a priori;* quandoquidem non minus certi esse debemus, dari in nobis et objectis ex-

(1) Ingens certe apparet discrimen merae, licet immediatae successionis unius post aliud, a successione cum dependentia. Nam quis est, qui non videt, nec diem esse causam noctis, nec unam anni tempestatem esse causam alterius, nec motum e. g. militum in ordine procedentium, se ad invicem producere, quamvis haec omnia immediate sibi succedant, seque accurate excipiant? At e contra, est ne mere immediata successio, extinctio e. g. famis et sitis post sumptionem cibi et potus? sensus doloris post acceptum vulnus? combustionis ligni post ejus projectionem in ignem? in quo postremo casu a projectione ligni tamquam a necessaria conditione, ab activitate ignis tamquam a vera causa, et prorsus independenter a consuetudine vel nostro modo concipiendi, combustio illa dependet, estque verus *effectus*

ternis proprietates constantes et invariabiles, ac salva natura entium absolutae necessarias, quam contingentes et variabiles, quae possunt esse vel abesse; nec minus utrarumque proprietatum apprehensio atque discrimen (1) arbitrio facultatis nostrae subjacet, nisi velimus ad idealismum scepticum et mysticum recta contendere. Hinc vero eruitur quoque haud contemnenda ratio explicandi, quomodo mens nostra ab *experimentalibus* et *contingentibus* cognitionibus transeat ad notiones et judicia *a priori*, seu *a contingentibus* et tantum *hypothetice necessariis*, ad *absolute necessaria*; a qua explicatione pendet subversio, ut fatetur Buhl (2), primi ac praecipui fundamenti *criticae rationis purae* a Kant institutae; quasi nempe, quidquid in notionibus ac judiciis nostris analyticis et a priori invenitur absolute necessarium et universale id omne haberetur per *anticipationem*, ex subjectiva dumtaxat rationis nostrae constitutione, absque ullo fundamento in objectis, quae per experientiam innotescunt.

Ex eo autem, quod principium causalitatis sit absolute certum, ut nuper ostendimus, et ad ipsum contradictionis principium reducatur, patet quomodo et de veritatibus contingentibus possit haberi certitudo *hypothetice metaphysica*, et quomodo ipsae valeant reduci, mediante hoc principio, ad ipsum contradictionis principium, ac proinde puomodo omnes veritates sese mutuo excipiendo, ad invicem nectantur.

10. Opponit Beguelin 1°. In principio causalitatis fit transitus ad existentiam realem, cujus notio est valde obscura: in principio contradictionis idealis tantum respicitur existentia, istud igitur pro absolute eerto haberi potest, non illud.

Resp. *Dist.* 1ᵐ *partem ant.* fit transitus, etc. et ad hoc sufficit eadem abstracta existentiae notio, *conc.* secus, *transeat.* Et *nego rationem* additam, cum abstracta notio existentiae non sit arbitraria, sed fundetur in notione existentiae realis, si in abstracto repugnet dari effectum absque causa, aeque repugnabit in concreto; sed dato etiam, quod ad hoc non sufficeret notio abstracta, clarissimam habemus notionem existentiae realis concomitantem actualem statum nostrum, seu perceptionem nostri *ego*.

Urget. Demonstrando istud principium, circulus vitiosus vel petitio principii committitur; cum *demonstrare* sit assignare ra-

(1) Vide dicta *Logic.* Parte II. artic. 4. n. 51 et 52.
(2) *Hist. philosoph.*

tionem sufficientem convenientiae praedicati cum subjecto, et velle tantum id aggredi jam supponit quod adsit ratio sufficiens talis convenientiae; ergo.

Resp. *Nego. ant.* et *dist. probat.* supponit quod adsit, etc. id est, quod possit ostendi adesse, *conc.* quod actu adsit, *nego* vel *transeat*; et *nego conseq.* Idem per idem mutuo probando vel quod probandum assumitur loco probationis adferendo, fit circulus vitiosus aut petitio principii, non autem simpliciter supponendo *esse aliquid demonstrabile*, seu posse assignari rationem sufficientem, cur praedicatum conveniat subjecto. Hoc namque a quocumque viro prudente demonstrationem instituente, supponi potest et debet; neque enim nos principio causalitatis utimur aut quasi jam actu certum esset supponimus, dum absolutam et metaphysicam ejus certitudinem evincimus. Praeterea nos proprie non *demonstramus* istud principium, sed argumento ad hominem ostendimus, illud tale esse, ut demonstratione non egeat.

11. Opponit II°. Si principium istud esset *a priori*, omnes veritates ejus ope deductae essent absolute necessariae, sicut sunt illae, quae e. g. ope principii contradictionis deducuntur. Ergo.

Resp. *Nego, ant.* et *paritat.* Cum principium causalitatis jungitur veritatibus contingentibus, necessitas quae infertur ex deductione, est tantum hypothetica: e. g. dato quod existat effectus A, impossibile est non existere ejus causam, licet forte talis causa, ut in se spectata, poterat esse aut non esse. Non accidit idem in veritatibus necessariis, quae ad invicem nexu absolute necessario copulantur.

Urget. Saltem tolleretur libertas actionum. Nam recte ita ratiocinor: existit causa expedita ad producendum effectum A; ergo impossibile est, ut effectus A non existat; ergo necessario existet.

Resp. *Nego. ant.* Ad prob. *Dist. conseq.* ergo impossibile est, etc. in causis necessariis, *conc.* in liberis, *subdist.* dato quod se determinaverint *conc.* antequam se determinent, *nego.* In causa necessaria seu ad unum determinata, dato quod sit ad agendum expedita, effectus necessario sequitur, quia actum suspendere non potest; at in causa libera, cum effectus pendeat tantum ab actuali ejus determinatione ad actum, quamvis supponatur esse expedita ad agendum, adhuc potest non agere, ac proinde effectus potest non existere hinc in causis necessariis axioma hoc: *Posito rationato, ponitur ratio sufficiens;* seu *posito effectu, ponitur causa,* valet etiam e converso, scilicet: *Posi-*

Digitized by Google

ta ratione sufficienti. etc. In causis liberis, licet primum valeat, non tamen obtinet secundum.

ARTICULUS II.

DE EXISTENTIA, POSSIBILITATE, ET ESSENTIA ENTIUM

12. Ostendimus in Logica (1) certo nobis constare de subjecti nostri et aliorum extra nos existentia. Si itaque tam in nobis, quam in aliis, solam actualem objectorum praesentiam in rerum ordine, seu *actualitatem* consideremus, habebitur universalis idea *existentiae*, per quam clare intelligimus tam in abstracto, quam in concreto, quid sit *existere*, seu *actu esse*, dummodo simplicissimum hunc conceptum definiendo obscuriorem non efficiamus.

In rebus existentibus notas ad invicem consociabiles apprehendimus: hinc diversa alia ipsis similia vel dissimilia, posse dari inferimus, et en notio *possibilitatis*, seu illius, quod *aliqua ratione esse potest*; cum autem quidquid non repugnat, aliqua ratione *esse possit*, hinc omne illud dicitur possibile, *quod non repugnat*: impossibile e contra. Ex eo autem quod ut aliquid actu existat, debeat esse possibile (notae enim contradictoriae sese mutuo destruunt), oritur divisio possibilitatis in *extrinsecam* et *intrinsecam*: haec sita est in exclusione omnis pugnae inter proprietates entis conceptum constituentes; illa in virtute causae potentis producere id, quod non repugnat: evidenter enim concipimus plura in se non repugnare, actu tamen non esse, ex defectu causae efficientis.

13. Porro juvat hic quoque advertere, sicut existentiae, ita possibilitatis ac impossibilitatis conceptus, juxta modo dicta, habere fundamentum objective reale, quod de conceptu *existentiae* ne minimo quidem dubio subjacet. Si enim ex subjectiva dumtaxat animi comparatione, et *pure a priori* originem traheret, impossibilis foret nobis apprehensio omnimodae, praeter Deum, *non-existentiae* (2). Possibilitatis autem notio, quamvis nega-

(1) Part. II. artic. 3. n. 45. et articul. 8. n. 69.

(2) Conceptus *existentiae* si esset forma rationis nostrae pure a priori, sicut volunt Kantiani, jam ea, quae apparent existere, licet contingentia, deberemus necessario spectare ut existentia, et stante tali determinativo illius formae, seu apparentia, deberet nobis esse impossibilis

tiva verborum expressione soleat communiter definiri, essentialiter tamen in convenientia consistit, estque saltem natura prior conceptu impossibilitatis, sicut *realitas* et *positivum* sunt quid prius *defectu* vel *limitatione* et *negatione* ejusdem. Jam vero, cum nihili nulla sit convenientia, haec tam in se quam in terminis, sive in abstracto sive in concreto spectetur, sicut revera spectari debet, aliquid objectivae realitatis metaphysicae aut physicae necessario involvit. Ex oppositionis denique ratione atque posterioritate conceptus impossibilitatis patet, ipsum quoque non esse meram tantum ac originariam rationis nostrae apprehensionem, seu formam fundamento objective reali destitutam. Nec obstat, impossibile dici *nihilum absolutum et negativum*, ad discrimen simplicis *non-existentiae*, seu *nihili positivi*; non enim loquimur de conceptu impossibilitatis *in se atque formaliter*, quia sic spectata, est utique nihilum absolutum, omni realitate carens; sed respectu ad intelligibilitatem terminorum oppositorum. Hac enim ratione accepta, et realitatem metaphysicam, et fundamentum objectivae realitatis necessario involvit; *nihili* namque *simpliciter*, seu *absoluti* nulla quoque est repugnantia vel oppositio; sicut itaque *limitatio* entis alicujus habet fundamentum reale, unde valeat positive apprehendi, scilicet mediante ulteriore realitate, quae deficit; ita et impossibilitas, mediantibus terminis realibus oppositionem constituentibus.

14. Intrinseca possibilitas et impossibilitas est *absoluta*; extrinseca vero *relativa*. Hinc, quod uni causae finitae est extrinsece impossibile, alteri poterit esse possibile, relate autem ad Deum erit semper extrinsece possibile, quidquid intrinseca possibilitate gaudet; nam summa Dei potentia tantum patet quantum possibilia.

Sed quaeritur, an virtus divina se porrigat etiam ad intrinsece impossibilia. Cartesius et Poiret id docuerunt, statuentes, aliquid intrinsece possibile evadere, hoc ipso quod Deus vult illud ponere, seu relate ad Deum non dari distinctionem istam

---

apprehensio oppositi seu *non-existentiae*; quod est falsum de existentia omnium rerum, excepta existentia Dei. Excipi quidem potest, quod in adversariorum sententia etiam conceptus *non-existentiae* supponatur aeque forma subjectiva et a priori; verum ut diximus, stante determinativo pro conceptu, seu forma *existentiae* necessario reducenda ad actum, seu applicanda ipsis phaenomenis, deberet non posse etiam idealiter apprehendi omnimoda *non-existentia*.

Digitized by Google

possibilitatis. At parum recte. Etenim ex communi hominum judicio, quando quaerimus, num aliquid possit simpliciter fieri, non ad omnipotentiam Dei recurrimus, sed consideramus, an in suo conceptu contradictionem involvat. Deinde proprietates, quae ad invicem pugnant, mutuo se destruunt; ergo sunt nihil; ergo si a Deo producerentur, actionis divinae objectum esset *nihil*, quod est absurdum. Ex quo patet, negando fieri posse a Deo contradictoria, non limitari potentiam divinam, neque injuria affici; quae enim limitatio, quae injuria, non posse efficere *nihil*? Quin potius contraria doctrina hanc limitationem inducit: cum unica ratio, cur aliquid nequeat revera fieri (sunt autem plura ejusmodi), esset defectus virtutis in Deo.

Non arrogantia quoque (sicut solet opponi) potentiam Dei metiendi, peccamus. Ut enim statuatur quid Deus nequeat efficere, opus non est totam amplitudinem potentiae divinae perlustrare, omnia possibilia et impossibilia in specie perspecta habere; hoc utique vim infinitam postulat; sed sufficit intelligere, quid sit *esse aliquid contradictorium*, seu absolute repugnans, pro quo utique vires habemus.

15. Verum alia difficilior quaestio solvenda remanet de natura scilicet hujus intrinsecae possibilitatis. Cum enim convenientia ista notarum a nostro intellectu non pendeat, quin imo praesupponatur ad hoc, ut aliquid percipere valeamus, quaeritur, num haec possibilitas ita sit aliquid in se, ut etiam nullo intellectu existente suam retineret *intelligibilitatem*, sive suum *esse intelligibile*. Qui possibilitatem hanc tantum *in abstracto*, et *relate ad nos* considerant, dicunt eam consistere in ipsa terminorum comparatione, habereque suum *esse intelligibile* et *logicum* independenter a quacumque physica realitate; ita enim de ipsa solemus cogitare. Qui vero ulterius progrediuntur, concedunt quidem nos posse, solere, quin imo quandoque debere (1)

(1) Quando de convenientia terminorum, seu de possibilitate *in abstracto* cogitamus, praescindimus ab analysi circa naturam horum terminorum, sive fundamentum hujus convenientiae; ergo haec in tali casu potest, quin et solet concipi, quasi esset in se aliquod objectum ideale seu logicum. Si vero disputatio fieret e. g. cum atheo, et praesertim de existentia Dei evincenda, tunc etiam deberemus prius talem de possibilitate conceptum exponere, ac deinceps ejus analysim instituendo inferre, quod vel Deus sit admittendus; vel ipse conceptus possibilitatis contra manifestum judicium rationis negandus, qui tamen certissime quoad essentiales determinationes suas ab arbitrio mentis nostrae minime pendet.

ita de possibilitate hac *in abstracto* cogitare ; contendunt tamen, eam revera in se et *in concreto* spectatam, ac *relate ad intelligibilitatem divini esse*, non habere suum *esse logicum* omnimode independens. Hac animadversione, quid sit verum in prima sententia, sufficienter innotescit : nos tamen alteram, utpote rationi magis consentaneam, sequimur, dicimusque possibilitatem non esse in se aliquam *entitatem absolutam*, sed ab intellectu divino, ut dicunt, *materialiter* spectato, sive *ab intelligibilitate divini esse* pendere *in sua entitate*, ita ut in absurda hypothesi Dei non existententis, nulla foret possibilitas, quatenus ab impossibilitate discriminatur, estque aliquid *in se* reale seu positivum, per quod objectum intellectus percipientis, seu ideae esse potest.

16 Et in primis, *esse* possibilitatis in convenientia formaliter consistit: supponit itaque terminos convenientes, qui saltem remote debent esse aliquid physice reale (1); secus haberetur semper convenientia sine eo, quod non pendet amplius a convenientia, sive relativum sine termino relationis ; quod est absurdum. Sublato autem etiam intellectu seu intelligibilitate divini *esse* nulli forent hujusmodi termini; ergo nulla quoque convenientia seu possibilitas. Praeterea, *esse* possibilitatis logicum et ideale, est aliqua realitas abstracta; omnis vero realitas in abstracto supponit aliquid de realitate physica, cum a nihilo simpliciter nihil possit abstrahi; ergo non existente Deo, et per consequens nulla realitate physica, nulla potest supponi possibilitas. Insuper, cum ab arbitrio intelligentiae nostrae, vel ab objectis contingentibus haec possibilitas seu convenientia ex una parte non pendeat, ex altera vero, *merum esse* seu realitatem in se involvens, tantum sit quantum esse possit, id est, quid infinitum (nullam enim negationem ac proinde limitationem agnoscit) : si nullum tale objectum

(1) Termini convenientiae seu possibilitatis (sicut nos eam concipimus, scilicet, componendo vel dividendo diversas proprietates seu ideas), saltem in ultima eorum analysi debent reponi in aliqua physica realitate seu *esse*, et quidem absolute necessaria. Dico *in physica realitate* : quia si termini semper remanerent tantum *logici*, idem per idem explicaretur, et revertente jugiter eadem quaestione, daretur progressus in infinitum, atque deesset ratio sufficiens completa talis convenientiae. Addo *absolute necessaria*; quia quaevis realitas physica contingens supponit ante se possibilitatem, ab eaque dependet, et utpote finita, ac proinde omnes gradus realitatis idealis seu possibilitatis minime adaequans, ejus fundamentum esse nequit.

haberetur, ad quod velut prototypon referretur (quod profecto accideret in hypothesi Dei non existentis), nulla ratione, utpote objecto suo destituta, cognoscibilis foret: secus deberemus infinitatem realitatis, seu cognoscibilitatis nihilo tribuere. Praeterea *esse* istud possibilitatis apprehendimus etiam ut immutabile et aeternum: si igitur esset in se aliqua *entitas intelligibilis* independens prorsus ab intellectu divino, deberemus admittere aliquid *actu infinitum, immutabile* et *aeternum* praeter Deum, quod pluribus de causis repugnat, pro quocumque statu, sive physico, sive logico (1). Demum, si realitas cognoscibilitatis quam possibilitas involvit nullo modo refunderetur in intellectum divinum, intellectus divinus non posset dici fons omnium intelligibilium sicut voluntas divina est fons omnium existentium; neque posset asseri, Deum continere in se plenitudinem omnis *esse*, seu simplicis realitatis, quod utrumque tamen passim a doctissimis viris rectissime asseritur; omnesque theologi ac philosophi profundiores docent, Deum in se praecontinere *formaliter* omnem perfectionem *simpliciter simplicem*, qualis profecto est realitas possibilitatis ratione *sui* spectata.

17 Addi potest etiam et haec validissima probatio: cum cognoscibilitas rei cognitae perficiat cognoscentem, si cognoscibilitas, seu *realitas* aut *esse intelligibile* possibilitatis foret quid ab intellectu divino, etiam *materialiter* spectato, ut ajunt, realiter et formaliter distinctum, Deus in sua scientia perficeretur, et penderet ab aliquo sibi extrinseco et a se prorsus independenti, quod repugnat. Nec valeret exceptio paritatis desumptae a rebus existentibus, quas Deus cognoscit ut existentes, et ut aliquid extra se, et tamen per hoc non perficitur; quia nempe cognitio, quam habet de ipsis ut existentibus ad extra, eadem est cum illa qua videt seu cognoscit eas in sua omnipotentia seu virtute, quae tribuit illis omnem, quam habent, actualitatem *esse*. Similiter vim demonstrationis datae minime eluderes dicendo, intellectum divi-

(1) Pro statu *physico* dicitur repugnare, quia velut axioma apud doctores habetur, praeter Deum nihil actu infinitum, aeternum, immutabile revera existere, et haec attributa Dei recto sensu intellecta esse plane incommunicabilia. Pro statu autem *logico* repugnat, quia si aliquid actu infinitum, etiam pro tali statu, possit esse distinctum et diversum a Deo, argumentum pro unitate Dei vindicanda desumptum ab actuali infinitate non amplius valeret ad absolutam repugnantiam pluralitatis deorum inferendam uti videbimus in naturali theologia.

Digitized by Google

num pendere a possibilitate tamquam *a termino*, non vero tamquam *a causa*; ergo non perficitur ab ipsa. Etenim in adversariorium sententia *terminus* iste talis est, ut eo non posito impossibile sit Deum hanc scientiam vel aequivalenter habere; sicut e contrario id rectissime concipitur e. g. relate ad praevisionem actionum liberarum creatorarum, quae licet nunquam existerent, praescientia tamen haec in Deo eodem modo permaneret: ergo revera Deus realitatem possibilitatis nullatenus in se praecontinens penderet ab ipsa, non tamquam *a termino* simpliciter sed velut *ab exemplari causa* suae cognitionis. Haec autem possibilitas quamvis dicatur (sicut revera dici debet) nunquam non fuisse, seu aeterna esse, ac proinde Deum nec fuisse, nec unquam potuisse possibilium cognitione esse destitutum, id difficultatem, ac per consequens inconvenientiam adversariorum sententiae non minuit, sed potius auget: hoc ipso enim non quaecumque, sed aeterna divini intellectus dependentia ab aliquo intelligibili ipsi extrinseco et ab ipso omnino independenti, tamquam a causa exemplari, adstruitur.

Videantur dac de re Suarez (1), Lessius (2), Gerdil (3), Baldinotti (4); nec non opus recentissimum Gerardi Casimiri Ubaghs professoris in Lovaniensi Catholica Universitate (5), Galluppi (6), S. Thomas (7).

---

(1) *Metaph.* tom. 1. disp. 25. sect. 1. n° 33. et sect. 2. n°. 11. *Tract. de Deo*. lib. 3. cap. 9. n° 14. et in *Comp. theol.* tom. 1. lib. 3. cap. 2.

(2) *Tract. de perf. divin.* lib. 5. cap. 2.

(3) *Dissertazione dell' esistenza di Dio*, § 4. prop. 1. oper. tom. IV. edit. Romao.

(4) *Metaph. gener.* cap. 1. § 14.

(5) *Elem. philos. rational.* part. II. cap. 4. § 5. in nota.

(6) *Saggio di Filosofia* tom. V. cap 5. §. 70 et seg.

(7) Passim. et praesertim *Summae theologicae* 1. part. Quia porro doctrina S. Thomae etiam in philosophicis quaestionibus, praesertim ubi ex communibus principiis ratiocinatur magni momenti est habenda, juvat haec pauca circa possibilitatis naturam, ad mentem tanti Doctoris innuere; ipse enim sententiam nostram non solum tamquam certam supponit, sed etiam positive docet pluribus in locis et praecipue Summae theologicae, 1. part. quaest. 14. 15. 16 et 44.

Et sane, si intrinseca, ut vocant possibilitas haberet suum *esse logicum* et *ideale abstractum* omnimode independens a Deo, seu ab *intelligibilitate divini esse*; jam (sicut etiam fatentur hujus sententiae adsertores) deberemus dicere 1. non-entia et enunciabilia, seu ea quae non sunt sed quae possunt esse, Deum non cognoscere nisi dependenter ab eorum *entitate logica*, eaque non agnoscere suum *esse* a Deo; 2° ipsam hanc possibilitatis *logicam entitatem*, rerum a Deo factarum vel faciendarum

Digitized by Google

18. Galluppi quoque nuper laudatus, licet propriam et singularem hac de re opinionem (putat namque possibilitatem sta-

---

essentiam et naturam determinare, esseque omnis essentiae et naturae rerum veluti mensuram non autem intellectum divinum aut intelligibilitatem divini *esse*; 3°, quia *ens, realitas, veritas* convertuntur praesertim in abstracto, et sola ratione nostra distinguuntur (vide S. Thom. 1. part. quaest. 16. art. 3.), si possibilitas ista, et etiam veritas logica ac abstracta esset aliquid a Deo independens, aeternum quid haberetur, saltem quoad rerum essentias (possibilitas enim et veritas latius patent quam essentia rerum) etiam Deo non existente; 4°. ipsa haec realitatis possibilitas foret exemplar vel ratio juxta quam, et ad cujus similitudinem res a Deo fuissent productae. Atqui omnia haec falsa sunt juxta mentem S. Thomae.

Etenim 1°, loquens de scientia Dei (quaest. 14 art. 9.) ad 2^m^ difficultatem; quasi nempe enunciabilia non haberent similitudinem ad Deum, ac proinde non cognoscerentur ab ipso, respondet: *Dicendum, quod cum Deus sit ipsum* ESSE *in tantum unumquodque* EST, *in quantum* PARTICIPAT *de Dei similitudine . . . Sic et ea quae sunt in* POTENTIA, *etiamsi non sunt in actu, cognoscuntur a Deo.* Similiter (art. 14. in corp.) de enunciabilium cognitione haec habet: *Species intellectus divini scilicet ejus essentia; sufficit ad demonstrandum* OMNIA. *Unde, intelligendo essentiam suam, cognoscit* ESSENTIAS *omnium, et quaecumque accidere* POSSUNT. Ad 2^m^ autem difficultatem, quasi *esse* enunciabilis non posset a Deo cognosci propter compositionem, sic dicit. *Compositio enunciabilis significat aliquod* ESSE *rei; et sic Deus per* SUUM ESSE, *quod est ejus essentia est similitudo omnium eorum, quae per enunciabilia significantur.* Patet itaque, Deum non pendere a realitate possibilitatis in cognitione ejus, eamque agnoscere suum *esse* a similitudine divinae intelligibilitatis.

2°. Eadem quaest 14. art. 12. in corp. disserens de infinitate scientiae Dei, inquit: ESSENTIA *autem divina, per quam intellectus divinus intelligit, est* SIMILITUDO *sufficiens omnium, quae sunt, vel* ESSE POSSUNT, *non solum quantum ad principia communia, sed etiam quantum ad principia propria uniuscujusque.* Et in responsione ad 3^m^ ait: *Scientia Dei est* MENSURA RERUM, *quia mensurat essentiam et veritatem rei. Unumquodque enim in tantum habet de veritate suae naturae,* IN QUANTUM IMITATUR DEI SCIENTIAM. Praeterea quaerens (quaest 16. art. 5. in corp.) num Deus sit veritas; haec habet: *Nam* ESSE SUUM (Dei) *non solum est conforme suo intellectui sed etiam est* IPSUM SUUM INTELLIGERE: *et suum intelligere est* MENSURA *et causa* OMNIS *alterius* ESSE, *et omnis alterius intellectus.* Quae omnia sufficienter innuunt non *entitatem logicam* possibilitatis, sed intellectum seu intelligibilitatem divinae essentiae, per quam Deus intelligit, determinare *essentias, naturas* et *veritatem* rerum tam existentium quam possibilium, earumque esse *mensuram.*

3°. Veritatem, ac proinde etiam possibilitatem, non habere suum *esse aeternum* et immutabile independens a Deo, sed ipsum divinum intellectum illud determinare, ita ut essentiae ac formae rerum sint verae, una veritate divini intellectus; quo sublato nulla etiam foret aeternitas veritatis ac possibilitatis evidenter quoque colligitur. Nam quaest. 16. art. 5. ad 2^m^. ita loquitur: *Veritas rerum est secundum quod conformantur suo prin-*

tim ac est extra ideas seu conceptus nostros, esse prorsus nihil sive nullam habere realitatem) sufficienter non probet , attamen

---

cipio, scilicet intellectui divino. Et quamvis (art. 6. in corp.) plures distinguat veritates, pro ratione diversorum , vel etiam ejusdem humani intellectus, de veritate tamen *in se* haec profert: *Si vero loquamur de veritate secundum quod est in rebus sic omnes sunt verae* UNA *prima* VERITATE, *cui unumquodque* ASSIMILATUR *secundum suam* ENTITATEM. *Et sic licet plures sint* ESSENTIÆ VEL FORMÆ *rerum, tamen* UNA *est* VERITAS *divini intellectus, secundum quam* OMNES RES *denominantur* VERÆ. Insuper (artic. 7. in corp.) de veritate enunciabilium, seu possibilium , haec expresse asserit : *Veritas enunciabilium non est aliud , quam* VERITAS *intellectus. Enunciabile enim est in intellectu et in voce. Secundum autem quod* EST IN INTELLECTU, *habet* PER SE *veritatem; sed secundum quod* EST IN VOCE, *dicitur verum enunciabile, secundum quod* SIGNIFICAT *aliquam* VERITATEM INTELLECTUS, NON PROPTER ALIQUAM VERITATEM IN ENUNCIABILI *existentem, sicut in subjecto , . . . Similiter etiam supra dictum est* (art. 1. huj. quaest.), *quod res denominantur* VERÆ A VERITATE INTELLECTUS. *Unde si* NULLUS INTELLECTUS ESSET ÆTERNUS, NULLA VERITAS ESSET ÆTERNA. *Sed quia solus* INTELLECTUS *divinus est* ÆTERNUS, IN IPSO SOLO VERITAS ÆTERNITATEM HABET. *Nec propter hoc sequitur, quod aliquid aliud sit aeternum , quam Deus quia veritas intellectus divini est ipse Deus.* Quod magis adhuc declarat et confirmat, dum ad propositas difficultates, quasi nempe *ratio circuli, duo et tria sunt quinque; et ipsa universalia* forent veritates *per se* aeternae ; sic respondet ad 1^{m} *Dicendum, quod* RATIO CIRCULI, ET DUO ET TRIA ESSE QUINQUE, *habent* ÆTERNITATEM IN MENTE DIVINA. Ad 2^{m} vero: *Universale dicitur esse ubique et semper, in quantum universalia abstrahuntur ab hic et nunc; sed ex hoc non sequitur* EA ESSE ÆTERNA, *nisi in* INTELLECTU *si quis sit aeternus.* Atque dicta hoc numero sola per se sufficere videntur, ad respuendam logicam possibilitatis entitatem ab intelligibilitate divini *esse* omnimode independentem, et aeternam.

4°. Tandem quod possibilitas ista, seu realitas quaedam logica, non sit *per se* exemplar vel ratio, ad cujus similitudinem Deus res creavit, sed ipsum *esse divinum*, seu ideas ac rationes divini intellectus esse hujusmodi exemplar, manifestissime apparet ex quaest. 15. art. 2. in corp.: *Potest autem cognosci* (essentia Dei a Deo) *non solum secundum quod in se est, sed secundum quod est participabilis secundum aliquem modum similitudinis a creaturis. Unaquaeque autem creatura habet* PROPRIAM SPECIEM, *secundum quod aliquo modo* PARTICIPAT DIVINÆ ESSENTIÆ SIMILITUDINEM *Sic igitur in quantum Deus cognoscit* SUAM ESSENTIAM *ut* SIC IMITABILEM *a tali creatura, cognoscit eam ut* PROPRIAM RATIONEM ET IDEAM *hujus creaturae: et similiter de aliis.* Ubi etiam adfertur quod dicit S. Augustinus (Lib. 83. Quaest. quaest. 46): *Ideae sunt principales quaedam formae, vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles quia ipsae formatae non sunt, ac per hoc aeternae, ac semper eodem modo se habentes, quae* DIVINA INTELLIGENTIA *continentur. Sed cum ipsae neque oriantur, neque intereant,* SECUNDUM EAS *tamen formari dicitur omne quod oriri vel interire potest, et omne quod oritur*

Digitized by Google

absolutam possibilitatis *entitatem* validissime et acriter insectatur, solideque dissolvit Storchenavii argumentum petitum a limi-

---

et interit. Quibus addi possunt alia S. Augustini verba ex eodem loco (Lib. 83. QQ.) in eumdem sensum; *Apud te* (Deum) *rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines; rerum omnium instabilium sunt causae; et omnium irrationabilium et temporalium* SEMPITERNAE *vivunt* RATIONES. . . . *Has autem rationes ubi arbitrandum est esse nisi* IN MENTE *Creatoris? non enim* EXTRA SE POSITUM *quidquam intuebatur, ut* SECUNDUM ID *constitueret, quod constituebat.* Praeterea S. Thomas quaerens (quaest. 44. art. 3.), utrum causa exemplaris sit aliquid praeter Deum, et supponens necessitatem cujusdam exemplaris, ut *effectus determinatam formam* consequatur, ita disserit: *manifestum est autem quod ea, quae naturaliter fiunt determinatas formas consequantur. Haec autem formarum determinatio oportet, quod reducatur, sicut in primum principium in divinam sapientiam quae ordinem universi excogitavit. . . Et ideo oportet dicere quod in* DIVINA SAPIENTIA, *sint* RATIONES *omnium* RERUM, *quas supra diximus* (quaest. 15 art. 1.) IDEAS *id est* FORMAS EXEMPLARES IN MENTE DIVINA EXISTENTES. *Quae quidem licet multiplicentur secundum respectum ad res, tamen non sunt realiter aliud a* DIVINA ESSENTIA, *prout ejus* SIMILITUDO *a diversis* PARTICIPARI *potest diversimode. Sic igitur ipse Deus est* PRIMUM EXEMPLAR OMNIUM. Ne autem haec similitudo rerum ad divinam essentiam, materiali quodam modo intelligatur, subdit in responsione ad 1^m *Dicendum, quod licet creaturae non pertingant ad hoc, quod sint similes Deo secundum suam naturam similitudine speciei, ... attingunt tamen ad ejus* SIMILITUDINEM, SECUNDUM REPRAESENTATIONEM RATIONIS INTELLECTAE A DEO.

Quod itaque solet opponi, quasi S. Thomas (part. 1. quaest. 19. art. 1. ad 3.) diceret: *Veritas est in intellectu, quia res est*; hoc loco *quoad verba ipsa* non invenitur: *quoad sensum* autem, si in contextu accipiatur, contrarium potius probat, nec est ad rem. Contrarium probat; ita enim loquitur S. Doctor: *Licet veritas* INTELLECTUS NOSTRI *a re causetur, non tamen oportet, quod in re* PER PRIUS *inveniatur* RATIO VERITATIS. Non est ad rem; quia hic sermo fit de *intellectu nostro*, a quo certe, sicut et a quocumque intellectu creato, *veritas in suo esse* non pendet, uti ibidem ad 1^m asseritur. Pendere autem veritatem a comparatione ad intellectum divinum, et in responsione ad 2^m et in corpore articuli expresse dicitur: *Res naturales dicuntur esse verae, secundum quod assequuntur* SIMILITUDINEM *specierum. quae sunt* IN MENTE DIVINA. *Dicitur enim verus lapis, quia assequitur* PROPRIAM *lapidis* NATURAM, *secundum* PRAECONCEPTIONEM *intellectus divini.*

Similiter quod habet S. Thomas quaest. 25. art. 3. in corp. *Relinquitur igitur, quod Deus dicatur omnipotens, quia potest omnia possibilia absolute . . . Dicitur autem aliquid possibile vel impossibile absolute, ex habitudine terminorum*; nullam difficultatem continet: est enim ibi sermo, ut patet ex contextu, de modo quo nos debeamus apprehendere possibilitatem *in abstracto*, quando dicimus, quod *Deus sit omnipotens, quia potest facere omnia possibilia*; non autem de eo, an possibilitas habeat aliquod *esse logicum* indipendens omnino a Deo.

Digitized by Google

tatione divinae potentiae. Et sane, ut cum eodem auctore loquamur, unica Storchenavii probatio in eo fundatur, quod si non daretur possibilitas intrinseca (intellige, tamquam aliquid in se absolutum, etc.) omnipotentia Dei limitaretur; quia scilicet in hoc casu, neque daretur impossibilitas intrinseca, ac proinde unica ratio, cur aliquid existere nequeat, esset carentia virtutis in Deo, seu limitatio ejus virtutis (1). At hujusmodi ratiocinatio in primis supponit impossibilitatem quoque, tamquam aliquid *absolutum*, et Deo prorsus extrinsecum, quod majorem adhuc involvit absurditatem, cum impossibilitas non est ratione sui intelligibilis, multoque minus potest esse *entitas absoluta*. Deinde, sive dicatur ideo aliquid non posse existere, quia Deus illud efficere nequit, sive quia entitas illa contradictoria, id est impossibilitas, Deo divinaeque virtuti adversatur; in utroque casu divina limitaretur virtus, seu de impotentia argueretur. Vera namque et unica ratio, ob quam impossibilia nequeant a Deo produci seu effici, illa est, quam adfert doctissimus Baldinotti loco superius indicato, quamque retulimus numero 14° praecedenti, scilicet, quia absurdum est, pro termino virtutis et actionis infinitae statuere *nihilum absolutum et negativum*, seu ipsum *impossibile*; cum posse efficere contradictoria, et nihil prorsus

---

Facta hac animadversione circa doctrinam S. Thomae in praesenti quaestione, mirum non erit, tot profundos et graves auctores, quos in fundamento indicamus, nostram sententiam docuisse. Haec minime latuit mentem quoque satis profundam Leibnitzii. Etenim sic disserit (Oper. omn. tom 1. pag. 265. §. 184.): *Consultum non esse, penitus ultra Deum progredi: nec cum Scotistis quibusdam dicendum esse, quod* AETERNAE VERITATES SUBSTITURAE FORENT, ETIAMSI NULLUS INTELLECTUS, NE DIVINUS QUIDEM, EXTARET. *Nam uti mea fert sententia, intellectus divinus est, qui* VERITATUM AETERNARUM REALITATEM *facit: quamvis ejus voluntas nullam hic partem sibi vindicet. Omnis* REALITAS *in aliqua* RE EXISTENTE *fundari debet. Verum quidem est, atheum esse posse geometram. Sed si* DEUS NULLUS FORET, NULLUM ESSET OBJECTUM GEOMETRIAE, ET SINE DEO NIHIL NON MODO EXISTENS, SED NE POSSIBILE QUIDEM FORET. *Id tamen non obstat, quominus ii, qui rerum inter se et cum Deo nexum non vident, certas quasdam scientias intelligere possint, quamvis primam earum originem, quae in Deo est, non percipiant. Aristoteles, etsi nec ipse satis eam cognoverit, aliquid tamen affine optimumque dixit, cum principia scientiarum particularium agnovit a superiori aliqua pendere scientia, quae iis rationem det; haecque scientia superior habere debet ens pro materia, in qua versatur, adeoque* DEUM TOTIUS ESSENTIAE FONTEM.

(1) *Ontologiae*; sect. 2, cap. 1. §. 30. et seqq.

Digitized by Google

posse efficere, idem omnino sit. Praeterea advertendum est, quod Storchenau, ut colligitur ex scholio (§. 30. ejusdem sect. et capitis), confundat hanc quaestionem cum illa, quam exposuimus numero praecedenti nuper indicato, nullamque mentionem faciat hujus essentialis distinctionis; cum tamen aliud omnino sit dicere, quod possibilitas vel impossibilitas non pendeat prorsus a voluntate, seu omnipotentia divina: aliud, quod neque pendeat ulla ratione ab intellectu divino. Quamvis enim voluntas et intellectus in Deo sint *realiter* unum et idem, *virtualiter* nihilominus, ut alias videbimus, distinguuntur; quodque uni eorum non convenit, potest convenire alteri, sic intellectus divinus cognoscit etiam omnia mala moralia quamvis divina voluntas ea revera nolit. Ad *intellectum* autem divinum *materialiter* spectatum, potius quam ad *esse* divinum *simpliciter*, reducimus omnem possibilitatis realitatem, tamquam ad fundamentum, quia intellectus proximiorem dicit respectum ad intelligibilitatem.

19. Dices 1°. Nonne possumus, debemus, et revera cogitamus de possibilitate, etiam praescindendo ab intellectu divino? 2°. Intellectus divinus dicitur cognoscere possibilia, eaque supponere tamquam objectum suae cognitionis; *non ideo* enim *aliquid est cognoscibile, quia cognoscitur, sed ideo cognoscitur, quia cognoscibile*, ut fert commune axioma. 3°. Essentia et natura entium, consistens in convenientia notarum, dicitur esse immutabilis et aeterna, ita ut nec mutari, nec aliter a Deo ipso cognosci potuerit. 4°. Si essentiae rerum penderent ab intellectu et *esse* divino, admitteretur pantheismus. Ergo possibilitas, etc.

Resp. ad 1^{m}. Quaeritur an natura possibilitatis sit talis, ut habeat suam *entitatem* realiter distinctam ab intellectu divino, non autem, an nos possimus eam apprehendere, etiam praescindendo ab intellectu divino: hoc utique fit et fieri potest, sed tunc praescindimus quoque a quaestione de natura ipsius possibilitatis, et potius ex ejus supposito conceptu, sicut fecit Clar. Gerdil superius laudatus, ipsam Dei existentiam evincimus.

Ad 2^{m}, *Dist.* cognoscere possibilia, eaque supponere tamquam objectum suae cognitionis, etc. quasi esset aliquid realiter distinctum ab ipso intellectu divino, *nego*: virtualiter distinctum ab ipsa cognitione, *conc.* Rectissime dicitur, Deum cognoscere possibilia, eaque supponere tamquam objectum, quia intellectus

divinus *formaliter* spectatus, seu *ut intelligens*, intelligendo non *facit* ipsam convenientiam notarum, quae productione non eget, cum sit mere intelligibilis (ut sapienter monet Lessius loco superius indicato, dum ait: *Esse enim possibile, qua tale, non potest esse terminus productionis, nec potest habere causam effectivam*), sed eam *supponit*, non quidem extra se, verum in conceptibus suae divinae sapientiae entitative spectatis. Unde apposite diximus, possibilitatem pendere ab intellectu divino *entitative* seu *materialiter* spectato, non vero *formaliter*. Praeterea Deus etiam dicitur cognoscere *se ipsum*, suique *intelligibilitatem* supponere tamquam *objectum* suae cognitionis: num ideo dicendum erit, intelligibilitatem Dei esse aliquid ab ipso Deo realiter distinctum? Hinc patet, quo sensu sumendum est memoratum axioma, illud applicando ad cognitionem possibilitatis, relate ad Deum; aliud est enim loqui de divino, aliud de creato intellectu, qui utique non habens plenitudinem realitatis in se ipso, neque entitative spectatus praecontinet in se veritatem et intelligibilitatem rerum, vel possibilitatis (1).

Ad 3^{m} dico, verissimum esse effatum: sed ratio ob quam verum sit, patet ex nuper dictis; quia scilicet Deus conceptus aeternos et immutabiles suae divinae sapientiae, qui sunt prototypa omnis convenientiae, quae in essentia et natura rerum habetur, nec mutare, nec aliter ac sunt apprehendere potest; non vero quasi possibilitas esset omnimode ab ipso independens. Hinc etiam colliges, quomodo voluntas divina in producendis rebus non dirigatur ab aliquo sibi extrinseco, sicut esset ista *entitas* possibilitatis, sed unice ab intellectu divino, qui exhibet ei, quae juxta conceptus, seu ad normam divinae intelligentiae et sapientiae sunt producibilia.

Quod 4° opponitur, mera calumnia est. Licet enim convenientia notarum essentiam rerum constituens pendeat, modo nunc explicato, ab intellectu divino, non tamen Deus res creando, aut suos conceptus creat, aut suum *esse* in frusta scindit et in res convertit, quod esset utique pantheismum admittere; sed tribuit existentiam rebus a se realiter distinctis, seu facit ut sint actu ad extra, quae *simpliciter* non erant, juxta conceptus, seu ad normam suae divinae sapientiae, non vero ad normam cujusdam cognoscibilitatis sibi extrinsecae, sive possi-

(1) Confer quae diximus *Logic*, Part. 2. art. 1. §. 1. n. 32.

Digitized by Google

bilitatis, quae nonnisi per absurdum spectaretur tamquam *subjectum, sive materia*, ex qua Deus res efformavit. Nam revera res non fiunt *ex possibilitate*, sed *ad instar possibilitatis*, et *esse* possibilitatis *logicum* idem remanet etiam post productionem vel creationem rei; non enim ex eo quod aliquid actu producatur evadit impossibile. Praeterea, cum possibilitas sit revera quaedam realitas, si *ex possibilitate* res formarentur, tunc creatio non fieret revera ex praesnpposito simpliciter *nihilo* sive, ut ajunt, *ex nihilo subjecti et sui*. Quaenam sit autem vera origo pantheismi, nunc iterum a philosophis quibusdam Germanis aliisque in medium revocati, alibi videbimus (1). Demum, quia Deus, utpote *plenitudo omnis realitatis* seu *perfectionis*, debet in se omnem *perfectionem simpliciter simplicem formaliter* praecontinere, uti docent omnes philosophi et theologi, si hoc *materiali* quadam *ratione* intelligatur, etiam in sententia, quod *possibilitas* sit aliqua *entitas* extra Deum, posset quis *per absurdum* pantheismi monstrum obtrudere.

20. Proprietates illae, quibus sublatis perit totalis entis conceptus, nec amplius intelligitur quid sit illud ens, et quomodo ab aliis diversis discriminatur, *essentiam* ejus constituunt. Si considerentur hujusmodi proprietates tamquam fons earum operationum, quae a tali ente, vel mediante ipso ponuntur aut poni possunt, dicuntur *natura*, quamvis *naturae* nomen etiam diversa alia significet (2). Proprietates istas essentiales revera in rebus deprehendimus: ergo conceptus isti non sunt mere subjectivi, sicut vellet Kant, et arbitrarii ac chimaerici, vel nomina tantum et merum figmentnm scholasticorum, sicut Loke et alii opinantur, sive sermo fiat de essentia *reali*, sive *notionali*, qnam per injuriam *nominalem* vocant. Essentia *realis* omnia constitutiva entis, prouti sunt vel in statu physico vel metaphysco includere debet; *notionalis* vero ea tantum, quae genus proximum et ultimam differentiam constituunt, aut quae per meram descriptionem solemus exhibere, qnaeque nobis sufficiunt ad ens aliquod

---

(1) Uberius istud declaramus inferius *Psycholog.* Cap. III. Art. 2.

(2) Praeter acceptionem vocis *natura*, pro *principio operationum alicujus entis*, sumitur quoque 1° pro *complexu omnium hujus mundi entium*; 2° pro *principio generali omnes res moderante*; quo sensu nequit significare nisi *Deum*; 3° pro *aptitudine ad aliquid praestandum*, *distincta ab arte*; 4° per oppositionem ad ea, quae sunt aut fiunt *supernaturali* modo. etc.

Digitized by Google

ab aliis cognitis distinguendum. Hinc patet, quid veniat nomine essentiae *physicae* et *metaphysicae*, quamvis nomine istius intelligitur communiter una illa, vel plures proprietates entis, quae primo loco concipi debent, et a quibus ceterae omnes dimanant.

Essentia *realis*, cum debeat involvere omnia constitutiva entis, sive in abstracto sive in concreto, a nostro conceptu non pendet, neque proinde est quid arbitrarium, aut figmentum tantum. *Notionalis*, si excipias entia artefacta et idealia, licet plerumque non adaequet realem, quia intima constitutio seu natura physica rerum communiter nos latet, attamen nequit pariter dici esse *nomen* dumtaxat, aut aliquod inventum scholasticorum, cum notae genericae et specificae per quas exhiberi solet, a parte rei fundamentum agnoscunt. Sic e. g. essentia hominis per *animal rationale* expressa, quamvis forte sit inadaequata, est nihilominus objective etiam realis.

21. Atque hic componendae sunt assertiones veterum et recentiorum philosophorum. Isti enim indiscriminatim contendunt, essentias rerum mutari posse et pendere a nostro conceptu, quod verum tantum erit de essentia notionali, quando est inadaequata, cui quandoque aliud forte constitutivum addendum foret, ut entia possent distingui : illi vero indiscriminatim contendebant, essentias esse immutabiles, necessarias, aeternas, etc. Hoc verissimum est de essentia reali et metaphysica, accepta nempe pro sola convenientia notarum in abstracto spectata, juxta modum in praecedentibus numeris 16. 17. 18. et 19. ad 3^m^ expositum : minime autem de essentia notionali et physica seu existente. Deus enim, quamvis non poterat notas repugnantes conjungere, poterat tamen tale determinatum ens producere vel non producere, hunc vel illum perfectionum gradum illi tribuere, juxta diversos fines suae divinae sapientiae.

22. Quaeri etiam solet a philosophis, num *existentia* addat aliquid *essentiae* rerum. Verum hic opus est distinctione et omnis disputatio evanescet. Si enim *essentia* consideretur in abstracto et pro sola possibilitate seu convenientia, qua proprietates rei, ut tales, sunt compossibiles praescindendo ab existentia, tunc certum est, existentiam esse plus quam solam essentiam et possibilitatem, sicut *esse* est plus quam *non esse*. Quod si essentia accipiatur pro ipsis proprietatibus quae *actu* naturam entis physici constituunt, tunc nulla est ratio distinguendi essentiam istam actualem ab *existentia*, quasi nempe haec esset

Digitized by Google

entitas quaedam realis, seu forma superaddita essentiae. Etenim optime intelligo, ens aliquod existere, dummodo ejus proprietates essentiales in rerum ordine ponantur, seu reducantur ad actum. Unde compositum ex *essentia actuali* et *existentia* est tantum metaphysicum; haec enim duo ratione nostra dumtaxat distinguuntur. Quod vero existentia sit contingens, mutabilis, etc. essentia autem necessaria, immutabilis, etc. id explicatur ratione diversi status, ad quem hujusmodi expressiones referuntur.

ARTICULUS III.

DE SUBSTANTIA, SUBSISTENTIA, SUPPOSITO ET PERSONA

23. Reflexione adhibita super conceptus nostros objective reales, satis claram et distinctam *substantiae* et *modi*, seu *qualitatis* vel *accidentis* notionem comparamus. Animum nostrum diversarum affectionum suarum subjectum esse, et ab ipsis, saltem determinate acceptis, in existendo independentem, evidenter cognoscimus: ille enim semper est idem; istae diversas vicissitudines subeunt, et ab illo sejunctae, velut per se existentes concipi nequeunt. Idem dicatur de globulo e. g. eburneo, cujus materia semper remaneret eadem, quamvis figura, color, magnitudo, etc. continuo mutarentur: ergo animus noster e. g. et materia illius globuli a proprietatibus indicatis in existendo non pendent. Aliud igitur est, quod *per se* existit, nec indiget alio cui inhaereat, et *substantia* dicitur, quam proinde recte definies: *ens reale per se, seu in se existens, non indigens alio, cui inhaereat velut subjecto*: aliud est, *quod non existit nisi in alio, tamquam subjecto*, et dicitur *modus, modificatio, qualitas*, vel *accidens*. Definitio haec *substantiae*, ex ipsa genesi hujus notionis deprompta, indicat conceptum istum subjective et objective realem esse et universalissimum, optimeque determinantem, quid sit *substantia* per oppositionem ad *accidens*. Hinc parum moramur refellere definitiones alias non satis accuratas, sed potius indicando prius aliquid de qualitatibus secundariis, seu accidentibus corporeis, respondebimus postea difficultatibus illis, sive calumniis, quas Loke (1) aliique contra doctrinam de substantiis congerunt (2).

(1) *Sur l' entendement humain*, liv. 2. ch. 23. §§. 1. 2. Item *Condillac*. *Traité des sensations*. 2. part. ch. 7. §§. 21. 22.

(2) Data a nobis *substantiae* definitio, licet tantum se habeat per

24. Qualitates istae, ut alias monuimus (1) vocantur proprietates *secundariae* per oppositionem ad *primarias*. Eas in corporibus esse quid *absolutum*, docuerunt scholastici; recentiores vero philosophi dicunt, eas formaliter spectatas tantum in mente nostra versari, ac proinde esse *relativas*: in objectis vero non haberi nisi aptitudinem ad talem sensationem in nobis excitandam, quod de coloribus et sono certissimum est. Nam et in iride, et in prismate e crystallo confecto, non immutata objecti natura et proprietatibus, sed pro sola diversitate reflexionis lucis, septem diversi colores exhibentur; et tota ratio diversitatis sonorum a diversa undulatoria aëris concitatione, tam in instrumentis chordarum, quam pneumaticis dependet; adeo ut, sublata omni luce et aëre, nullus amplius color et sonus superesset. Quidquid sit hac de re, indubitatum tamen haberi debet, has proprietates secundarias, licet naturaliter nequeant existere, nisi in subjecto cui inhaerent, nihilominus virtute divina posse existere etiam sublata substantia seu subjecto; quod vel ex eo tantum principio: *Quod potest inferior, potest superior*, suadetur. Si enim proprietates istae sunt *absolutae*, Deus virtute sua supplebit defectum subjecti inhaesionis; si vero *relativae*, producet in sensibus nostris easdem impressiones, quas prius producebat substantia, quae supponeretur amplius non esse.

25. Opponunt. Nos prorsus ignoramus, quid sit substantia; ergo inutilis est quaestio.

Resp. *Dist. ant.* ignoramus, in quo consistit aliqua determinata substantia, *conc.* per oppositionem ad accidens, seu

---

oppositionem ad *accidens*, universalissima est, et vel ex inde recta, quod eam constituens in *existetere per se*, seu *in se*, ad exclusionem subjecti cui inhaereat, Deum ipsum, cui etiam proprium est *per se* seu *in se existere*, sub se complectatur. Qui vero *substantiam* definiunt, quod sit *subjectum accidentium*, *subjectum inhaesionis, subjectum perdurabile et modificabile*: vel cum Cartesio: *Res illa, cui insunt formae sensibiles et attributa*: denominationem *substantiae* a Deo excludunt, cum Deus proprietates accidentales, formas sensibiles et modificationes in se non admittat, nec possit admittere. Similiter qui dicunt: *Substantia est ejus, quod est aut fit subjectum primum ita existens; ut intrinsecus a nullo pendeat*; videntur a substantia ipsam necessitatem divinae conservationis et concursus hac eorum definitione exclusisse. Tandem, non solum Deum, utpote immutabilem, sed et materiam, utpote inertem, non esse substantiam, ex hac alia definitione sequeretur, juxta quam substantia dicitur *ens quod principium suarum mutationum in se continet.*

(1) *Logicae* part. 2. art. 8. n. 72. Urgent II.

qualitatem, *nego ant.* et *conseq.* Quando in objectis apprehendimus proprietates, quae *per se* existere nequeunt, recte infertur, debere adesse aliquid cui insint; secus existerent in nihilo: quod enim *per se*, seu *in se* existere nequit, existat necesse est in alio, et hoc aliud *substantiam* dicimus, ac proinde intelligimus quid sit, per oppositionem ad accidens, licet in casu particulari, intrinsecam objectorum naturam ignorando, non valeamus determinare, quinam sit ille character seu constitutivum, per quod substantia e. g. eburis differat a substantia ferri. Vide Gerdil (1).

Instant I°. Substantia non est nisi complexio qualitatum, ignota ratione coëxistentium; ex quo enim assueti simus concipere rei qualitates ut in alio existentes, excogitata fuit *substantia*, seu subjectum earum. Ita rursum Loke (2).

Resp. *Nego ant.* et *probat.* Ex fundamento constat, notionem hanc esse objective realem, utpote desumptam ex positivis et realibus ideis objectorum. Non igitur subjectum hoc seu substantia consuetudine asseritur, non veluti somnium quoddam fingitur, non est quid penitus ignotum, non mera vox, non denique complexio qualitatum ignota ratione coëxistentium, ut recte concludit Baldinotti (3).

Instant. II°. Substantia est quid latens in objectis; ergo neque visu neque tactu percipitur.

Resp. *Transeat* totum. Sensus utique non se extendunt ultra externam objectorum superficiem, sed tamen praebent occasionem, ope reflexionis ad diversas sensibiles affectiones earumque comparationis, detegendi aliud esse, *quod existit per se*, seu *in se* aliud, *quod inhaeret subjecto.* Ex hoc autem non sequitur notionem *substantiae* esse dumtaxat abstractam et genericam; ex iisdem enim motivis deducitur, eam in unoquoque particulari objecto adesse.

Neque demum timendus est progressus in infinitum, quasi nempe substantia, rerum qualitates sustinens, egeret alio, a quo sustineretur, et hoc iterum alio, et sic in infinitum. Nam quod ponitur *per se*, seu *in se existere*, simul ponitur nullo alio e-

---

(1) *Dissertazione sull' esistenza di Dio e l' immaterialità delle nature intelligenti* §. 2. Operum edit. Roman. t. II.

(2) Loc. cit. liv. 4. ch. 6.

(3) *Metaph. gener.* cap. 1. §. 35.

Digitized by Google

gere, a quo velut a subjecto sustineatur Nec proinde quidquam valet fabula elephantis terram sustinentis (qui a testudine et haec rursum ab aliqua alia re, et sic deinceps sustineri supponeretur), a Loke excogitata, ad contemptum dumtaxat huic doctrinae conciliandum.

26. Non sequitur pariter, et quidem multo minus quod vult Kant (1), scilicet, notionem hanc ita esse opus rationis nostrae, ut per anticipationem, et ante omnem de rebus experientiam habeatur. Ex eo enim quod sit constans, absolute universalis, et omnem objectorum cognitionem, nulla habita ratione differentiae eorumdem proprietatum, comitetur, hoc unum tantum; fluit eam nimirum notionem exhibere aliquid, quod salva natura rerum nequit ab ipsis abesse, minime autem, eam esse ab objectis omnimode independentem. Idque vel ex eo falsum esse sufficienter apparet, quod non sit haec notio adeo constans (quod tamen deberet esse si tantum ex subjectiva rationis comparatione et *a priori* oriretur), ut in hypothesi quoque nullius objectivae rerum earumque proprietatum realitatis ac existentiae, adhuc in mente remaneat, et a conceptu objectorum separari nequeat: *nihilum* enim, nullum subjectum postulat, et soli *conceptus* rerum earumque proprietatum, praeter mentem percipientem alio subiecto non egent; proprietates autem objectorum accidentales et variabiles possunt saltem *per substitutionem*, ut ajunt, ab animo spectari absque earum subjecto, seu substantia (2). Similiter si substantiam per solam, ut ita dicam, *perseitatem* apprehendas, ejus notio non ita accidentalium proprietatum conceptui sociatur, ut nullam valeas apprehendere substantiam, quae ipsis non sit subjecta. Praeterea falsum est, notionem substantiae (nisi eam generice velis spectare) nulla ratione variari, habito respectu ad differentiam proprietatum diversorum objectorum. Etenim si in ob-

---

(1) *Introductio ad criticam ration. purae*, §. 2.

(2) Frequenter fieri solet, ut rei alicujus singularis determinatas proprietates e. g. determinatam figuram, colorem, extensionem, etc. licet accidentales sint, apprehendamus quasi *per se* existerent, supplendo mentaliter, seu substituendo aliquid aequivalens subjecto, quod excludimus. Tunc vero ut patet, conceptus *accidentium* a conceptu *substantiae* separatur *per substitutionem*, haud secus quam conceptus e. g. divinae substantiae a conceptu accidentium, quibus illa non subjicitur. Hoc forte posset etiam ostendi ex universali alicujus accidentalis proprietatis conceptu; nam etiam in hoc casu, *accidens* absque respectu ad subjectum *substantiam* apprehenditur.

Digitized by Google

jectis distinctis ac diversis fuerint proprietates praesertim constantes, habita ratione earum naturae et per se oppositae, evidens est, substantias seu subjecta quoque eorum esse oppositae et diversae naturae, cum capacitates oppositarum proprietatum, aeque ac ipsae proprietates, in subjecto ejusdem naturae simul consistere nequeant.

27. Substantia itaque relate ad entia creata, est subjectum illarum proprietatum, quae per se non existunt. Verum distinguendum est subjectum *inhaesionis* seu *sustentationis*, quod scilicet ita praerequiritur ad aliud, ut hoc sine illo nec fieri, nec existere possit e. g. marmor relate ad lineamenta alicujus figurae, a subjecto *adhaesionis* seu *informationis*, quod quidem in se recipit aliud, et ad hoc a natura ordinatur, non tamen ita necessario praerequiritur ad illud, ut hoc sine illo fieri aut existere non possit. Tale subjectum est corpus nostrum relate ad animam, quae in illo naturaliter recipitur illudque informat, tamen sine illo creari et existere potest.

Distinguenda est quoque substantia *completa*, quae scilicet ad aliud non ordinatur e. g. Angelus, arbor, etc. ab *incompleta*, ea nempe, quae licet *in ordine substantiae*, ut ajunt, omnia habeat, ut *per se* seu *in se* existere queat, tamen spectata ejus natura ordinatur ad aliud, cum quo tamquam subjecto adhaesionis physice conjuncta, tertium quid completum, seu *compositum substantiale* efformat. Talis substantia est e. g. anima humana, quae licet per se existere possit, naturaliter tamen ordinatur ad physicam unionem cum corpore et ad constituendum compositum istud substantiale, quod vocamus *homo*.

28. *Subsistit* ens aliquod, quod ita per se existit, ut nullo alio in suis operationibus egeat principio. Hinc *Subsistentia* a nonnullis definitur: *Modus ille existendi, qui naturam entis reddit sui ipsius propriam, et adaequatum principium suarum operationum.*

Modum hunc existendi in entibus rationalibus, uti nos sumus, clare percipimus, ex eo quod operationes quasdam iis, a quibus ponuntur, exclusive ad quodcumque aliud ens tribuamus: unde patet notionem *subsistentiae* esse objective realem. Subsistentia entis rationalis vocatur *Persona* vel *Suppositum*; irrationalis vero *suppositum* simpliciter. Definitionem personae et suppositi habebis, si definitioni subsistentiae addas vocem *rationalis*, vel *irrationalis*. Relate ad entia inanimata definitionem sup-

Digitized by Google

positi non ita accipies, ac si principium intrinsecum activum illis tribueremus, sed tantum quod, posita determinatione extrinseca, quidquid ab ipsis vel mediantibus ipsis fit, ipsis tamquam in sua natura completis, possit et debeat *denominative* attribui.

29. Variae definitiones personae, quae solent adferri, plerumque rem obscuriorem efficiunt; nostra videtur ab hac labe immunis: hinc enim facile intelligitur, quare nec anima nec corpus humanum, ut separata, constituant *personam* hominis; quia scilicet separata non formant compositum humanum, quod sit *sui juris, et adaequatum principium suarum operationum*: unde actiones individui ita sint *elicitive* et *denominative* ejus, ut alteri non tribuantur, quia nempe est *adaequatum principium suarum operationum*. Verum notio ista *personae* est in communi, quam S. Thomas (1) vocat *individuum rationale*, et distinguit a significatione *personae divinae*, quae juxta ipsum est *relatio originis subsistens*, cum in Deo *relatio* sit realiter ipsa *essentia*.

Porro ex hac animadversione S. Thomae patet, quod si quis vellet communi illa, quam post Boetium tradunt scholastici, personae definitione uti, dicendo: *Naturae rationalis individua substantia*, diligenter necesse est observet sequentia : 1°. Definitionem non cadere in vocem *substantia*; secus persona non esset modus determinatus naturae entis rationalis, sed formaliter ipsum ens. 2°. Vocem *individua* quae constituit seu exprimit definitum, non ita accipiendam esse, ac si ipsa singularitas, seu notae illae, per quas natura rationalis fit individua , constituerent *personam*. Quamvis enim naturaliter et ordinarie evenit, ut ubi est singularitas naturae rationalis per individuantes notas determinata , ibi quoque sit *persona* seu modus ille, quo natura fit *sui juris et adaequatum suarum operationum principium*, hic tamen non constituitur per illas, cum e. g. anima nostra et corpus post separationem remaneant substantiae singulares per individuantes notas determinatae, quin tamen sint vel constituant ut diximus, *personas*. Praeterea, si definitio haec ita non intelligatur nullatenus potest adhiberi dum sermo fit de divinis personis, vel de angelis, cum in Deo nullae sint; in angelis vero notae individuantes, etiam spirituales, difficile admodum supponi queant.

---

(1) 1. parte. quaest. 29 art. 4.

Digitized by Google

30. Nos personam creatam in concreto spectando, id est, tamquam naturam rationalem sui juris, forte nunquam quaereremus, an distinguatur realiter a *natura*, nisi mysteria Fidei occasionem dedissent. Ex Fide enim scimus, posse in creatis virtute divina personam separari a natura. Etenim in Christo Domino duae sunt naturae perfectae, divina nempe et humana, et una tantum persona filii Dei; ergo natura humana in Christo caret persona humana, supplente ejus vices persona divina; ergo in creatis persona distinguitur, saltem *realiter modaliter*, a natura: secus non possent separari.

Hac veritate supposita, quaeritur in quonam reponi debeat personalitas creata, ut scilicet concipi queat, quomodo natura integra permaneat, licet propria persona spolietur. Duae sunt hac super re in scholis sententiae: prima tenet, personalitatem spectandam esse ut *entitatem* quamdam *modalem positivam*, quae naturae adjecta eam reddit completam et alteri incommunicabilem, quaeque tamen, utpote *modalis*, potest separari, integra manente natura, Altera docet, personalitatem concipi posse per *meram negationem*, sive *defectum unionis cum ente perfectiore*: hinc natura creata, ex quo ita non uniatur, constituitur in propria persona sive sui juris, et alteri incommunicabilis; si vero uniatur, desinit esse *sui juris*, sive amittit suam personalitatem. Utraque sententia suos habet fautores: secunda probabilior et difficultatibus solvendis aptior esse videtur. Ex eo autem, quod in hac secunda sententia *modus* concipiendi, quo persona valeat separari a natura, sit *negativus*, minime potest inferri, ipsam personalitatem *objective* et *in concreto* spectatam, esse pariter quid *mere negativum*: nam revera esse ita constitutam aliquam naturam, ut sit *sui juris*, est quid plus, quam non esse ita constitutam.

ARTICULUS IV.

DE RELATIONE IDENTITATIS, SIMILITUDINIS, DISTINCTIONIS; NEC NON DE COMPOSITO, SIMPLICI, UNO, ALIISQUE CUM HIS CONNEXIS

31. Advertendum est in primis, *Relationem* solere dici proprietatem entis extrinsecam, quatenus nimirum non concipitur enti competere in se, seu absolute spectato, sed semper cum

Digitized by Google

respectu aut per comparationem ad aliud ens, vel ad alium saltem suimetipsius statum. Quod si quis cum Loke vellet intelligere, relationem ita esse proprietatem entis *extrinsecam*, ut etiam ipsum fundamentum relationis seu, ut ajunt, *ratio fundandi*, esset semper quid extrinsecum, istud aperte negaremus. Nam apprime distinguenda est duplex relationis species; quaevis enim relatio, sicut supponit terminos, qui ad invicem referantur, ita etiam aliquod fundamentum relationis requirit; secus nullum esset aut apprehendi posset ens in consortio aliorum, quod non esset relativum, quod est falsum; atque hoc est commune cuilibet relationi. Verum necesse non est, ut *fundamentum* relationis, seu illud quod constituit *rationem*, ob quam unum ad aliud refertur, sit semper aliqua proprietas *extrinseca*: dantur enim relationes, quae ab intrinsecis entis constitutivis dependent, quales sunt e. g. originis inter filium et patrem, dependentiae inter effectum et causam, contingens et necessarium, etc. quae multum differunt ab iis, quae meram involvunt rationem ordinis successivi, aut positionis localis, e. g. esse ad dexteram vel sinistram, sursum vel deorsum etc. idque vel ex eo colligitur quod istae, non autem illae, haud mutatis intrinsecis entis constitutivis, possint variari.

Datur autem quandoque fundamentum relationis ex parte dumtaxat unius termini, aut non idem fundamentum pro utroque termino, et tunc relatio est et dicitur *non-mutua*, secus vero *mutua* nuncupatur. Sic dependentia effectus a causa quoad *esse*, est propria ipsi et non causae, quae spectata tamquam *ens* potest existere sine effectu, ac proinde in *suo esse* ab eo non pendet: sicut e contra, causalitas seu aptitudo virtutis ad producendum effectum, tantum propria est causae; ergo quoad hoc fundamentum relationis non est mutuum, sed ex una solum respective parte se habet. Quod si effectus et causa *formaliter* spectentur, relatio est *mutua*, cum nec causa habeat veram et propriam *causae* rationem, nisi supposito respectu ad ejus effectum, nec effectus veram rationem *effectus* prae se fert, nisi relativus ad propriam causam.

32. *Identitas* est praesertim *relatio entis ad se ipsum*. Notio haec positiva et realis ab animo efformatur, dum apprehendit rem aliquam easdem proprietates, sive eamdem entitatem absque mutatione servasse, ac antea habuit. Pro *Diversitatis* notione valet oppositum. Si ens nullam revera in se mutationem

Digitized by Google

subeat, erit identitas *physica absoluta*, si vero tantum non appareat subiisse, a parte tamen sui aliqua saltem levissima variatio adfuerit, habebitur identitas *physica relativa*, sive *ad sensum*. Quod si ens manifestam in se mutationem involvat, in aestimatione tamen hominum pro eodem computetur, dicitur identitas *moralis*. Identitas physica absoluta, erit etiam *metaphysica* et *mathematica* e. g. relate ad objectnm, quod non solum in substantia et proprietatibus suis nullam unquam mutationem subit, sed nec subire potest.

Peculiarem attentionem meretur identitas *nostrae personae*: ab ipsa enim dependet aequitas poenarum et praemiorum, atque vitae futurae immortalitas. Leibnitz, Cudworth et Bonnet hypothesibus indulgentes, hanc identitaiem diversimode explicant (1). Loke, ut moris habet, modo eam a solo corpore repetendam esse putat: deinde, moralem a physica non distinguens, plura philosopho indigna commentus est (2).

Quando animus praesentem statnm suum apprehendens, illum cum praeterita existentia sua, ejusque diversis statibus con-

(1) Leibnitz *Nouv. Ess.* l. 2. c. 27. §. 4. *et alibi*; identitatem viventium ex animabus duntaxat repetendam esse censuit, corpora vero eam non servare docuit. Deinde autem loc. cit. et *in Theodic. ac in Epist. ad Clark atque alibi*, circa identitatem personae modo suo philosophatur, recurritque ad praeteritos, praesentes et futuros monadis et animae status inter se convenientes, et cum universis substantiis nexum atque harmoniam servantes. Cudworth Tom. II. c. 5. Bonnet praesertim *in Paling. et Ess. anal.* Tom. II. c. 24. germen quoddam indissolubile instar corporis nostri crassioris in ipso includi, et eidem germini animam copulari, unde identitas viventis permaneret, excogitarunt: quod quidem alii per stamina quaedam velut fundamenta organici vicissitudinibus crassioris materiae non obnoxia, se explicasse autumant. Vid. Baldinotti *Metaphys. general*, cap. 2. §. 54 et seq. *usque ad* 69.

(2) Loke de *human. intellect.* lib. 2. Cap. 27. §. 4. et seqq. ita hominis identitatem a corpore organico videtur repetere, ut si secus foret, haud posse ostendi existimet, Socratem e. g. S Augustinum aliosque unum eumdemque hominem non potuisse esse. Identitatem vero personae ibidem a sola conscientia, referente et conjungente diversas affectiones praeteritas cum praesenti animae statu, desumit: unde quantum patet ista tantum et illa; ista deficiente et illa evanescat necesse est. Similiter quasi ludens infert; ebrios atque amentes non esse easdem personas quae antea fuerunt, fierique posse ut ex multis una et multae ex una personae oriantur, si nempe propria unius conscientia in multos, et multorum in unum transiret. Circa hanc identitatem personae vestigiis Loke fidissime inhaeret Condillac *Trait. des Sensat.* p. I. chap. 7.

jungit, conscius est de identitate suae personae; alii vero eamdem cognoscunt ex diversis extrinsecis indiciis. Atque haec est *identitas moralis*, quae a physica et in se spectata differt; potest enim quis idem remanere, quamvis praeteriti status sui memoriam amittat, et alii de illo non cognoscant ea, quae identitatem istam indicare solent. *Physica identitas* videtur esse constituenda in constanti permanentia substantiae animi nostri, vitaeque animalis, quoad corpus, continuitate. Et sane substantia animi nostri, utpote simplex, partium imminutione aut transpositione non mutatur, diversaeque ejus affectiones seu modificationes accidentales, ejus entitatem non mutant. Porro, licet corpus nostrum brevi annorum spatio, ut docent Physiologi, ex integro renovetur, ad identitatem tamen vitae animalis sufficere videtur 1° si lineamenta, formae characterem exprimentia, non deleantur; 2° si materia sensim adcrescens, statim cum superstite communem vitam vivat; 3° si communis haec vita sine interruptione duret.

33. Si duo objecta ad invicem collata solo numero differrent, forent perfecte *similia*: imperfecte vero, si sub aliquo respectu discrepent. Duo perfecte similia, licet intrinsece non repugnent, non posse actu existere Leibnitz contendit, ex quo etiam *principium indiscernibilium* in philosophiam invexit. Ipse ejusque asseclae in primis ad experientiam provocant dicentes, ne unum quidem e. g. folium alteri perfecte simile inveniri; deinde ex parte sapientiae divinae nullam fore, inquiunt, rationem, cur uni eorum locum et tempus assignaret, quae aeque omnino alteri convenirent. Et haec sunt validiora eorum argumenta, quae tamen rem non evincunt. Nam experientia ad omnia hujus mundi entia non se extendit, et dato etiam, quod non invenirentur duo perfecte similia, non sequeretur tamen non *posse* actu dari; nisi adferatur extrinseca ratio ostendens, perfecte similia non posse esse terminum divinae actionis: ratio enim allata non concludit; si namque Deus pro uno eorum possit assignare locum et tempus; cur pro utroque non poterit? Nonne ratio distinctionis temporum et locorum poterit desumi ex diverso fine constituto, aut ex diversitate numerica? Nulla igitur repugnantia ex parte divinae sapientiae.

34. Sola etiam numerica entium differentia notionem suppeditat *Distinctionis*, quae postulat tantum, ut unum non sit aliud; ex quo patet, non omnia *distincta* esse *diversa*. Nos

Digitized by Google

non tantum res compositas, sed etiam objecta simplicissima, quin et ideas nostras quascumque distinguimus; hinc variae oriuntur distinctionis species. *Realis* distinctio habetur inter objecta, quae separata per se existunt, eritque *adaequata*, si unum non sit pars alterius e. g. Petrus et Paulus; *inadaequata* e contra e. g. inter animam et hominem. Objectum simplex partibus physicis carens, si plures proprietates involvat, hae distingui poterunt vel distinctione *formali*, quando conceptus unius a parte sui et objective, non involvit conceptum alterius, ut e. g. facultas volendi et intelligendi in homine; vel distinctione *rationis* simpliciter, dum distinctio conceptuum pendet ab apprehensione mentis. Porro distinctio rationis, erit *rationis ratiocinatae*, quando objectum, licet realiter aut formaliter indistinctum, tamen praebet fundamentum distinctionis faciendae, propter summam suam excellentiam et virtutem, pluribus realiter vel formaliter distinctis aequivalentem: sic distinguimus attributa et perfectiones divinas, quae distinctio dicitur etiam *virtualis*. Distinctio vero *rationis ratiocinantis* aderit, quando fundamentum distinctionis in sola mente habetur, dum idem prorsus objectum duplici idea distincta exhibetur e. g. homo et animal rationale. His additur quoque distinctio *modalis*, quae statuitur inter modos e. g. albedinem et rotunditatem objecti; vel inter subjectum et modum e. g. animum et ejus cogitationem; et haec dici potest *realis modalis*: subjectum enim potest realiter existere sine tali modo, quamvis hic sine illo existere nequeat.

35. Ex sensationibus realibus quas continue experimur, quaedam inter se juncta et per modum plurium nos afficere deprehendimus. In his, praescindendo a diversis proprietatibus, si sola partium extra partes positio et conjunctio spectetur, oritur conceptus entis *compositi*, id est, *partes extra partes habentis*. Compositum *naturale* vocatur, cujus partes ex se conjunguntur e. g. in ligno aut metallo: *artefactum* vero, ubi ab industria humana partes diversimode consociantur ad aliquos fines a compositione naturali distinctos: compositio haec supponit in partibus componentibus compositionem naturalem.

Realitas conceptus entis compositi non pendet a quaestione, utrum partes componentes in ultima analysi debeant esse simplices. Nam dato etiam hoc, licet non concesso, partes illae simplices, juxta systema Leibnitzii et Boschovichii, non sunt sine qualitate quemadmodum sine quantitate: secus forent nihi-

Digitized by Google

lum, sicut Zenonica puncta: ergo cum viribus attractivis et repulsivis supponantur gaudere, quibus se invicem petunt et a mutuo contactu praepediunt, ordine quodam consociatae magnitudinem, figuram et superficiem objectorum exhibent, diversasque resistentias inter se distinctas, positivas tamen et reales, contactui nostro opponunt; ergo conceptus iste etiam in hac sententia est objective realis. Verum fatendum est, in hypothesi ista perceptionem compositi reduci ad *phaenomenon* plurimarum resistentiarum, quae utpote ab invicem distantes, non efformant veram extensionem, quam tamen idea entis *compositi* sive *corporis* necessario includere videtur, unde oppositam sententiam inferius amplectemur.

36. Conceptus compositi ducit nos ad *Extensionis* et *Quantitatis* notionem exponendam. Abstrahendo a limitibus, quos in composito materiali deprehendimus, et solam partium extra partes positionem et unionem indeterminate considerando, notionem realem et genericam *Extensionis* efformamus. Si partes extensionis ita mutuo conjunctae concipiantur, ut nulla earum proprium terminum habeat, oritur notio extensionis continuae seu *Continui mathematici*, cujus partes se mutuo excipiendo, communem tantum terminum habent. In compositis naturalibus, ut eorum divisibilitas suadet, partes sensibiles semper proprium terminum habent; hinc oritur discrimen inter continuum *mathematicum* et *physicum*, quod etiam *contiguum* dici potest, nec postulat nisi ut partes, proprium etiam terminum habentes, per contactum vel contiguitatem physicam ad communem terminum constituendum vergant. Quidquid partes conjunctas vel separatas continet, dicitur et est *quantum*. Continuum mathematicum, seu quantitas *continua*, est objectum Geometriae, sicut quantitas *discreta* seu numerica, est objectum Algebrae.

37. Continuum physicum, seu compositum materiale mirabili prorsus divisibilitate et numero partium praeditum est, uti norunt physici. Ast quaerunt metaphysici, num analysim earum protrahendo, ultima elementa sint simplicia, nec ne? Qui Boschovich sequuntur, simplicia esse pronuntiant. Sed hoc videtur esse falsum: 1°. Quia conceptus *corporis* necessario includit aliquam veram extensionem, non vero apparentiam dumtaxat, sicut esset in hac hypothesi, fatentibus ipsis adversariis. Si autem semel concedatur, etiam conceptum communem de reali corporum extensione, esse dumtaxat *relativum*, eodem prorsus modo

Digitized by Google

poterunt idealistae contendere, conceptum ipsius realis existentiae esse tantum relativum. 2°. Quantitas nequit exurgere ex non-quantitatibus, sicut *esse ex non esse*; ergo corpus nunquam posset dici, quantitatem physicam continuam in se continere. Nec valet paritas ab unitate desumpta, quae est initium numeri, licet non sit numerus: nam etiam unitas in concreto spectata debet esse quantitas, ut quantitatem discretam constituat. 3°. Quia fundamentum hujus doctrinae non subsistit. Ideo enim dicunt, elementa illa debere esse simplicia, quia secus in analysi corporum semper haberetur *compositum*, et nunquam *componentia*. Sed ut elementa sint *componentia*, non requiritur ut sint simplicia; sufficit enim, ut amplius nequeant resolvi in partes realiter discretas. Hoc fiet, supponendo in ipsis extensionem quamdam exiguam *mathematice continuam*, quae et ratione sui, et quia elementis illis essentialis est, destrui non poterit nisi per annihilationem; et sic erunt *componentia*, non tamen *composita*, compositione scilicet accidentali, quae partes involvit proprium terminum habentes, ac proinde actu et realiter separabiles (1). Porro haec suppositio omnino quidem necessaria est

(1) Dum dicimus elementa haec materiae *mathematice continua* spectanda esse ut *indestructibilia*, tam ratione sui seu continuitatis mathematicae, quam quod haec supponatur iisdem essentialis, duo ista apposite conjungimus, ne quid nimis videamur postulare, iisque prorsus inficias ire, qui autumant naturam hujus continui nequaquam perituram, etsi, saltem ab omnipotentia divina, in plures partes actu divideretur, quia nempe singulae istae partes adhuc communes tantum limites retinerent. Quamvis autem nobis videatur neque Deum posse invenire proprios limites qui ad actualem divisionem necessario praerequiruntur, ubi revera non sunt, quin simul mutet naturam ipsius objecti; et quod si ex parte talis objecti continui supponatur non solum idealis sed objective realis propriorum terminorum determinabilitas, quae actualem divisionem reddat possibilem; forte consequens foret hanc objective realem determinabilitatem posse sumi pro fundamento possibilitatis numeri actu infiniti: his tamen praetermissis; ex secunda potissimum ratione, scilicet, quod continuitas haec dicatur istis elementis materiae essentialis, existimamus ea non nisi per annihilationem a Deo destrui posse. Nonne communis omnium Doctorum sententia tenet, physicas rerum essentias ac substantias non nisi per annihilationem perire? Nonne nihil in nostra sententia continetur, quod ideis communibus de reali corporum extensione adversetur? Nos enim non loquimur de absoluta impossibilitate actualis divisibilitatis alicujus realis extensionis, sed de hypothetica, dato scilicet, quod talis determinata continua extensio sit essentialis illi corpusculo seu elemento, ad naturam materiae seu corporis in genere constituendam: unde pro tali hypothesi neque est suo modo conceptibilis, neque possibilis, neque proinde unquam ad actum reducenda actualis divisibilitas hujusmodi cor-

Digitized by Google

ad realitatem extensionis in composito materiali salvandam: secus eodem modo dicere possemus, plures angelos aut animas, in exiguis ab invicem distantiis immobiliter constitutas, posse efformare extensionem realem; actus enim voluntatis eorum ita consistendi, et virtus resistendi vices agerent virium attractivae et repulsivae elementorum. Quae diximus de natura elementorum materiae, ostendunt non esse facile existimandum, ea quae Mathematici tradunt de continuo mathematico ejusque limitibus, esse dumtaxat conceptus subjectivos omni objectiva realitate destitutos.

38. Quod si quis utramque supra dictam sententiam respuens, divisibilitatem materiae seu compositi materialis in infinitum, hoc sensu vellet admittere, quasi posset dari *numerus* partium *actu infinitus*, istud aperte negaremus. Etenim numerus actu infinitus repugnat: 1° Quia, cum numerus ex sui conceptu collectionem dicat unitatum, et collectioni unitatum semper alia et alia unitas adjici possit, si infinitus actu foret, posset ex sui natura, et non posset utpote actu infinitus, augeri. 2° Quia

---

pusculi seu primitivi elementi materiae, aut corporum in genere. Atque hac in re videmur nobis premere vestigia doctissimorum inter Physicos, translata dumtaxat quaestione a statu physico et corpore aliquo singulari, ad statum metaphysicum et ad naturam materiae seu corporis in genere.

Et sane, qui cum Higgins, Dalton et Berzelio accuratius inspexerunt, quae quantaque sit harmonia et simplicitas chimicarum combinationum, hi neglecto *systemate dynamico*, ad excolendum *corpusculare*, sive atomisticum systema animum converterunt. Visum est porro hisce acerrimi ingenii viris, corpora quae apud Physicos *simplicia* audiunt, moleculis constare, quibus certa sit figura, volumen, ac pondus determinatum. Has molecula, e. g. platini, *atomos* vocant, et earum licet metaphysicam divisibilitatem infinite porrigi ultro concedant, physicam tamen inficiantur. Hinc et Cl. meus collega Joannes B. Pianciani, in suis Instit. Physico-Chimicis (vol. 1. pag. 3.) sic loquitur: *Ma vi sono de' corpuscoli inpercettibili per loro piccolezza, che essendo indivisibili da qualunque forza naturale, meritano propriamente il nome di* ATOMI. *Tutto indica che vi sono queste molecule naturalmente atome, quantunque estese, e perciò diverse da' punti semplici di alcuni filosofi.* Haec itaque si in rem nostram apte transferantur, et quemadmodum diximus intelligantur, sin omnimode probatam, saltem ut satis firmam, et a communi ratione minime abhorrentem, doctrinam nostram sufficienter ostendere videntur. Hinc quoque patet, parum scite asseruisse D. Ahrens, doctrinam de simplicitate elementorum materiae unice veram esse. Ex hac pariter hypothesi auctor ille deducit suum errorem de *natura* (materia), tamquam si esset *ens universale, substantiale, vivens*, etc. Videatur ipsius opus: *Cours de Philosophie*, vol. 1, pag. 81 et 183 ac seqq.

Digitized by Google

quod semper ultra augeri potest, sine fine finitum est, et quod sine fine finitum est, actu infinitum esse non potest. 3° Qnia si numerus evaderet actu infinitus, id fieret per additionem quantitatis finitae alteri quantitati finitae; ergo duo finita praeberent infinitum, sive daretur transitus a finito ad infinitum per rem finitam, quod repugnat; cum inter finitum et infinitum, in ordine entitatis, infinita adsit distantia.

Ex dictis immediate deducitur, repugnare etiam quamcumque quantitatem et seriem entium numerabilium actu infinitam, seu non dari progressum actualem in infinitum, tam in continua quam in discreta quantitate: secus daretur numerus actu infinitus, praesertim cum numerus in se nihil sit, nisi referatur ad res numerabiles.

Nec valet recursus ad divisibilitatem continui mathematici in infinitum, quam fieri posse Mathematici docent: nam admissa etiam hac sententia, non sequitur, dari posse numerum partium actu infinitum. Etenim in quocumque divisionis instanti, numerus partium, quae inde oriri concipiuntur, erit semper finitus, utpote augmenti capax; pars continui dividenda remanebit quoque, utpote terminis communibus clausa, quid finitum et susceptibile ulterioris divisionis indeterminatae, quae ideo tantum ad finem nunquam deducitur, quia partes continui mathematici communem dumtaxat terminum habent. Unde in similibus divisionibus, aut progressionibus mathematicis in infinitum, si dicas, saltem Deum conceptu suo pertingere ad complementum earum, ac proinde Deum apprehendere numerum partium vel terminorum actu infinitum, hoc omnino negamus; quia nec Deus intelligendo facit aut mutat naturam intelligibilitatis, ideoque non potest aliter intelligere seu percipere istud continuum ejusque divisibilitatem ac in se perceptibilis est (1).

Pari ratione non valet, quod ex infinito mathematico desumeretur: nam infinita mathematica non sunt *actu*, sed *in poten-*

(1) Natura *Continui mathematici*, ut ex notione paulo ante exposita patet, in eo sita est, ut non coalescat nisi ex partibus communes dumtaxat terminos habentibus. Jam vero inter duos terminos communes utpote necessario ab invicem distantes, potest semper concipi terminus medius seu possibilitas divisionis, et quidem indeterminatae, nisi velis naturam hujus *continui* destruere, concipiendo nimirum in eo communium terminorum cessationem: ergo continuum hoc non est perceptibile, nisi ut capax tantum ulterioris indeterminatae divisibilitatis; ergo neque Deus potest videre hujus divisibilitatis terminum seu totale complementum.

tia tantum, quatenus nempe concipitur aliqua quantitas quacumque data major, non vero, quasi nullatenus augeri posset; neque aliter relate ad illam solet considerari quantitas finita velut *zero*, nisi ratione methodi (1), non autem, ac si revera nec augeretur, nec minueretur ratione sui

39. Continuum physicum ejusque conceptus praebet fundamentum efformandi notionem *Spatii* physici et idealis, seu cujusdam expansionis in longum, latum et profundum, vel ut *ortae et determinatae a simultanea et physice non interrupta corporum coëxistentia*, vel ut *indeterminatae et destitutae omni physica realitate*. Hac de re alibi alias et longiores instituemus quaestiones: nunc solum contra philosophos, qui scepticum et idealisticum Formalismum Kant sequuntur, juvat advertere et vindicare, conceptum *spatii* non esse *formam subjectivam* animae, et *visionem seu intuitum* nostrae sensibilitatis, vel sensus externi *a priori*, tamquam conditionem praerequisitam ad apprehendenda *phaenomena*, seu apparitiones rerum extra nos, ab earum reali existentia prorsus indipendentem.

Itaque si sermo in primis fiat de spatio *physico*, quatenus ad aliqua aut omnia mundana corpora porrigitur, ejus conceptus a reali objectorum coëxistentia necessario dependet: his enim sublatis statim perit, non secus ac ipse conceptus corporum statim destruitur, fitque objective impossibilis, sublata trina et reali eorum dimensione. Nos etiam non ex subjectiva dumtaxat sensibilitatis forma, sed ab ea indipendenter non tantum corpora in spatio, sed spatium quoque *physicum* seu trinam realem dimensionem, in ipsis corporibus deprehendimus, adeo ut, si unicus e. g. globulus, caeteris omnibus corporibus destructis, existere ab intellectu supponatur, necessario debeamus illum realiter extensum et non tamquam in spatio *physico* existentem spectare. Itaque conceptus spatii *physici*, quatenus ori-

(1) Mathematici in eorum calculis et additionibus atque subtractionibus solent negligere quantitatem finitam, relative ad aliam quam velut infinitam supponunt, eo quod talis neglectio in ultimis calculi deductionibus sensibilem sive notabilem defectum aut discrepantiam a veritate minime infert. Eos autem quantitates eorum infinitas ut augmenti capaces spectare vel ex inde colligitur, quod soleant illas diversorum ordinum statuere et ad diversas, ut vocant, potentias elevare; quodque si revera $\infty + 1 = \infty$ tantum, ab aequalibus aequalia subtrahendo deberet quoque $1 = 0$, quod profecto absurdum.

tur ex communi coëxistentia corporum, sibi invicem *continentis et contenti* vices exhibentium, est opus intellectus nostri, habens fundamentum in objectis, non vero *forma* seu *intuitus* sensibilitatis *a priori*. Deinde conceptum spatii *physici*, independenter ab objectis, nec augere nec imminuere possumus, illumque apprime distinguimus a conceptu spatii *idealis*, cujus limites utcumque pro lubitu indefinite extendere valemus, solamque aptitudinem seu possibilitatem objective realis expansionis, ab ejus actuali existentia evidenter secernimus; objecta igitur non tantum excitant sensibilitatem animae, ut ex praehabita spatii *forma*, ea velut in spatio deprehendat, sed ipsum fundamentum hujus conceptus praebent. Praeterea spatium ipsum *ideale* non nisi ad normam spatii *physici* cogitamus, dum licet ab actualibus objectivis limitibus praescindamus, nunquam tamen illud, quasi ex una vel altera tantum dimensione coalesceret et possibilitate partium numerabilium destitueretur, cogitare valemus. Insuper, si conceptus *spatii* esset *forma* seu *intuitus a priori* nostrae sensibilitatis, nulla vera ratio reddi posset, quare potius extensum, impenetrabile, coloratum, quam sonum, frigus, calorem, saporem, etc. *in spatio* esse deprehenderemus, cum in utroque casu eadem sit sensibilitas seu *sensus externus* subjectivus, et aeque ab objectis seu *noumenis* ad actum reducatur seu excitetur, omnisque sensatio, qua talis, cum alia convenire debeat. Denique, quamvis adversariis concederemus, *noumena* rerum, seu quales in se sunt res, immediate per sensationem a nobis non percipi, attamen contendere, quod etiam illae proprietates, a quibus pendet conceptus ipsius *esse* objectorum vel corporum, sint dumtaxat *phaenomena* mentis nostrae, determinata ab intellectu per *schemata*, idem est, ac sub nomine *Formalismi* verum *Idealismum* tradere, qui a dogmatico, sceptico, mystico, egoistico Humii, Berkeleyi, et Fichtei idealismo non differt, quemque proinde in Logica sufficienter profligavimus (1).

40. Nullius quoque sunt ponderis argumenta, quibus doctrinam hanc nititur sustinere Kant in sua Æstetica transcendentali (2). Docet enim, conceptum *spatii* non habere fundamentum in exteriori experientia: 1° Quia, ut possim sensationes meas

(1) Parte secunda, art. VIII. n. 69 et seqq.
(2) *Critica rationis purae*, parte 1. sect. 1. § 2.

referre ad aliquid extra me, et ipsa objecta mihi repraesentare tamquam ad extra, minus magisque ad invicem distantia et in locis diversis, necesse est, ut velut fundamentum hujus possibilitatis praeexistat jam in animo idea *spatii*. 2° Quia talis idea *a priori*, est fundamentum omnium phaenomenorum, nec unquam poteris tibi repraesentare quod non sit *spatium*, licet possis illud velut vacuum exhibere. 3° Quia spatium est in se essentialiter unum, et diversitas partium, de quibus solet fieri sermo, non est velut elementum illius universalis conceptus, sed relatio ad diversas mentales circumscriptiones unius et ejusdem spatii, ejusque unius multiplicitatis. 4° Quia nulla potest esse idea seu conceptus efformatus, qui infinitas complectatur repraesentationes: spatium autem exhibetur tamquam infinita magnitudo; est igitur *intuitus a priori*.

Respondemus ad 1m. Possibilitas, de qua sermo, sufficienter explicatur, si conceptus *spatii* comitetur dumtaxat actualem objectorum apprehensionem. Necessitas enim talis praeexistentiae fundatur tantum in falsa suppositione, quod in objectis non sit actualis et trina extensio, quodque singula per determinatam partium suarum ad invicem positionem, non habeant realem ac determinatum existendi modum, ad invicem distinctum et diversum. Hanc porro suppositionem vel ex eo rejicimus, quod illa quoque corpora, quorum realitatem non nisi ex effectibus detegimus qualia sunt aër, caloricum, etc. non aliter ut *corpora* spectamus, nisi objective realem expansionem iisdem tribuendo. Praeterea absurdum esse existimamus, ut animus per *formam* seu *intuitum subjectivum* spatii, absque ullo saltem practico judicio, res in spatio extra se esse distinctaque ac diversa loca tenere deprehendat; cum enim forma haec, utpote mere subjectiva, esset realiter ipse animus, jam deberet animus sistere se ipsum extra se, ut aliis eamdem formam tribueret; neque posset actionem *noumenorum* in sensus (ad sensibilitatis excitationem praerequisitam), velut quid extrinsecum spectare, non supposita in antecessum hac sui translatione ad extra. Adverte insuper, quod aliud sit percipere aliquid *extra se*, aliud percipere *in spatio*, quod tamen confundit difficultatis auctor; qua confusione supposita, neque Deum possemus apprehendere nisi in spatio, quandò de illo cogitamus tamquam de ente a nobis distincto et diverso.

Digitized by Google

Ad 2^{m} dicimus falsum esse, subsistere conceptum spatii *physici* praescindendo a relatione ad alia corpora coëxistentia, idque bene declarat conceptus omnimodae corporum non-existentiae, qua supposita, ut superius diximus, tantum supererit conceptus solius capacitatis, seu possibilitatis cujusdam physicae expansionis: non quasi ipse saltem foret *intuitus a priori*, sed quod possibilitas rerum, ita et relationum earum, ab actuali ipsarum existentia sit independens. Assertio autem adversarii fundatur in eo, quod gratuita tamquam certa supposuerit (1), posse nimirum ab idea complexa corporum successive per gradus omnes proprietates cogitatione subtrahi, quin tamen spatii occupati conceptus pereat.

Ad 3^{m}. Ex nuper dictis patet non esse verum quod tertio loco ponitur, si ad spatium *physicum* referatur; spatium vero *ideale* ideo tamquam quid essentialiter unum concipimus, quia, cum terminis propriis propter exclusionem omnis physicae realitatis destituatur, illud tamquam continuum mathematicum spectamus: in hoc autem non nisi mentaliter diversi limites, seu circumscriptiones figi possunt.

Ad 4^{m}. Negamus generatim *spatium* exhiberi tamquam magnitudinem actu infinitam, cum intrinsece repugnet numerus partium actu infinitus, ut superius (2) vidimus, sive in abstracto, sive in concreto sumatur. Hinc neque ipsum spatium *ideale* potest spectari velut *actu infinitum*, sed ut quid tantum *indefinitum* propter defectum limitum objective realium. Atque hoc magis confirmat dicta in fundamento, scilicet, quod neque conceptus spatii *idealis* sit in nobis omnimode independens ab antecedente et actuali apprehensione extensionis objective realis: certum est autem, quod sensus internus *sui* suarumque affectionum, tali conceptui nequeat praebere fundamentum.

41. Sed quomodo acquirimus conceptum entis *simplicis*? Non quidem per resolutionem compositi in partes: cum enim hanc nunquam ad terminum perducere valeamus, conceptus entis *simplicis* esset quid fictum, vel etiam chimaericum. Neque per solam partium negationem notio *simplicis* exurgit; secus foret dumtaxat *negativa*. Animus itaque noster in seipso fundamentum habet, unde ad *simplicis* positivam cognitionem assurgat. Ete-

(1) *Introduct. ad crit. ration. purae*, § 2.
(2) Hujus artic. n°. 38.

Digitized by Google

nim plura in seipso deprehendit, quae magnitudinem, figuram, distinctas junctasque partes non habent e. g. actus percipiendi, affirmandi, negandi, etc. qui adeo indivisibilem animi activitatem exibent, ut nec intendi, nec remitti possint, et per suas proprietates reales, non vero per solam exclusionem partium, ab intellectu deprehenduntur. Ex quo obiter colligere potes, conceptum *simplicis*, sicut etiam *unitatis indivisibilitatis*, de quo in sequenti numero loquemur, non pendere a sensibus, nec habere fundamentum in perceptionibus objectorum externorum, sicut vellent Sensistae, omnia ad sensus revocantes.

Sola exclusio positionis partium extra partes a proprietatibus entis alicujus, constituit *physicam* ejus *simplicitatem*, quaeque dici potest *secundum quid*, ad distinctionem simplicitatis *absolutae*, quae etiam compositionem *metaphysicam*, ex pluralitate scilicet actuum et facultatum formaliter distinctarum, et *logicam* ex genere et differentia coalescentem, excludit, quamque suo tempore divinae naturae vindicabimus.

42. *Unum* dicitur esse id, *quod manet in se indivisum et ab omni alio divisum.* Plura inter se connexa ad aliquod totum vel *quantum* efficiendum, manent in se indivisa et ab omni alio divisa, et en *unitas aggregati.* Verum notionem hanc debet praecedere conceptus *unitatis indivisibilitatis*, quem eodem modo ac *simplicis*, ex consideratione nempe proprietatum animi nostri efformamus. Ea enim, quae in se revera sunt plura, nequeunt ut indivisa spectari, nisi prius sciam, quid sit *esse in se indivisum*, seu *unum*. Praeterea, licet actu apprehendamus *nostrum ego*, seu subjectum cogitans, tamquam *unum* physicae indivisibilitatis, utpote excludens partium multiplicitatem, potest tamen actu spectari ut multiplex, scilicet ut volens, ut ratiocinans, etc. Si igitur a conceptu *indivisibilitatis* excludatur etiam actualis possibilitas spectandi objectum ut multiplex, habebitur conceptus unitatis indivisibilitatis *absolutae* seu *mathematicae*, sicut e. g. in notione puncti mathematici, vel identitatis *nostri ego*.

Ex eo autem, quod definitio unitatis exprimatur terminis negativis, fas non est inferre, ipsum conceptum negativum esse, sicut patet ex ejus analysi et fundamento, quod realiter positivum est, et idem ac in conceptu *simplicis*, de quo n° praecedenti egimus. Hinc etiam illi Mathematici, qui forte minus proprie punctum mathematicum, tamquam quid *unum* mere *negativum* spe-

Digitized by Google

ctabant, eidem tamen plures realitates tribuebant (1). Ex eadem porro hujus conceptus analysi eruitur, quod licet notio unitatis indivisibilitatis *absolutae* sit opus rationis, nec habeat objectum experimentale sibi respondens, tamen quia a conceptu unitatis indivisibilitatis *physicae* originem trahit, eumque supponit, fundamento obiectivae realitatis non destituitur, nec proinde est mera subjectiva rationis purae theoreticae apprehensio. Propter oppositas rationes idem dicendum est ac tenendum de *multitudinis* seu *pluralitatis* conceptu, qui cum notionibus quantitatis continuae ac discretae, nec non diversitatis, eamdem originem ac fundamentum agnoscit.

ARTICULUS V.

DE CONCEPTU ENTIS FINITI, INFINITI, CONTINGENTIS ET NECESSARII

43. Facultates animi nostri et objecta externa in suis perfectionibus aut activitate circumscripta esse, assidue experimur, et en notio entis *finiti*, id est, *in suis perfectionibus limitati*, quodque augmenti aut decrementi est capax. Et sane *perfectio*, *realitas* et *ens* sunt expressiones convertibiles et fere synonymae; solum enim *nihilum* nullam perfectionem et realitatem continet. Hinc res, sive naturales sive artefactas, per diversas illarum realitates apprehendimus: ex eo autem, quod secundum majus et minus eas inter se differre videamus, intelligimus, eas non constituere *omne ens* seu *ens simpliciter*, sed *entia*, seu *esse* limitibus circumscriptum. Ratio igitur formalis conceptus entis *finiti*, est semper aliquid positivum seu reale, non vero negativum; cum *in recto*, ut scholae loquuntur, semper supponere debet aliquam realitatem, licet *in obliquo* limitem, seu defectum ulterioris realitatis involvat.

---

(1) Definiri solet *punctum mathematicum* tamquam quid mere negativum, quasi esset id, *quod omni longitudine, latitudine et profunditate caret*. Ex ejus tamen veluti fluxu lineas oriri et ad ipsum velut ad centrum omnes radios a periferia ductos terminari dicebatur; quod quidem in eo supponebat aliquid positivi. At relinquebatur semper explicandum quomodo negatio omnis longitudinis possit esse ejusdem elementum in linea: unde, qui analytice hac in re procedunt, talem genesin lineae ex puncto respuunt, punctumque non ceu *elementum*, sed uti *limitem* longitudinis ac lineae considerant.

Digitized by Google

Ut aliquid *simpliciter ens* nuncupari et esse posset, omnem *realitatem* seu *esse* deberet in se continere ; quod idem est ac esse ens supremae perfectionis , quae augeri non potest, seu ens quoad realitatem *infinitum* , cui nihil addi queat. Verum duplex distingui potest infinitum , *absolutum* scilicet , et *in potentia* : hoc revera non est in se infinitum , sed ut tale consideratur , sicut mathesis e. g. considerat quantitatem aliquam ut infinitam , seu potius ut *indefinitam* ; illud vero tale in se sit oportet , ut nullius augmenti aut decrementi sit capax , secus non esset *infinitum absolutum* seu *actu*.

44. Sed juvat inquirere , quomodo entis *infinite perfecti* notionem efformamus. Profecto nec sensu, nec imaginatione ; cum hisce mediis nonnisi sensibilia exhibeantur. At nec per additionem successivam perfectionum finitarum , earumque extensionem in infinitum, ut Lokio visum fuit : finita enim addita finitis semper remanent finita, ac proinde conceptus *infinite perfecti* hac ratione efformatus , similis foret illi , quo vellemus apprehendere numerum actu infinitum , scilicet chimaericus.

Naturaliter impellimur omnes ad ens aliquod ordinis superioris agnoscendum : hoc velut fundamentum praebet explicitam et formalem entis *infinite perfecti* notionem efformandi. Deinde intelligimus , quid sit *realitas* et *perfectio* ; probe cognoscimus , existere entia finita et limitata : posse igitur, quin imo debere esse , quod sit illimitatum et infinitum , recte inferimus : siquidem et simplices perfectiones sunt consociabiles , et finitum seu limitatum ex sui conceptu , reflexe saltem , necessario postulat , ut sit aliquid illimitatum seu infinitum , a quo et *esse* et *tale esse* accepit. Huic demum *esse a se* tribuimus ; omnes limites ab ejus perfectione excludimus ; absolute simplex esse pronunciamus ; nam quantitati semper aliquid addi potest : summa sapientia , bonitate, etc. instructum dicimus ; et tandem ejusmodi esse debere concludimus, quod omnes intelligentiae finitae vires suis pefectionibus excedat. Atque hic est *formalis* et *explicitus* conceptus entis in gradu perfectionum *infiniti* , per reflexionem ad *realitatis* et *perfectionis* ideas , ac multiplici exinde deductione comparatus; positivus sane et realis, licet quaedam ad illum spectantia vocibus negativis plerumque exprimantur (1).

(1) Nonnulli distinguunt quaestionem de conceptu *infiniti* simpliciter, a quaestione de conceptu *entis infiniti*. Ast hoc videtur inutile , praeser-

Digitized by Google

45. Opponunt. Naturaliter impellimur ad agnoscendum ens ordinis superioris; ergo ejus notio quamcumque reflexionem et deductionem antevertat oportet: secus iste impulsus tenderet ad ignotum.

Resp. *Nego conseq.* Confusa etiam cujusdam entis ordinis superioris apprehensio sufficit, ut naturalis iste impulsus possit exeri et non tendat ad *absolute* ignotum; sicut etiam ad hoc, ut desiderium perfectae felicitatis possit exeri habeatque aliquod objectum, ac proinde non tendat ad *absolute* ignotum, satis est ut indeterminate feratur ad aliquod bonum, ambitu bonorum finitorum et temporalium non comprehensum, quin opus sit ut conceptus *formalis* et *explicitus* utrinsque habeatur.

Instant I°. Si conceptus iste acquireretur modo supra dicto, non haberet archetypon, cui conformaretur; cum objecta finita nequeant exhibere *infinitum*. Deinde, si mens apprehenderet infinitas perfectiones, deberet elicere actum infinitum, quod repugnat; ergo conceptus iste debet antevertere quamcumque deductionem.

Resp. ad 1m *Nego ant.* et *dist. probat*, finita nequeunt exhibere *infinitum*, tamquam in imagine, *conc.* nequeunt animo praebere fundamentum talem conceptum efformandi, *nego.* Archetypon hujus conceptus est ipsum objectum *infinite perfectum*, quod cum in se non videatur, perfectiones finitorum entium occasionem dumtaxat animo praebent, ut possibilitatem, existentiam et aliqua attributa *infinite perfecti* cognoscamus. Non igitur ex finito, velut archetypo, notio *infinite perfecti* exurgit, sed ex finito ideas universales *realitatis perfectionis*, etc. efformamus, et ex earum consideratione, diversaque complexa ratiocinatione, notionem hanc *explicitam* deducimus.

Ad 2m *Dist. maj.* deberet elicere, etc. si conceptus iste esset adaequatus, *conc.* si inadaequatus tantum; *nego.* Nos conceptu nostro ens *infinite perfectum* non comprehendimus, nec omnes perfectiones ejus aut etiam unam ex toto, scilicet intensive et extensive, distincte attingimus, nec proinde *infiniti* infinitum conceptum elicimus: sed inadaequate et pro modulo nostro *infiniti* infinitam ideam, quae in ipso *infinito* habetur, finite percipimus, intelligendo nempe, quid non sit, et in primis quid sit ens illud, esse videlicet simplex, realissimum, etc. Vide Baldinotti hac de re acutissime disserentem (1).

tim dum sermo est de infinito actuali et proprie dicto, cum nedum nihili, verum etiam cujusvis realitatis, quae non fuerit *merum esse*, seu *ens simpliciter*, nulla possit esse actualis infinitas.

(1) *Metaphys. general.* cap. 8. §. 606. et seqq.

Digitized by Google

Instant II°. Finita neque occasionem praebere possunt conceptum hunc efformandi: nam finita percipimus per negationem *infiniti;* ergo conceptus iste antecedit quemcumque alium.

Resp. *Nego ant. prob.* et *conseq.* Ratio formalis, sub qua percipimus entia finita sicut vidimus numero penultimo, est aliquid positivum et reale; ergo finitum non concipitur per negationem *infiniti.* Insuper sequeretur, quod neque existentiam nostram, cum non aliter eam percipiamus nisi ut quid finitum, possemus apprehendere, non praesupposita notione entis *ifinite perfecti*, quod est absurdum.

Instant III°. Si non supponatur animo nostro velut insculpta imago quaedam entis *infinite perfecti*, efformatus conceptus erit arbitrarius; unde oppositi etiam conceptus aeque recti censendi essent, quod profecto absurdum; ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* et ejus *probat.* Prorsus non intelligitur, quid sit imago haec insculpta animo nostro. Deinde talis conceptus in omnibus deberet esse idem, cum tamen rudes et idiotae aut nullum, aut valde imperfectum habeant. Sicut autem ideae *realitatis, perfectionis, infiniti actualis* non sunt arbitrariae, ita nec conceptus *infinite perfecti* ab iis dependens; nequit igitur in hoc conceptu includi, quod imperfectionem redolet, nequit excludi, quod sub omni respectu veram perfectionem involvit. Merito itaque Epicurus, quod enti *infinite perfecto* carnales voluptates tribuerit, stultitiae et impietatis arguitur cum illis, qui ignavo otio ipsum torpere existimantes, omnem providentiam hujus mundi eidem denegaverunt.

46. Ens *finitum* in suo conceptu *contingentiam*, id est, *possibilitatem esse vel non esse* involvit; habet enim limites in perfectione; poterat igitur *aliter esse* ac est, aut prorsus *non esse*, cum in hoc nulla sit contradictio. Verum est hoc de omni ente *finito*; ergo omne ens *finitum* est *contingens*: cumque propter easdem rationes non a semetipso, sed essentialiter ab alio existentiam habere debeat, est etiam *ens ab alio.*

Ens *infinite perfectum* vi naturae suae omnem perfectionem includere debet; quod autem enti vi naturae suae convenit, necessario convenit: cum vero haec necessitas etiam ad ipsam existentiam ejus se porrigere debeat, ens *infinite perfectum* quoad omnia que ipsi conveniunt debet esse *ens necessarium.* Praeterea utpote omnimode independens debet esse ens *a se*; non ita autem *a se*, quasi prius non habendo existentiam, postea sibimet-

Digitized by Google

ipsi eam daret; hoc enim absurdum: sed *a se*, quatenus in natura sua continet sufficientem suae existentiae rationem. Existere *a se* et *per se* seu *in se*, multum differunt, ut facile colligitur ex n° 23 et 25, et ex modo dictis. Hoc discrimen diligenter advertendum est; nam ope subdolae harum notionum confusionis Spinosa totum suum pantheisticum systema aedificavit. Quod autem spectat ad fundamentum objective reale utriusque hujus conceptus recolantur superius dicta (1).

ARTICULUS VI.

DE PRINCIPIO ET CAUSIS

47. *Quod in se continet rationem alterius*, est *principium* illius, quod dicitur *principiatum* et in eo sui rationem agnoscit. Ad *principium* tria requiruntur: 1° Ut sit aliquo modo prius *principiato*, scilicet vel *origine*, id est prioritate ordinis, quo unum ab alio procedere aut oriri intelligitur, quacumque tandem ratione procedat: vel *natura*, quod postulat prioritatem conceptus naturae complete existentis et distinctae ab alia: vel *tempore*, quod infert existentiam unius, altero nondum existente. 2° Aliquid contineat, unde fluat *principiatum*. 3° Aliquo modo distinguatur a *principiato*; secus posset esse principium sui ipsius (2). In rebus creatis prioritas *originis* necessario jungitur cum prioritate *naturae* et *temporis*; at non item relate ad Deum, in quo potest distingui prioritas *originis*, non tamen *naturae* aut *temporis*. De hoc plura tradunt theologi.

Causa in genere ita definitur: *Principium determinans aliud sibi insufficiens ad existendum.* Postrema definitionis verba indicant distinctionem naturae inter *causam* et illud, quod producitur, sive *effectum;* a qua distinctione praescindit notio *principii*: hinc omnis *causa* est *principium*, sed non vice versa. *Prin-*

(1) Artic. I. n. 9. et hujus artic. n. 43. et 44.

(2) Vocis *principium* multiplex est acceptio. Adverte igitur, sermonem hic non esse de principio e. g. inter veritates et cognitiones, quarum illa quae caeteris cognoscendis aut ordinandis inservit, *principium* earum dicitur; nec de eo, quod dicitur *principium* seu primum in quodam extrinseco ordine ad alia, ut unitas relate ad numeros, aliquis numerus relate ad seriem, etc. sed hic agitur *de principio* et *principiato* inter entia, aut eorum intrinsecas proprietates et relationes.

Digitized by Google

cipium et *principiatum, causa* et *effectus*, cum sint relativa, *formaliter* spectata sunt simul *tempore*. *Causa* accepta *materialiter*, est semper *tempore* prior *effectu*, non item *principium*.

48. Praecipuae causarum classes sunt sequentes: 1° Causa *prima* seu *a se*, et *secunda* seu *ab alio:* illa sibi sufficiens ad existendum nullimode pendet ab alia; haec vim existendi et operandi a prima mutuatur. 2° *Adaequata* et *inadaequata*: adaequata tantum virium continet, quantum par est effectui praestando; inadaequata e contra: hinc patet quid veniat nomine *concausae*, quae potest esse ejusdem vel diversi ordinis. Sic e. g. duo homines, quorum neuter seorsum acceptus adaequatas vires habet ad datum pondus ferendum, *ejusdem ordinis* concausae dicuntur: dum vero creatura a Deo juvatur ad aliquem effectum praestandum, *diversi ordinis* concausae habentur. 3° *Immediata* et *mediata*: inter immediatam et effectum nulla alia intercedit, inter mediatam e contra. Hinc intelligitur, *causam causae esse causam causati*, sive effectus. 4° *Physica* et *moralis*: physica vires naturae suae proportionales ad effectum producendum exerit; moralis, cui effectus, ab alia efficienter et physice productus, in sensu morali tribuitur, hoc est, propter jussionem, consilium, non prohibitionem, etc. 5° *Necessaria* et *libera :* haec, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere, non agere vel contrarium operari: illa e contra, habitis omnibus ad agendum requisitis, nequit effectum non producere. 6° *Univoca* et *aequivoca :* illa similem naturae suae effectum producit ; haec ad effectus dissimiles etiam a sua natura extenditur. 7° *Efficiens, finalis, formalis, materialis* et *instrumentalis*. De causa *efficiente* uberius mox agemus; de aliis pauca quaedam indicabimus.

49. Causa *efficiens* dici potest, *principium virtute sua determinans aliquid sibi insufficiens ad existendum*. Voces istae *virtute sua* ponunt discrimen causae *efficientis* ab aliis; non ita autem intelligendae sunt, ac si necessario involverent intrinsecum activitatis principium in eo, quod dicitur *causa*: apprime namque distinguenda est duplex activitatis et causalitatis species: *principalis* nempe seu ex principio intrinseco, et *instrumentalis* seu ex principio extrinseco. Hac distinctione non supposita, et causam *efficientem* definiendo per illud, *quod in se principium activitatis continet*, illi dumtaxat verbis ludunt, qui rebus inanimis, utpote principio intrinseco activitatis destitutis, omnem efficientiam denegant, idque inferre conan-

Digitized by Google

tur ex ipsa causae *efficientis* definitione (1). Causas *secundas* nihil agere, sed Deum tantum, dogma Occasionalistarum est, quorum nonnulli adeo furere voluerunt, ut omnibus prorsus creaturis activitatem denegarint. Sic juxta ipsos non est e. g. animus, qui corpus movet, ignis qui lignum comburit, sed Deus, qui utrumque effectum *occasione* animi et ignis producit. Ex quo intelligitur, quid sit, juxta ipsos, esse causam *occasionalem*; scilicet, nihil prorsus ratione sui ad effectus existentiam conferre: unde acceptio haec causae *occasionalis* non est confundenda cum illis causis occasionalibus sive potius *occasionibus*, de quibus fit frequens sermo in morali doctrina; istae enim sunt communiter hujusmodi, ut ex sui natura influant in effectus existentiam, alliciendo nempe causam *efficientem* ad actum.

60. Doctrinam hanc Occasionalistarum mox refellemus; prius tamen, ut notio causae *efficientis* creatae clarior fiat, exponendae sunt diversae acceptiones vocis *agere*: quidquid enim *agere* concipitur, causa *efficiens* denominatur.

Agere, *producere*, etc. si ad res inanimes referatur, duplicem sensum admittit: 1° *Agere* dicitur illa substantia, quae partem sui, diversis proprietatibus sive modificationibus affectam, in aliud convertit: sic tellus herbam *producit*. 2° *Agere* ens inanime dicitur, quando etiam nulla substantiarum partitio aut conversio habetur: sic globus in motu, dum alterum ad motum determinat, censetur *agere*, licet motus, utpote affectio extrinseca, ex uno in alium, liquoris instar, non transfundatur; si-

(1) In hanc sententiam concessit, quod mirandum, saepius laudatus Baldinotti *Metaph. general.* cap. XI. §. 781. et seqq. Hinc et causae *efficientis* definitionem, scilicet, *quae ita agit, ut vi sua aliquid sit, quod non erat*, sumit tantum in sensu *vis ab intrinseco* provenientis, et totis viribus conatur suadere materiam non agere, sed dumtaxat pati *dum ejus motu mutationes rerum multae exoriuntur*, eo quod in se non habeat principium motus sitque iners. Verum dato etiam quod omnes vires in materia exerantur per motum, motusque sit ab extrinseco materiae adveniens, num propterea negari poterit tales vires constanti ratione et lege materiae inhaerere, dumque inhaereant materiam ope ipsarum diversos effectus sive mutationes e. g. in vegetatione plantarum, productione fructuum, aliisque chimicis attractionibus et combinationibus, revera praestare? Num ideo erit tantum passiva, quia singulis momentis eget ut in existentia et in existendi modo (statu motus vel quietis) conservetur? At et entia ab intrinseco activa egent ejusmodi conservatione, et talis conceptus divinae conservationis reddens entia mere passiva, tolleret quoque continuationem permanentem ejusdem eorum naturae.

Digitized by Google

militer in attractionibus vel repulsionibus mutuis quas corpora aut eorum moleculae in se invicem exercent, dicuntur *agere*.

Relate ad entia animata duplicem quoque sensum vox *agere* continet: 1° Animus noster e. g. cogitando, volendo, etc. subit quasdam modificationes internas et immanentes; unde *agere ad intra* dicitur. 2° Idem animus *agit* actione transeunte *ad extra*, quando membrum aliquod corporis, cui unitur, determinat ad motum vel quietem. Duae hae postremae vocis *agere* acceptiones, et a se invicem et a duabus primis summopere discrepant.

Magis autem differt vox *agere*, etc. si eam ad actiones Dei indicandas transferamus. Cum Deus sit immutabilis et aeternus, omnemque status sui variationem et perfectionis suae augmentum ac decrementum prorsus excludat, ejus *agere* nec partitionem substantiae, nec ullam internam modificationem et mutationem involvit, sed simplicissimum nutum ejus omnipotentis voluntatis significat, quo res de *non esse* transfert *ad esse*: nam in Deo *velle* et *agere* idem sunt. Praeterea actio creaturarum *supponit* semper subjectum in quod exeratur: unde ipsae nunquam aliquid producunt ex *nihilo subjecti*, sed tantum ex *nihilo sui*: e contra actio Dei e. g. creatio, ipsum subjectum *efficit*.

51. Quaelibet causa debet in se continere rationem, cur talis perfectio in effectu quem produxit, inveniatur: ratio haec *causalitas* denominatur, et sine ea effectus non haberetur. Hinc sequitur, omnem perfectionem effectus praecontineri in causa totaliter aut partialiter, prout causa fuerit adaequata vel inadaequata. Ratio est duplex: 1° Quia nemo dat, quod non habet; ergo si causa aliquo modo non contineret in se perfectionem effectus, illam ei tribuere non posset. 2° Quia secus eam perfectionem habere deberet effectus a se, vel a nihilo; utrumque vero repugnat. Perfectio autem effectus triplici modo potest praeexistere in causa: primo *formaliter*, si eamdem specifice perfectionem causa et effectus continent: secundo *eminenter*, si excellentior perfectio causae idem praestat, ac perfectio inferior effectui communicata: tertio *virtualiter*, si natura causae perfectionem effectus, veluti generis diversi, prorsus respuens, virtutem tantum continet eam effectui tribuendi. Adverte tamen, ens aliquod dici perfectionem alterius praecontinere, etiam si non fuerit ejus causa.

Digitized by Google

52. Causa *efficiens* plerumque ad actum exire nequit, sine quibusdam requisitis sive conditionibus, quae quandoque non tantum ad melius, sed etiam ad simpliciter agendum necessario praerequiruntur: sic siccitas in ligno est conditio *sine qua non*, id est, sine qua ignis lignum non comburit. Idem dicatur de aliis circumstantiis. Hoc itaque habetur discrimen inter *causam* et *conditionem* seu requisitum, quod haec nullam exerat virtutem ad existentiam effectus, sed tantum, quod virtutem causae, effectui praestando per se proportionatam, reddat expeditam ad actum. Ex dictis colligitur 1° Errori obnoxiam esse expressionem istam: *Hoc post hoc*; *ergo ex hoc*: posito enim uno, potest sequi aliud, quin tamen hoc sit illius effectus (1). 2° In causa *efficiente* posse distingui actum primum proximum a remoto, et utrumque ab actu secundo. Actus *primus remotus* solam causalitatem sive vim effectricem, *primus proximus* vero omnia etiam requisita adesse supponit: actus autem *secundus* in ipso actuali vis effectivae exercitio consistit, et ipsum comitatur, vel saltem immediate subsequitur existentia effectus, prout scilicet actio fuerit immanens aut transiens, praesertim successiva.

53. Quidnam a veteribus dictum sit *de actione in distans*, parum refert determinare. Pro certo autem teneri debet, quaestionem hanc locum non habere relate ad actiones Dei; relate vero ad causam creatam, quae actionem in subjectum exerit, eam debere esse aliquo modo subjecto applicatam. Applicatio erit *immediata* per *identitatem suppositi*, quando actio est immanens; vel per *unionem physicam*, quando agens cum subjecto naturaliter est conjunctum; vel per *contiguitatem physicam*, quando ad contactum perveniunt. Fiet vero *mediata* per *concausam*, per *virtutem physicam* a causa ad subjectum se porrigentem, vel demum per *influxum moralem*, qui solus forte (2) posset spectari velut *actio in distans* e. g. in superiore, subditos suos longe dissitos per influxum seu mandatum gubernante.

54. Defendimus, causis secundis modo proportionato earum naturae, et posse et revera competere *esse efficientes*, quod utrum-

---

(1) Vide quae diximus superius Artic. 1. n. 8. et in nota.

(2) Dicimus *forte*, quia cum mandatum seu ordinatio superioris ut effectum habeat, debeat subditis per vocem, scriptum vel aliquid aliud manifestari, etiam in hoc casu aderit quaedam moralis praesentia seu applicatio causae ad subjectum in quod exeritur actio.

Digitized by Google

que Occasionalistae sive rigidissimi sive rigidiores sive benigni denegant (1).

Impossibilitas hujus efficientiae desumeretur aut ex parte creaturarum aut ex parte Dei : primum dici nequit ; siquidem illa tantum perfectio creaturis repugnat, quae vel in se est infinita, vel ordinis earum naturae superioris : atqui vis agendi, de qua loquimur, non est quid infinitum, cum non dicat nisi eductionem solummodo ex *nihilo sui* : non est ordinis superioris, cum pro diversa entium natura diversam activitatem (n° 50.) agnoscamus; ergo ex parte creaturarum nulla habetur repugnantia. Hinc nec alterum dici potest; nam quidquid in se non repugnat, Deus efficere potest. Deinde, qui potest plus, potest minus: atqui plus est dare existentiam, quam vim aliquid congruenter ad propriam naturam efficiendi ; ergo Deus qui potuit existentiam, potest et activitatem creaturis tribuere.

Actu vero vim hanc competere creaturis, constat in primis ex communi judicio rationis in ipso sensu naturae fundato, ex quo certi sumus, quasdam actiones a nobis ita provenire, ut nobis *in genere morum* tribuantur, utque ad praemium vel poenam imputentur: si vero solus Deus ageret, hujusmodi retributio vel nulla vel etiam injusta foret. Deinde tolleretur discrimen inhonesti, cum a Deo nihil tale provenire possit. Idem quoque, relate ad actiones nostras, sensus intimus ostendit. Tandem ex communi agendi ratione, inquirendo alicujus eventus causam, non facile assentimur dicenti, quod a Deo proveniat, nisi prius ostendatur, effectum vires creatas excessisse, aut saltem nullam causam secundam in ejus productionem influxisse.

55. Argumentum ex sensu naturae rationalis depromptum, valet etiam quoad alia entia sive animata sive inanimata. Quilibet enim putat, belluam e. g. ambulare, ignem calefacere, panem nutrire, etc. atque in his agnoscimus non indifferentes dispositiones ad effectus determinatos, prout recte infert S. Tho-

(1) Occasionalistae, dicti *rigidissimi*, omnibus causis creatis, ac proinde ipsi humanae voluntati activitatem, et per consequens libertatem denegantes, Fidei etiam adversabantur, omnique impietati aditum patefaciebant; paucos tamen asseclas nacti sunt. *Rigidiores*, ne violatae Fidei reos se constituerent, solam humanam voluntatem, in liberis ejus actionibus, ab hac universali inactivitate causarum secundarum excipiebant. *Benigni* tandem, rebus tantum inanimis minus quoque principalem activitatem nullatenus concedunt.

Digitized by Google

mas (1): *Contra rationem sapientiae est*, inquit, *ut sit aliquid frustra in operibus sapientis. Si autem res creatae* (et loquitur praesertim de rebus materialibus) *nullo modo operantur ad effectus producendos sed solus Deus operatur, frustra essent adhibitae ab ipso aliae res ad producendos effectus* (2). Quia tamen entia inanimata, utpote inertia, principio intrinseco activo destituuntur, ipsis non tribuimus efficientiam *principalem*, sicut ceteris, sed tantum *instrumentalem*, posita nempe determinatione ab extrinseco. Porro denominatio causae *instrumentalis* ab omnibus philosophis admissa, non est inanis; si enim est *causa*, debet profecto aliqua ratione influere in existentiam *effectus*, sicut calamus influit in scriptionem (3).

---

(1) *Contra Gentes*, l. 3. c. 69.

(2) Quidam putant vim hujus argumenti eludere dicendo, res creatas non esse frustranee adhibitas si supponantur adhiberi velut occasiones quaedam. At minime advertunt, quod in rebus quae adhibentur adsint non indifferentes dispositiones ad effectus praestandos, e. g. in semine et tellure relate ad productionem plantae, in cibo relate ad nutritionem etc. quodque in his rebus dum effectus producitur, ut experientia probat, fiant quaedam reales immutationes; talis igitur adhibitio rerum foret frustranea si Deus *immediate ac per se* effectus produceret, *res autem creatae*, ut ait S. Thomas, *nullo modo operarentur ad effectus producendos.*

(3) Hic iterum cogimur animadvertere in ingeniosissimum Baldinotti, qui loco superius (in nota ad n. 49) indicato, haec habet, *si A movet B, et a B movetur C, et ab hoc aliud, non ex quo agat B movetur C, sed ex quo agat A, si tamen A non ab alio, sed ex se motum fuerit.* Et rursum: *Si passionum series habeatur, excepta prima quae* IMMEDIATE *sit ab agente externo, aliae pro actionibus nominalibus et relativis plerumque habentur.* Verum quis dabit cl. auctori hoc ipso non esse actionem nisi *nominalem*, quia ab extrinseco vis agendi communicatur et necessario exeritur? Libertas quidem a determinatione extrinseca et necessaria requiritur in actionibus et causis quas vocant principales, unde homo violenter impulsus et aliquid feriens censeretur potius pati quam agere; at in causis et actionibus minus principalibus hoc non est necessarium: sic et manus e. g. licet necessario et absque reflexione ab animo ad motum determinetur, et globuli A, B, C, etc. se invicem ad motum determinantes, quamvis recipiendo impulsum sive determinationem passive se habeant, tamen accepta determinatione sive impulsu, non sunt in indifferentia ad eumdem producendum in alio, sed revera juxta aptitudinem propriam, diversam pro diversa quantitate et cohaesione ac resistentia partium, eumdem producunt. Si enim nihil agerent, unde haec diversitas effectus dimanaret? Hanc activitatis speciem nolle agnoscere, idem est ac gratis asserere solam intrinsecam activitatem constituere entia causas efficientes.

Digitized by Google

56. Possent Occasionalistae adhuc falsitatis argui, ex conceptu ipso scientiarum naturalium, qui prorsus periret, supposita veritate eorum doctrinae. Verum quia ipsi communiter jactitant, *Deum omnia facere*, juvat hujus expressionis sensum cum Buffier accurate determinare, qui sic fere (1) in rem nostram scite animadvertit: Nemo unquam negavit, *Deum omnia agere*; sed modo proportionato ad naturam causae primae: quatenus nimirum et existentiam et vires agendi creaturis tribuit, et non nisi ipso volente haec omnia in illis permanent atque in actum exeunt. At contendere, *Deum omnia agere*, quasi aqua e. g. ad sitim extinguendam, ignis ad comburendum nihil prorsus naturali sua aptitudine conferrent, sed effectus istos ad praesentiam aquae et ignis Deus per se immediate produceret, hoc revera, et communi agendi rationi, et judicio cujuscumque hominis vel maxime rudis directe adversatur. Videatur quoque Spagni (2).

Occasionalismus itaque in genere, philosophice falsus est; et stricto sensu acceptus, id est, ad mentem rigidissimorum Occasionalistarum, etiam contra Fidem peccat ac ad impietatem proxime ducit: de Fide enim est, hominem esse liberum et Deum non posse esse peccati auctorem.

57. Dicunt 1°. Si creaturae agerent, et non solus Deus, is 1° censeretur minus agere; 2° creaturae principaliter agendo fierent independentes: utrumque repugnat; ergo Deus non potuit, etc.

Resp. *Nego maj.* quoad utramque *partem* et *conseq.* 1° Quia Deus, causam secundam creando, activitatem eidem tribuendo, et cum ipsa ad agendum concurrendo, plus profecto operatur, quam si solus effectum produceret. Praeterea hoc non facit ex indigentia, sed pro lubitu et benignitate. 2° Agere *principaliter*, est agere ex principio intrinseco; *independenter* vero, idem est, ac virtutem agendi, ejus conservationem et ipsum actuale exercitium sub nullo respectu ab alio repetere: primum igitur, quod solum quibusdam causis secundis tribuimus, non est idem ac secundum.

Urget Malebrauche. Idea causae efficientis repraesentat quid divinum; et quamvis dicatur, causam creatam non excludere dependentiam, repraesentabit saltem aliquam divinitatem inferiorem, ad mentem ethnicorum.

Resp. *Dist.* 1^m^ *partem ant.* idea causae *efficientis et independentis* repraesentat quid divinum, *conc.* secus, *nego*; et

(1) *Traité des premières vérités*, chap. 17. 18. 19.
(2) *De causa efficiente.* Romae 1764.

Digitized by Google

nego, 2^m *partem ant*. Idea causae efficientis exhibet ens praeditum virtute aliquid efficiendi, quacumque tandem ratione efficiat, et virtutem agendi habeat; e contra idea divinitatis exhibet ens et in existendo et in operando *independens*: hinc etiam patet falsitas 2^{ae} *partis*. Praeterea incredibile, quin falsum quoque est, ethnicos tantum propter efficientiam cognitam in creaturis, eas tamquam divinitates coluisse.

58. Dicunt II°. Spiritus, se et corpora movendo, se ipsos conservarent, vel cogerent Deum ad utriusque conservationem: nam existere in diversis successive locis postulat conservationem entis in iisdem.

Resp. *Nego ant*. Ad *probat*. *Dist*. postulat conservationem, etc. per eamdem virtutem, *nego*; per diversam, *conc*. Transitus de loco ad locum in spiritibus fit ab intrinseca activitate, in corporibus ab extrinseco impulsu: conservatio autem utriusque in ordine existentium fit per actum voluntatis divinae, ad quod praestandum Deus non cogitur, cum sicut in creando, ita in conservando liberrimus sit, nec nisi *de consequenti*, scilicet posito, quod aliquod ens usque ad datum quoddam tempus durare voluerit, tenetur quoque per id temporis illud conservare.

Urgent 1° Spiritus toto genere differt a corpore: ergo nequit in illud agere. 2° Quia id faceret volendo; inter volitionem autem et motum nulla datur proportio. 3° Vis producendi motum non includitur in conceptu *spiritus*. 4° Non intelligitur, quomodo spiritus motum corpori imprimat.

Resp. ad 1^m. *Conc. ant*. et *nego conseq*. Si animus noster, quia spiritus, nequit agere in corpus, neque Deus, utpote spiritus, licet virtutis infinitae, id poterit; quod tamen adversariis non placet.

Ad 2^m. *Dist*. faceret simpliciter volendo, *nego*; etiam positivam vim *loco-motivam* exercendo, *conc*. Hinc patet responsio ad illud, quod additur.

Ad 3^m. *Dist*. non includitur in conceptu *spiritus* inadaequato, *conc*. adaequato, *nego*. Conceptus e. g. animi nostri inadaequatus, includens solam rationalitatem, formaliter non involvit vim movedi corpora, quam tamen involvere debet conceptus adaequatus, qui scilicet omnes facultates animi exhiberet.

Ad 4^m dicimus, non ideo negandum esse, quod apertum est, quia comprehendi non potest, quod occultum est; secus plura sequerentur absurda.

Digitized by Google

59. Dicunt III°. Corpora, utpote inertia 1° passive se habent; ergo neque *instrumentaliter* agere possunt. 2° Nequeunt se ipsa movere; ergo a fortiori nec alia. 3° Motus, utpote relatio extrinseca, non transit ab uno in aliud; et cum haec communicatio motus fiat constanti ratione pro diversitate massarum, magnam requirit sapientiam: nam corporum massae infinities variantur. 4° Corpus unum nequit intimas alterius partes ob impenetrabilitatem pervadere; ergo neque illud movere.

Resp. ad 1^m. *Dist. ant.* passive se habent relate ad ea, quae *circa ipsa* fiunt, *conc.* quae *ope ipsorum* fiunt, *nego*. Ex eo quod corpora sunt inertia, statum suum motus vel quietis mutare nequeunt, et relate ad hoc passive se habent: sed hoc ipso, quod in motu posita statum suum per se mutare nequeant, si impingant in aliud corpus, illud ad motum concitabunt, et sic impingendo *agunt* velut instrumenta naturalia (1).

Ad 2^m. *Dist. ant.* Nequeunt se ipsa movere a semetipsis, *conc.* supposita determinatione extrinseca, *nego ant.* et *conseq.* Etenim posita hac determinatione, corpus per suam inertiam motum conservat, donec iterum ab extrinseco destruatur.

Ad 3^m. *Dist.* 1^m. *partem*: non transit, etc. modo mechanico, velut fluidum, *conc.* secus, *nego*. Metaphorica est locutio, effectum tamen positivum et existentem exprimit. Ad 2^m *partem* dico: licet constans ratio, qua motus communicatur, postulet magnam sapientiam, haec non in corporibus, sed in Auctore naturae talem legem constituente, quaerenda est.

Ad 4^m. *Conc. ant.* et *nego conseq.* Posito, quod corpus impellens extimam alterius superficiem tangat, tunc etiam intimae partes propter nexum cum extimis ad motum concitabuntur, quin sit opus, ut immediate tangantur, et corpus impactum penetretur. Nec pariter hujusmodi penetratio locum habere debet ex eo

(1) Si quis vellet ita difficultatem urgere, dicendo: instrumentaliter agere *idem est, ac non agere, cum effectus semper tribuatur causae principali, quae cum instrumento pro una eademque causa habetur*; respondere poteris negando assertum, quod probatio non evincit. Nam effectus tribuitur causae principali, tamquam nobiliori, minime vero ad exclusionem causae instrumentalis, praesertim ubi haec naturaliter et vi permanenter insita ad effectus productionem concurrit. Atque hoc pariter sensu ambae computantur pro una eademque causa, sed adaequata, et ex duplici distincta et diversa activitate coalescente; secus nulla posset reddi ratio sufficiens, quare mutata etiam sola causa instrumentali, effectus varietur e. g. scriptio mutato calamo, nutritio variato cibo et potu.

Digitized by Google

quod corpus impellens in actu ipso collisionis celerius moveatur, ideoque tendat quodammodo ad praetergrediendum illud in quod impingit; nam ex hac majori celeritate corporis impellentis prae impacto sequitur dumtaxat, utrumque eorum in actu collisionis per aliquod exiguum et insensibile instans instar unius progressurum, donec scilicet celeritatis et vis motricis in ratione utriusque massae partitio et communicatio peragatur.

60. *Finalis* causae notionem acquirimus, nostrum aliorumque hominum agendi modum considerando. Etenim quando ut rationales operamur, *finem* aliquem actioni nostrae praefigimus ; *finis* autem illud est, *cujus obtinendi gratia aliquid fit*, seu illud, *propter quod causa efficiens operatur*. Cum vero, quo magis *finis* intentus animum percellit, eo efficacius ad agendum assurgimus, *finis* merito inter *causas* recensetur, quia est vera ratio efficax, ob quam aliquid fit. Quia autem actio operantis potest spectari ut est actio, et ut habens effectum, hinc alius potest esse finis *operis*, alius finis *operantis* : in utroque tamen casu *finis* est mensura mediorum, quae ad ejus assecutionem adhibentur ; haec enim variantur pro diversitate *finis*, non tantum materialiter , sed etiam formaliter spectati.

Quod modo diximus de influxu causae finalis in existentiam effectus, idem innuendum est de causa *materiali* et *formali* (1). Ac in primis , quando aliquid fit seu efficitur ex praeexistente subjecto, *materia* , sive illud ex quo efficitur, non tantum expeditam reddit causam efficientem ad agendum (quod pariter praestant (2) *conditiones* seu *requisita*) , sed etiam ipsam effectus naturam et intrinsecum valorem determinat , quin imo saepe in finem principalem per effectum intentum essentialiter influit. Similiter evidens est, causam *formalem* , quando forma substantialis realiter a subjecto distincta est, non quacumque ratione, verum efficaciter ad effectus naturae determinationem influere, ipsumque in suo , ut dicunt , *esse formali* constituere. Hoc quoque verum est de causa *formali intrinseca*, quae non est *pars physica* , sicut praecedens , determinans aliquod totum seu compositum ad certam speciem, sed tantum *metaphysica* e. g. animalitas, determinans corpus ad speciem *viventis sensitivi*, nam et haec suo modo concurrit ad *esse formale* effectus. Quod si

(1) Quomodo causa *instrumentalis* influat in effectum, patet ex dictis n. 55. et 59., et praesertim in notis adjectis.
(2) Vide quae diximus n. 52.

causa *formalis* sumatur *extrinsece*, seu pro *exemplo*, sive hoc fuerit *reale* sive *ideale*, adhuc effectus existentiam determinat: etenim sic accepta dirigit causam efficientem, ut effectum assimilet *prototypo*. Hinc quatuor memoratis causarum classibus (ad quas omnes aliae reducuntur) veri nominis *causalitas* convenit, ideoque immerito a nonnullis inter scholasticorum figmenta doctrina haec rejicitur.

61. *Media*, quorum aliqua in ordine assecutionis aliorum adhibentur, evadunt fines *partiales* relate ad praecipuum sive *ultimum* finem, qui intenditur ratione sui, quique talis est, vel in se et absolute, vel saltem in apprehensione agentis, et circa hunc finem electio fieri nequit: quoad fines vero *partiales*, praesertim quatenus obtinendi per actionem, adest electioni locus, quia plures et aeque boni plerumque esse possunt.

Ex quo autem plura entia per fines *partiales* connexa ad communem aliquem finem diriguntur, oritur series subordinata causarum finalium, quae sapientiam ordinantis apprime manifestat; cum sapientis sit finem praefigere et media apta ad ejus assecutionem constituere: qui enim vult finem, debet necessario velle et media, secus vellet et non vellet finem. Quia tamen finis, ut impellens ad agendum debet praecedere actionem, ut obtinendus per actionem debet eam subsequi: hinc recte dicitur esse *primus in intentione, ultimus in executione*, et sub hoc duplici diverso respectu, finis est causa simul et effectus ejusdem actionis.

Nonnulli recentiores philosophi causas finales a philosophia exulare vellent, sed parum caute. Nimis enim manifeste rerum natura loquitur, suique Creatoris et Rectoris sapientiam depraedicat; neque demum per hoc studium arrogantiae notam, divina arcana scrutando, incurrimus, sed intuemur, quae per se sunt manifesta. Verum plura de his, ubi de existentia Dei, loquemur.

62. Diversae aliae ontologicae quaestiones adhuc investigandae forent: ast ad alia gradum facere coacti, ea paucis comprehendemus in metaphysica particulari seu speciali, quae hoc loco brevitatis gratia omittimus. De conceptu itaque durationis tam successivae quam non successivae, seu de *tempore* et *aeternitate*, propter nexum quaestionum, loquemur in theologia; de conceptu *motus* in materia, ejusque natura, ac de legibus physicis, partim in theologia, partim in psychologia ac cosmologia agemus: atque in hac postrema metaphysices specialis parte addenda quoque erunt, quae circa naturam *spatii* et *loci*, inquirenda supersunt.

EXPLICIT METAPHYSICA GENERALIS.

Digitized by Google

METAPHYSICA SPECIALIS

THEOLOGIA NATURALIS

PROOEMIUM

Aggredimur tractatum de existentia et attributis Dei, quatenus haec naturali rationis lumine innotescunt. Qui animum ita comparatum habuerit, ut quaestiones has perscrutando, nec altiora se quaesierit inani cupiditate illectus, nec a limine dumtaxat salutaverit quae limites rationis humanae non excedunt, magnam profecto voluptatem, et non exiguum emolumentum percipiet; siquidem et stupenda divinae naturae arcana (quantum pro viribus licet), se ipso quodammodo major suspiciet, et a magnitudine ac excellentia divinae perfectionis non opprimetur. Tribus capitibus totam doctrinam comprehendimus, disserendo videlicet in primo de existentia et essentia Dei; in reliquis de attributis divinis.

CAPUT PRIMUM

DE EXISTENTIA ET ESSENTIA DEI

1. Existentiam Dei contra atheos probaturi, nihil moramur circa quaestionem, an *Deum esse sit per se notum*, ita nempe ut probatione non egeat. Fatemur equidem, sive ob facilem ex immediatis principiis deductionem, sive ob invincibilem naturae rationalis impulsum, nobis rem plus quam probatam videri, nec posse unquam hominem, perfecto rationis usu praeditum, invincibili cujusdam Numinis existentiae ignorantia laborare; aut eamdem ex intima animi persuasione in dubium revocare. Verum, qui amore veritatis ducuntur, non satis habent existentiam Numinis a parte sui notam atque sibi perspectam esse, nisi etiam tanto argumentorum pondere eam roboraverint, ut impiorum contra nitentium conatus retundere valeant. Nec pariter moramur doctrinam quorumdam recentiorum, existimantium non posse probari existentiam Dei, sed debere admitti tamquam objectum *solius divinae revelationis*, vel tamquam *factum* quoddam, de

Digitized by Google

quo penes omnes constat (1). Haec enim sententia est contraria et injuriosa omnium saeculorum Doctoribus; fundatur in falso principio, quasi ratio nostra nihil certo cognosceret: quin etiam adversari videtur sacrae Scripturae dicenti: *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas* (Rom. I. 20.). Triplicis autem generis sunt argumenta, quibus existentia Dei solet invicte probari, scilicet, *metaphysica, physica, et moralia*: de singulis distinctis articulis agemus.

Advertenda sunt autem tria; ne detur aequivocationi locus. 1°. Demonstratio existentiae Dei est dumtaxat *a posteriori*: Deus enim, utpote ens supremum et causa prima, nihil habet se prius, quod ad instar *causae* possit spectari. Impossibilitas vero demonstrationis *a priori* non est confundenda cum illa demonstratione, in qua nonnulli ex ipsa possibilitate entis summe perfecti ejus existentiam arguunt, eamque vocant *a simultaneo*, vel *quasi a priori*, quae quidem demonstratio saltem *simpliciter* spectata merito a nonnullis dicitur esse sophistica (2). Similiter confundenda non est cum illa, quae facile desumi posset ex dictis in

(1) Vide quae de his sententiis uberius innuimus in nota ad calcem Artic. 3. hujus capitis.

(2) Argumentatio ista *a simultaneo* forte hoc tantum modo poterit insufficiens ostendi, scilicet, determinando proprium terminorum sensum. Nam in hac ratiocinatione: *Ens realissimum est possibile; ergo existit* (cum existentia sit vera realitas seu perfectio, unde ens realissimum seu perfectissimum etiam eam debet continere, ac proinde existere), existentia in consequente enunciata, aut praecontinetur in antecedente sub conceptu cujusdam realitatis idealis seu possibilis, et tunc consequens latius patet quam antecedens, quia actualis existentia consequentis est quid plus, quam idealis antecedentis; aut praecontinetur inter realitates tamquam quid objectivum seu existens, et tunc argumentum est tautologicum: idem enim esset, ac si diceretur: *ens realissimum est existens; ergo est existens.* Nec animadversionis vim elevares dicendo, consequens debere semper praecontineri in antecedente: nam hoc verum est de virtuali et implicita ratione praecontinendi, non autem de explicita et formali, sicut in casu praesenti. Atque haec de demonstratione ista *simpliciter* ac *in se* spectata dicta sint: etenim si quis vellet eam vindicare et sustinere adversus rationes et oppositiones Kantii (*AEstet. transcend. ration. pur.*), id valide et etiam argumentis ad hominem praestare poterit, cum rationes Kantii in falsis principiis passim fundamentum agnoscuut. Argumentatio ista vocatur a quibusdam *ontologica*, illa vero quam nos *metaphysicam* dicimus, solet vocari *cosmologica*.

Digitized by Google

Ontologia (1) de conceptu possibilitatis intrinsecae, qui in hypothesi Dei non existentis haberi non posset, sicut ibidem probavimus.

2°. In Logica probatum est, posse nos certos esse, praescindendo etiam a veracitate Dei, de relationibus sensus intimi, sensus naturae communis; existentia corporum, etc. ergo, dum in hac quaestione argumenta et principia demonstrationum ex istis fontibus desumuntur, nullus admittitur circulus vitiosus, vel petitio principii.

3°. Quaestio cum atheis in hoc consistit: *An detur ens quoddam supremum, a tota rerum congerie et natura distinctum.* Hinc in praesentiarum non est necessaria definitio Dei essentialis, sed sufficit mera declaratio status quaestionis, seu definitio nominalis.

ARTICULUS I.

DE ARGUMENTIS METAPHYSICIS QUIBUS PROBATUR EXISTENTIA DEI

2. Metaphysica sunt argumenta, quae ex principiis universalibus rationis inter se collatis, vel cum notionibus experimentalibus conjunctis deducuntur. Plura ab auctoribus solent proponi: nos duo tantum exhibemus, ideoque assertionem nostram sic exprimimus:

Supremi Numinis existentia invicte probatur sub conceptu entis necessarii et improducti, sive entis a se: nullumque et vanum est atheorum effugium ad seriem producentium et productorum actu infinitam: haec enim in se. et praesertim ad mentem illorum, undequaque repugnat.

3. Entia contingentia, de quorum existentia metaphysice certi sumus, ut patet ex dictis in Logica (2), in suo conceptu involvunt *saltem* possibilitatem *non-esse* (hinc praescindimus nunc a quaestione, num semper extiterint): ita enim sunt, ut propter determinationem suae naturae nulla repugnantia habeatur, etiamsi absolute non essent. Jam vero, posito vel unico tali ente; necessario admittendum est ens absoluta necessitate existens, sive *ens simpliciter necessarium*: contingentia enim neque in nihilo, neque in possibilitate, neque in se rationem suae existen-

(1) Art. 2. n. 16. 17. 18.
(2) Part. II. art. 3. et 5.

tiae continent, sicut dictum est (1) loquendo de principio causalitatis: ergo, nisi admittatur extra ordinem contingentium ens absoluta necessitate existens, admittendum foret, posse dari effectum sine causa, sive destruenda naturalis rationis nostrae incompossibilitas, conjungendi simul *esse* et *non esse*; ergo datur *ens necessarium* extra ordinem contingentium.

Sed non minus compertum est, debere dari tale ens sub conceptu causae *improductae* sive *a se*. Cum certissimum sit, nunc aliquid existere, oportet aliquod ens semper extitisse: si enim semper nihil fuisset, etiam nunc nihil esset. Porro, quod semper fuit, absolute non poterat *non esse*, aut secus: si primum, ratio hujus perennitatis residet in ipso, sive est *a se* et *improductum*, et extra ordinem totius universitatis rerum; si alterum, perennitas ejus *esse* pendebit ab alio prioritate saltem naturae (2), quod aliud debebit esse simpliciter primum et *a se*, sive *improductum*, nisi velis admittere semper posterius, et semper relativum sine primo termino relationis, ac proinde relativa et non relativa, sive *esse* et *non esse*: ergo si nunc aliquid est, debuit semper extitisse ens *a se*, et *improductum*.

4. Contra vim harum demonstrationum insurgunt in primis rationalismi Kantiani, seu potius idealismi transcendentalis adsertores.

Dicunt 1°. Demonstrationes hujusmodi fundantur in conceptibus *causae* et *effectus*, *absolute necessarii*, et *contingentis*, *possibilis* et *impossibilis*, etc. a quibus etiam pendet nexus *principii causalitatis*, qui tamen omnes sunt dumtaxat formae subjectivae nostrae rationalitatis; proinde nullum jus tribuunt ad objectivam Dei, seu *causae absolutae* et *entis necessarii* existentiam inferendam, praesertim quod lex causalitatis sit tantum principium regulativum animae nostrae. 2° *Ratio theoretica* cum suis principiis meram dumtaxat ideam Dei, utpote *objecti tran-*

---

(1) *Ontolog.* art. I. n. 7.

(2) Alibi ostendemus (*Cosmol.* art. 2. et 3.), Deum ex hoc ipso, quod tamquam causa efficiens sit *prior natura* cunctis rebus, debere quoque habere *prioritatem durationis* et perennitatis suae, ideoque nullum ens creatum potuisse creari ab aeterno; hic vero, uti monuimus, ab hac quaestione abstrahimus, quia dato etiam, quod ens contingens *semper* extitisset, tamen utpote suae existentiae et perennitatis sufficientem rationem in se non habens, necessario deberet supponere extra se aliud ens, non jam *tempore* seu *duratione*, sed *natura prius*, quod esset ratio sufficiens ipsius.

scendentalis, suppeditat; non itaque existentia Dei *sciri*, sed tamquam *postulatum rationis practicae*, fide morali, ex ejus principiis dimanante, assumi et *credi* tantum poterit. 3° Judicium hoc, *Deus existit*, si supponatur *analyticum*, recurrendum erit ad demonstrationem *ontologicam* seu *a simultaneo*, quae passim a theologis et philosophis rejicitur; si vero *syntheticum* nullum jus habere potest ratio philosophica, superaddendi subjecto *Deus* praedicatum *existit*.

Respondemus hisce adversariis, quod in quaestione tanti momenti, a qua vita moralis et socialis, ut inferius videbimus, dependet, omnimode standum sit demonstrationibus, quae communiter afferri solent; ne scilicet ratio humana in ipsa essentialis finis sui cognitione fluctuans et incerta haereat. Sane, ut nihil nunc dicamus de *realismo transcendentali* Schellingii, Dei et rerum *scientiam absolutam* sibimet arroganter vindicantis, ex supra dictis colligitur, existentiam Dei non posse admitti velut *factum* quoddam dumtaxat, nec a sola divina revelatione, ut etiam per se patet, repeti. Aliunde vero, et *intellectualis intuitus* Fichtei, si non dicatur mediante demonstratione (quod et immediatam intellectionem destrueret, et in nostram sententiam recideret) comparatus, nullum fundamentum in mente nostra vel in objectis extrinsecis, utpote totaliter ab *esse* et realitate divinae naturae diversis, habere potest. Sensio autem Eschenmayeri, sane mirabilis, sive sumatur pro *formali* operatione sensibilitatis, sive pro *instinctu* quodam, nequit *per se* existentiae Dei notionem praebere, cum utrumque directe ad usum vitae animalis, et objecta materialia ac experimentalia dirigatur, et sicut in brutis, ad id, quod omnem sensibilium et intelligibilium creatorum ordinem transcendit, non porrigatur.

Ad 1^{m} itaque dicimus, falsum esse, conceptus in quibus fundantur nostrae demonstrationes, esse *formas* dumtaxat *subjectivas* nostrae rationalitatis, ut patet ex dictis in Logica et Ontologia, cum et perceptiones nostri *ego* atque aliarum rerum, et utriusque activitatis, nec non naturalis et absoluta incompossibilitas conjungendi simul *esse* et *non esse*, oppositio ad contingens, discrimen veritatis metaphysicae a physica, etc. sint fundamentum objective reale conceptuum *causae*, *effectus*, *absolute necessarii*, etc. (1). Hinc vero patet, non posse dici, *legem*

(1) Relate ad incompossibilitatem naturalem, conjungendi simul *esse*

casualitatis esse tantum *principium regulativum animae nostrae*, nisi velis realitatem omnium scientiarum, moralitatem ipsam actionum, mutuas sociales obligationes, atque jura ipsius rationalitatis prorsus subvertere.

Ad 2^{m} *Nego ant.* et *conseq.* Primum, quia si conceptus illi quibus mens utitur, dum principiis rationis theoreticae Dei existentiam demonstrat, habuerint (sicut revera habent) fundamentum objective reale, etiam illud, quod ex ipsis infertur, existentia scilicet *causae improductae*, *absolute necessariae*, etc. erit objective realis, quin imo, propter actualem omnis defectus exclusionem *realissima*, et non tantum *phaenomenon* et *forma subjectiva rationis theoreticae*; nisi velis contendere, rationem ipsam humanam esse tantum phaenomenon. Alterum, quia cum *ratio theoretica*, quae docet quid sit aut fiat, a *ratione practica*, quae, indicans quid fieri possit aut debeat, dirigit voluntatem nostram, *realiter* vel *formaliter* non distinguatur, jam si illa, etiam et haec nullum jus habere debet, inferendi objective realem existentiam Dei. Insuper evidens contradictio vel pugna in eadem ratione admitteretur: nimirum *theoretica* ratio dubitandi, *practica* firmiter eamdem rem credendi, motivum suppeditaret. Adde, quod *practica* ratio *per se*, ut proprio officio fungatur, vi exigentiae objecti propriae felicitatis, de ejus objectiva realitate certitudinem non producat, sed necessario supponat. Itaque *sciri* potest et debet, et non tantum *credi* existentia Dei: quin imo, si ratio *practica* talem certitudinem a ratione *theoretica* non derivaret, indifferens et etiam magis propensa foret, ad ideale quam ad reale suarum exigentiarum objectum admittendum.

Ad 3^{m} Judicium hoc, *Deus existit*, a parte rei, seu *objective*, est revera *analyticum*, in quo nimirum ex natura subjecti praedicatum eidem convenit; sed non est necesse ut etiam analytico modo hujus judicii objectiva realitas probetur, nobis-

---

et *non esse*, adverte, eam materialiter et objective spectatam, esse fundamentum conceptus absolutae necessitatis, formaliter vero et subjective acceptam, esse modum cognoscendi animi nostri, qui antecedere debet illum conceptum, atque medium distinguendi verum a falso, immutabile et absolute necessarium a mutabili et contingenti: unde modus necessarius et subjectivus cognoscendi, non est ipsa absoluta necessitas objective spectata. Nihilominus in istarum notionum confusione Kant totum suum systema *de formis subjectivis a priori* exaedificat.

que innotescat; ideoque nulla etiam necessitas ad argumentum *ontologicum* recurrendi. Habet autem ratio philosophica et *theoretica* jus sibi essentiale, ut vidimus, superaddendi praedicatum illud subjecto, et quidem cum objectiva realitate, quo jure non supposito, neque ratio *practica* et communis idem praestare poterit; quod postremum adversariis minime arridet (1).

Ex responsis nuper ad 1^{m} datis, si conferantur cum alias dictis (2), facile poteris colligere oppositam viam, qua Beguelin, Hume, aliique, *principii causalitatis* seu *rationis sufficientis* absolutam et objectivam certitudinem impugnantes, eidem metaphysicae demonstrationi existentiae Dei adversantur. Si quis itaque ad illorum adversariorum mentem vellet nunc arguere, solutiones difficultatum in Ontologia allatas hic pro reproductis habemus, ut melius quoque ac simul appareat, omnium adversariorum conatus, ad vim demonstrationis nostrae labefactandam, frustraneos esse.

5. Effugium vero atheorum ad seriem actu infinitam, ut vim eorumdem argumentorum declinent, prorsus vanum est: haec enim in suo conceptu intrinsecus repugnat, idque colligitur ex jam dictis in Ontologia (3), de progressu in infinitum. Tantum addimus, quod, cum series hujusmodi supponatur coalescere ex entibus sive terminis numerabilibus, jam utcumque crescere concipiatur, sive in directum protracta, sive in orbem rediens, semper poterit revocari ad seriem numericam, in qua quilibet terminus unitate differt ab antecedente et consequente; itaque, si talis series evaderet unquam infinita, id fieret per additionem augmenti finiti, quale est ultimus terminus, ac proinde duo finita praeberent infinitum, quod repugnat. Sequerentur et ceterae absurditates, quas ibidem indicavimus.

---

(1) Ex eo quod dicamus, theoreticam rationem habere jus superaddendi praedicatum *existit* subjecto *Deus*, nolim inferas, judicium hoc: *Deus existit*, quod est a priori, esse *syntheticum*, nosque hic concedere quod in Logica (Part. II. art. 6. n. 58.) negavimus, scilicet, dari judicia *a priori*, quae simul sint *synthetica*. Etenim ratio theoretica superaddit illud praedicatum subjecto, non velut ab extrinseco et empyrice, sed ostendendo rationibus *a priori*, quamvis non per analysim subjecti, tale praedicatum pertinere ad illius subjecti naturam: hinc talis cognitio in se nedum est *a priori*, sed etiam *analytica*: aliud est enim modus, quo praedicatum convenit subjecto, aliud modus cognoscendi vel ostendendi et probandi illam convenientiam.

(2) *Ontol.* Articul. 1. nn. 7. 8. 9. 10. 11.

(3) Artic. 4. n. 38.

Nec valet exceptio, quasi augmentum ultimi termini esset quid indeterminatum, aut infinitum. Nam si dicas hoc, supponitur quod est in quaestione, et frustra adjicitur alteri, ut exinde exurgat infinitum: si illud, adhuc argumentum subsistit, quia indeterminatum erit semper quid finitum.

6. Praeterea dato etiam, quod series actu infinita intrinsecus non repugnet, repugnat certe in hypothesi eorum, scilicet, ut coalescens ex producentibus et productis contingentibus, ad exclusionem entis necessarii et improducti, sive extra, sive intra seriem contenti. Etenim 1°, in serie entium A B C D E, etc. quorum quodlibet existentiam a praecedente mutuatur, ita ut E non existat, nisi in hypothesi existentiae D, et D non existat, nisi in hypothesi existentiae C, et sic deinceps, patet, nullum eorum esse causam completam et absolutam relate ad E, vel quodcumque aliud ens illius seriei: ergo quacumque ratione haec series protrahatur, semper erit per se insufficiens ad existendum. Insuper aggregatum non mutat singulorum naturam; sicut igitur infinitae negationes nullam affirmationem, infinitae tenebrae nullam lucem, ita infinita insufficientia ad existendum nequeunt constituere sufficientiam totius seriei; praesertim quod insufficientia existendi *a se* nequeat esse initium sufficientiae. Unde colligitur, non valere paritates desumptas ab unitate relate ad numerum, a milite relate ad exercitum, etc.: in his enim omnibus supponitur aptitudo initialis ad complementum totius compositi.

2°. Si series haec contingentium excluderet necessitatem causae primae et improductae, id fieret, vel quia est *series* simpliciter, vel quia est *actu infinita*: neutrum subsistit, cum utrumque dicat aliquid extrinsecum ipsis componentibus. *Series* enim *simpliciter*, sive simultanee, sive decursu temporis evoluta, infert extrinsecam dumtaxat relationem successionis unius post alium: *actualis* vero seriei *infinitas* talem relationem successionis involvit, ut a parte *ante*, et a parte *post* nullum limitem habeat. Porro haec duo componentium naturam non mutant, nec insufficientiam ad existendum adimunt; ergo, nisi recurramus ad aliquam causam improductam sive *a se*, quae seriem hanc ad existendum determinet, licet series ista supponeretur infinita, non posset existere.

3°. Cum entia hujus mundi sint etiam diversae naturae, et in ordine productionis a se independentia, non una, sed tot series infinitae adstrui deberent, quot sunt genera et diversae spe-

Digitized by Google

cies entium. Deinde quia entia simplicia, sicut de anima nostra probabitur in Psychologia, nequeunt oriri nisi per creationem, admissis etiam relate ad generationem plantarum et animalium hujusmodi seriebus, adhuc recurrendum foret ad ens infinitae virtutis extra ordinem contingentium existens.

7. Opponunt I^{o} generatim. 1°. Primum principium et prima veritas nequit probari; atqui Deus deberet esse primum principium et veritas prima. 2° Existentia in Deo deberet esset idem ac assentia: ergo sicut essentia ita et existentia non potest per rationem cognosci. 3°. Nequit definiri, *quid sit* Deus; ergo neque cognosci poterit *an sit*.

Resp. ad 1^{m} *Dist. maj.* primum principium *cognitionis*, *conc. essendi* vel *existendi*, *nego maj.* et ex opposito *dist. min. nego conseq.* Deus quidem, utpote ens primum reale, est prima veritas in *esse*, sive *essendi*, et est primum principium *existendi*, ut causa omnium contingentium, non autem prima veritas vel principium *cognitionis*: hinc ejus existentiam non inferimus ex prioribus *in se*, sed *quoad nos*.

Ad 2^{m} *Dist. conseq.* essentia nequit cognosci adaequate, id est comprehendi, *conc.*; inadaequate, *nego conseq.* Recolantur dicta de conceptu infinite perfecti (1).

Ad 3^{m}. *Dist. ant.* nequit definiri per genus proximum et differentiam ultimam, *conc.* definitione descriptiva et nominali, *nego.* Ut demonstratio legitime procedat, sufficit utcumque determinare quid sit illud quod quaeritur (2).

Quod si quis adderet: *Deum existere*, est objectum Fidei; nequit igitur ratione probari; distinguimus *ant.* est *etiam* objectum Fidei, *trans.* est *tantum* objectum Fidei, *nego.* Actus elicitus Fidei Divinae necessario praesupponit certam cognitionem de existentia Dei. Hinc etiam D. Thomas observat (3), demon-

---

(1) *Ontolog.* art. 5. n. 44. et seq.

(2) Essentialiter competit Deo, esse *ens simpliciter* et per excellentiam; notio autem *entis* (*Logic.* Part. 1. n°. 2.), est una ex transcendentalibus, quae scilicet transcendunt seu sunt supra omnia genera, utpote quae de quovis objecto indiscriminatim et aequivoce enuntiantur, e. g. *ens*, *res*, *verum*, *bonum*, etc.: hinc dicitur, Deum sub nullo genere entium proprie contineri, quia categoria generum non incipit a notione *entis*; ideoque Deum neque posse per genus proximum et ultimam differentiam definiri.

(3) *Parte* 1. quaest. 2. art. 2. ad 1^{m}

Digitized by Google

strationem existentiae Dei ex principiis naturalis rationis desumptam, spectandam esse tamquam *praeambulum* omnis revelationis, ac proinde etiam Fidei Divinae: quamquam, ut alias monuimus, potest haberi fides et scientia de eodem objecto sub diverso respectu.

8. Opponunt II°. Demonstratio debet fieri ex necessariis; entia contingentia non sunt quid necessarium; ergo nequit ex ipsis legitime inferri existentia entis necessarii.

Resp. *Dist. maj.* ex necessariis logice et illatione, *conc.* natura et entitate, *nego*; et ex opposito *dist. min. nego conseq.* Legitima demonstratio postulat necessariam illationem consequentis ex antecedente, quae optime consistit etiam cum contingentia medii adhibiti: licet enim hoc absoluta necessitate non existat, tamen purificata conditione, ut ajunt, de ejus existentia, praesertim per certitudinem metaphysicam, sicut in casu nostro habetur, consequentis illatio absolute et objective certa ac necessaria evadet.

Instant I°. Inter contingens et necessarium, sicut inter finitum et infinitum, nulla datur proportio; ergo.

Resp. *Dist. ant.* nulla datur proportio entitatis, *conc.* connexionis et dependentiae, *nego.* Non ex identitate naturae, sed ex dependentia et connexione contingentis cum necessario ratiocinamur: ergo nihil refert naturae disparitas.

Instant II°. Ab ente necessario nequit inferri contingens; ergo a pari: etenim eadem est ratio eorum, quae sunt relativa et connexa.

Resp. *Conc. ant. nego conseq.* et *paritatem. Dist. rationem additam*: eadem est ratio, quando connexionis relatio est mutua, *conc.* secus, *nego.* Et sane disparitas est manifesta: ens enim contingens postulat, saltem mediate, ut sit ens necessarium, a quo determinetur in suo *esse*; secus foret absque causa: e contra ens necessarium, sibi soli sufficiens, nihil in sua natura includit, quod exigat productionem contingentis; nisi itaque de hac aliunde constaret, notio sola entis necessarii eam non suppeditat. Hinc eruitur, relationem connexionis in isto casu non esse mutuam: simili modo ac recte quidem ex opere artefacto infertur artificis existentia, licet non vice-versa. Connexionis mutuae exempla sunt obvia (1).

(1) Vide dicta in *Ontologia* artic. 4. n°. 31.

Digitized by Google

Instant III°. Effectus non exigit, nisi causam proportionatam; ergo ex effectu contingenti non infertur, nisi causa contingens.

Resp. *Dist. ant.* effectus non exigit, nisi causam proportionatam pro quacumque hypothesi, *conc.* proportionatam simpliciter, *nego.* Praeterea *dist. conseq.* si effectus fiat per creationem, *nego*; si per eductionem dumtaxat ex nihilo *sui*, *subdist. immediate*, *conc. mediate*, *nego.* Loquimur de causa, quae complete et pro omni hypothesi sufficiat determinationi effectus quoad totalitatem ejus naturae ; ergo licet in hypothesi successionis a contingente ad contingens causa immediata et inadaequata possit etiam esse contingens, tamen in casu eductionis ex nihilo *subjecti et sui* vel dum quaeritur causa mediata et adaequata, quae naturam contingentis non tantum in se, sed etiam in virtute proxime efficiente determinaverit, effectus contingens postulat causam necessariam.

Unde Kant prorsus immerito arguit, fieri saltum, dum ex contingente ad necessarium concludimus, quia sufficit, inquit ipse, causa contingens : item, ignaviae subjici rationem humanam, cum prohibeatur ab ulteriori rerum naturalium inquisitione. Qui enim saltus esse potest, dum non neglectis causis intermediis et immediatis, sed earum dumtaxat detecta insufficientia, a *contingente* ad *necessarium*, seu a serie *relativorum* ad aliquod ens *absolutum* concludendo excurrimus? Hinc quoque nulli ignaviae ratio humana subjicitur : non enim ulteriorem progressum in inquisitione causarum et effectuum naturalium prohibemus, in qua utcumque profeceris, semper alia et alia investiganda reperies; verum physicas a metaphysicis disquisitionibus secernimus, quae postremae dum solam exigentiam respiciunt causae *completae*, *adaequatae*, *absolutae* (qualis in natura contingentium ac relativorum seorsum vel collective sumptorum, non invenitur), a multitudine vel paucitate effectuum et causarum naturalium, earumque mutuis consensionibus ac relationibus nullatenus pendent, neque eorum ulteriorem investigationem praepediunt.

Instant IV°. Saltem non sequitur, ens illud necessarium debere esse *Deum.*

Resp. *Nego* assertum. Dummodo athei admittere cogantur ens necessarium et improductum extra ordinem contingentium, hoc ad praesentem quaestionem sufficit. Postea ostendetur, quomodo huic enti competant caetera Divinitatis attributa.

Digitized by Google

9. Opponunt III°. Termini seriei actu infinitae 1°, non debent spectari velut partes aliquotae et integrantes, sed tamquam puncta ad lineam, momenta ad tempus; cum inter finitum et infinitum nulla sit proportio. 2°. Philosophi plures docuerunt, propter suppositam possibilitatem mundi aeterni seriem infinitam successivam non repugnare, licet permanens repugnet; ergo.

Resp. ad 1^{m}. *Nego ant.* Ex natura ipsa successionis oritur, seriem hanc non compleri nisi per terminorum aggregationem; ergo ejus termini sunt necessario partes integrantes seriei, quemadmodum, si linea ex punctis, tempus ex momentis coalescerent, puncta et momenta forent partes integrantes utriusque, et utrumque compositum nequiret esse aliquid actu infinitum. Ratio addita nobis favet.

Ad 2^{m}. Negando *conseq.* dicimus cum Clar. Gerdil. (1), Philosophos istos facile potuisse videre, possibilitatem seriei successivae actu infinitae secum trahere possibilitatem permanentis. Nam, sive termini seriei in abstracto sibi succedere, sive in concreto sibi coexistere supponantur, aeque ab aliqua intelligentia numerari possent, et aeque fieret transitus a finito ad infinitum per rem finitam; ergo si permanens, etiam successiva series actu infinita repugnat. Atque ex hac ipsa seriei repugnantia, quae *a priori* ostenditur, suo loco videbimus, non posse admitti possibilitatem mundi aeterni.

Instant. Singuli termini hujus seriei sunt possibiles; ergo et tota series actu infinita. Nam quod convenit singulis individuis, quodque per collectionem nec augetur, nec minuitur, convenit etiam toti collectioni; atqui singulorum possibilitas *essendi* nec augetur, nec minuitur; ergo.

Resp. *Dist. ant.* singuli termini seorsum sumpti, *conc.* collective sumpti, *nego.* Ad *probat. Dist.* quodque nec augetur, nec minuitur, tam respectu singulorum, quam collectionis, *conc.* tantum respectu singulorum, *nego.* Similiter *Dist. min.* neque augetur, nec minuitur, respectu singulorum seu distributive, *conc.* respectu collectionis, *nego.* Praedicatum impossibilitatis in casu nostro afficit collectionem, quatenus est haec determinata collectio, nempe *infinita*: nihil itaque mirum, quod sit contradictorium praedicato individuorum. Nam *esse in collectione*, relate ad terminos distributive sumptos, est quid extrin-

(1) *Mémoire de l'infini absolu.* t. 5. Oper. edit. Roman.

Digitized by Google

secum et accidentale, collectioni autem *esse actu infinitam* foret quid intrinsecum et essentiale, quatenus nimirum est *haec* collectio; et cum infinitas actualis, utpote generis diversi, sit collectioni intrinsece repugnans, recte de ipsa, et non de individuis enunciatur praedicatum impossibilitatis (1).

10. Opponunt IV°. Universitas rerum debet spectari velut quid totum, se ipsum evolvens diversis modis, in quo nullae series productionum et generationum: substantia enim nequit substantiam producere, et *ex nihilo nihil fit*; ergo huic composito nequit aptari repugnantia seriei actu infinitae.

Resp. *Nego ant.* Assertio haec est contra experientiam meridiana luce clariorem. Sed esto: evolvat se hoc *totum* adeo diversis et miris modis: nonne singulae ejus evolutiones totidem successivos seriei terminos constituent? Nonne erunt totidem effectus contingentes, qui saltem remote a causa prima et absolute necessaria pendebunt? Ergo etiam in ista hypothesi absurditatum congeries integra perseverat.

Ad *prob. Dist.* tamquam ex materia praeexistente, *conc.* tamquam a termino *non-esse*, *subdist.* virtute finita, *conc.* infinita *nego*. Ex eo quod substantiae finitae et materiales per veram creationem se non producant, non tollitur, ubi adest, successiva unius ab alia propagatio, quocumque modo fiat, et insufficientia ex se ad existendum: vis namque participandi *suum esse* poterat *esse* vel *non esse*; ergo semper remanet necessitas recurrendi ad causam primam et improductam. Caeterae distinctiones patent ex alibi dictis et dicendis (2).

Instant I°. Ex contingentia singulorum nequit contingentia totius seriei inferri; a distributivo enim ad collectivum non valet illatio. Sic, e. g. ex quo partes sint incompletae, non sequitur totum esse incompletum.

Resp. *Nego ant.* Ad *probat. Dist.* non valet illatio in accidentalibus, *conc.* in essentialibus, *subdist.* si pendeat a collectione, *conc.* si non pendeat, *nego*. Ut dictum est in fundamento, *esse in collectione* est quid extrinsecum singulis entibus contingentibus; ergo collectio sive series nequit mutare eorum

(1) De vi argumentationis a distributivo ad collectivum et vicissim, vide quae diximus *Logicae* Part. 1. artic. 3. §. 4. n. 24. et in *nota*.

(2) *Logicae* Part. II. art. 5. n. 55. dicunt iterum. Hic inferius cap. 3. art. 1. per totum, et in *notis*.

Digitized by Google

contingentiam ; ergo tale praedicatum ab ipsa non pendet : quin potius, quo plura hujusmodi entia ex se ad existendum insufficientia colligantur, eo major necessitas aderit entis *a se* existentis, quod talem insufficientiam adimat, sive compleat, sicut patet exemplo catenae ex annulis se invicem sustinentibus confectae. Hinc paritas addita non est ad rem, si intelligatur de extrinseco partium complemento, quod dependet a collectione sive compositione.

Instant II°. Data etiam contingentia seriei, non infertur ens necessarium. 1° Ex singulis contingentibus non infertur ; ergo nec ex tota serie. 2° Cum partes adaequent totum, et singulis seorsim acceptis sufficiens existendi causa intra seriem sit assignabilis, idem de tota serie erit dicendum. 3° Quia series haec erit quoque necessaria et independens, cum concedatur esse infinita ac aeterna, secus contra hypothesim periret infinitas, dum ad ejus initium perveniretur.

Resp. *Nego ant.* Ad 1^m^. *Dist. ant.* ex singulis non infertur, si ageretur de eductione ex nihilo *sui et subjecti*, *nego*: in hypothesi transitus de contingente ad contingens, *subdist.* immediate, *conc.* mediate, *nego*. Ratio distinctionis patet ex supra dictis. Praeterea si supponantur duo aut plura entia toto genere diversa, quae ab invicem in productione non pendent, vel unicum etiam ens simplex contingens, ex singulis immediate potest inferri necessitas causae improductae (1).

Ad 2^m^ *Dist. ant.* sufficiens existendi causa incompleta, *conc.* completa, *nego ant.* et *conseq.* In ista serie ascendendo quousque libuerit, invenies semper effectus, descendendo vero causas alterius, et non *sui*; ergo nullam invenies causam absolutam et completam, sed incompletam ; ergo nunquam habebis rationem sufficientem, quae possit absolutam existendi impotentiam, tam a singulis, quam a tota serie tollere, et intellectui quietem adferre.

---

(1) Videtur per se manifestum, et probabitur in Psychologia, ens simplex, utpote non coalescens ex partibus nec ex subjecto et forma, non aliter posse oriri nisi per simplicem transitum a *non esse sui et subjecti* ad *esse*, seu per veram creationem : similiter, si tantum unum, e. g. saxum et animal unum, quorum neutrum ab altero quoad productionem dependet, existerent, nec ante se alia ejusdem generis entia supponerent, a quibus immediate orirentur, jam etiam tunc ad creationem, quae soli enti infinita virtute praedito seu Deo convenit, pro reddenda sufficienti ratione illorum entium, recurrendum esset.

Digitized by Google

Ad 3^{m} *Nego ant.* et *dist. probat.* contra hypothesim disjunctive permissam, et non concessam, *conc.* aliter, *nego.* Non ex infinitate, quae tantum velut ad experimentum permittitur atheis, sed aliunde inferenda est hujus contingentium seriei necessitas et independentia, sicut nos ejus repugnantiam ex natura collectionis et entium deducimus: ergo nil mirum si ipsa infinitas denegari debeat, exclusa causa improducta: si enim unquam possibilis foret talis series, non deberet excludere ens necessarium a quo determinaretur.

Instant III°. Sicut ex contingentia successivorum deducitur contingentia totius seriei, ita ex aeternitate, quae consequitur suppositam infinitatem, deducitur necessitas ad existendum, ac proinde independentia; ergo.

Resp. *Nego ant.* et *parit.* Contingentia singulorum, cum per successionem non mutetur, ut vidimus, sufficit per se ad inferendam totius seriei contingentiam: at aeternitas cum *ex se* non postulet nisi ut nullum ens sit *tempore prius* ipsa collectione, licet concederetur talis collectio aeterna nondum sequeretur esse independentem. Enimvero per hoc minime excluderetur necessitas existentiae causae primae, quae esset saltem *natura prior*, compleretque aeternam insufficientiam illius seriei, ideoque ab initio quaestionis monuimus nos nunc praescindere, an contingentia semper extiterint nec ne, quia ab hac inquisitione argumenti robur non pendet.

ARTICULUS II.

DE ARGUMENTIS PHYSICIS QUIBUS PROBATUR EXISTENTIA DEI

11. Tot possent institui argumenta physica ad probandam Dei existentiam, quot sunt entia praesertim organica et animata, eorumque diversae naturales ordinationes. Nos tamen, ex admirabili hujus mundi ordine causarumque finalium subordinatione probationem dumtaxat desumimus, ut brevitati consulamus.

At sciendum est, atheos non negare hujus mundi ordinem, ejusque constantiam per leges stabiles determinatam (et si negarent iisdem argumentis refellerentur ac sceptici); sed utrumque casui fortuito tribuere. Vel enim entia hujus mundi ignota nobis ratione ordinate se composuisse dictitant, vel cum Epicuro immane quoddam vacuum, et in eo infinitas atomos, exiguas nempe materiae particulas, vagari et ab aeterno existere statuunt.

Digitized by Google

Dum itaque a summo deorsum ferebantur atomi illae, casu contigit, ut a linea recta declinantes in se invicem impegerint, et sic mutuo cohaerentes varia efformaverint corpora, ex quibus coalescit mundus. Omnis igitur structura corporum, ordo, legesque, quibus subjacent, quin et ipsae entium spiritualium ac voluntatis humanae operationes, ex fortuita atomorum combinatione et declinatione originem trahunt, ac explicantur juxta hoc insanum commentum.

Suppositio ista epicurea vel ex eo absurda est, quod adstruat materiam sive ejus elementa improducta esse, et ab aeterno extitisse, motuque essentiali praedita fuisse. His tamen in praesens omissis, contendimus vel solum aspectabilem hujus mundi ordinem causasque finales invicte probare existentiam entis intelligentis, a tota serie ordinatorum distincti. Duo tamen prius advertimus: 1°. Ordinem hujus mundi spectamus simul cum constantia legum quibus subjicitur, nec ab ipso excludimus ordinationem entium, quae sunt ratione praedita. 2°. Ut argumentum hoc sit diversum a metaphysico, conabimur ex ipsa natura *ordinis*, non autem argumento metaphysico in subsidium vocato, eruere supremae intelligentiae sive Dei, existentiae necessitatem, ideoque propositionem nostram sic enunciamus (1).

Admirabilis hujus mundi ordo, COMPLETE *et* ADAEQUATE *sumptus, ejusque constantia per leges stabiles determinata, nec non causarum finalium subordinatio, existentiam Dei, sub conceptu entis* SUMME *intelligentis, invicte demonstrat.*

12. Et in primis *casus fortuitus* relate ad conceptum nostrum (*in se* enim non datur), ut obvia exempla probant, il-

(1) Plerique auctores, dum hoc physico argumento utuntur, vel non advertunt ordinem physicum rerum causarumque finalium subordinationem esse in se quid finitum, ideoque non postulare nisi causam ordinantem finitam, quae non erit Deus; vel si hanc sequelam advertant, statim ad metaphysicum argumentum confugiunt, dicendo, quod si supponatur causa illa finita, erit et ipsa ordinata, contingens, ne ab alia dependens, ad quam tandem, tamquam ad independentem et supremum ordinatorem, necessario perveniendum erit. At iste modus procedendi omne robur physici argumenti elevat, ipsumque cum metaphysica demonstratione confundit: unde non defuerunt alii philosophi, qui hoc argumentum aut nihil per se probare, aut tantum probabile esse arbitrati sunt. Istud itaque incommodum nos declinare studebimus. Vide quae Sarti, Bonomi, Genuensis, Storchenau, Bonelli, aliique disputant.

Digitized by Google

le est, qui quidem non excludit causam, sed ejus dumtaxat intelligentiam. Ordo autem *efficienter* spectatus, est apta dispositio mediorum ad finem (1). Qui itaque cum ordine agit, pluraque entia ita ad invicem disponit, ut rationem finis vel medii relate ad alia habeant, necessario est intelligens; nam finem ordini praefigere, media apta accomodare, pluraque entia ad utrumque apte subordinare intelligentis est; cum nec aliter amentem sive intelligentia destitutum ab aliis secernamus, nisi per defectum ordinis et finis in sermonibus, et actionibus ejus: neutrum itaque potest esse effectus casus fortuiti, qui ex sui conceptu excludit intelligentiam. Argumentum porro istud metaphysicam certitudinem praebet, cum judicium hoc: *Opus ordinatum postulat intelligentiam ordinantem*, ut late ostendit Pallavicini (2), immediate a natura rationali provenire dicendum sit; et quia aeque repugnat admittere effectum sine causa simpliciter, ac sine causa effectui praestando proportionata: metaphysice igitur certum est, ordinem aptamque mediorum ordinationem postulare intelligentiam ordinantem.

Quod vero mirabilis rerum ordinatio, causaeque finales in mundo existant, id solus coelorum et terrae aspectus satis superque manifestat. Quod ad primum attinet, pulcherrime id expositum invenies penes Bergier, Fenelon, Plouquet, aliosque; nobis sufficiat in medium afferre, quae eleganter scripsit Minutius Felix in *Octavio*: *Coelum ipsum vide, quam late tenditur, quam rapide volvitur, vel quod in noctem astris distinguitur, vel quod in diem sole lustratur; .... vide et annum, ut solis ambitus faciat, et mensem vide, ut luna auctu, senio, labore circumagat. Quid tenebrarum et luminis dicam recursantes vices, ut sit nobis operis et quietis alterna reparatio?* Et mox: Ecce, inquit, *ver cum suis*

---

(1) Casus fortuitus in se, seu a parte rei, revera non datur: etenim nihil actu in rerum natura evenit, quod non fuerit a suprema intelligentia praeordinatum; hinc relate ad nostrum conceptum apprehenditur per exclusionem cujusdam causae secundae intelligentis, minime vero efficientis: sic domum igne combustam, navim procellis abreptam, etc., casu fortuito periisse dicimus, si culpa et negligentia custodis domus, et imperitia navarchi prorsus abfuerit.

Ordo duplici ratione spectari potest et debet: primo *effective*, seu quatenus est in ipsis rebus ordinatis; deinde *efficienter*, seu quatenus est in mente ordinantis: isto posteriori sensu nos eum hic in primis consideramus.

(2) *De Bono.*

Digitized by Google

floribus, aestas cum suis messibus, et autumni maturitas grata, et hiberna olivitas necessaria : .... mari intende; lege littoris stringitur; quidquid arborum est vide, quam e terrae visceribus animatur. Aspice oceanum, refluit reciprocis aestibus : vide fontes; manant venis perennibus: fluvios intuere : eunt semper exercitis lapsibus (1). Unde cum Tullio (2) potest concludi : *Si mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest, quae sunt minus operosa, et multo quidem faciliora?*

Atque huc spectat quoque argumentum magni Newtoni (3), desumptum ex motu concentrico et ordinato planetarum, qui cum supponat proportionatam communicationem vis projectionis sive tangentialis, relate ad gravitatem et respectivam distantiam, necessario postulat intelligentiam entis supremi, talem determinationem producentis.

13. Non minus evidenter elucet causarum finalium subordinatio, si considerentur, ut passim advertunt accurati naturae venatores, diversae relationes, quae intercedunt inter animalia diversarum specierum, inter haec et plantas, inter instinctus animalium diversasque proprietates rerum, insensitivarum quoque et inanimatarum. Pariter inter diversas tempestates anni et animalium instinctum, inter diversam animalium plantarumque structuram et organisationem externumque ornatum, et temperiem aeris variarum regionum. Proportiones denique mirabiles inter diversa membra animalium, frondesque ac fructus plantarum. Hominis praeterea relatio cum sui similibus, aliisque rebus extrinsecis adeo evidens est, ut ab ipsa natura rationali videamur cogi ad judicandum, omnia haec entia nobis extrinseca etiam propter praesentem hominis felicitatem sic facta et disposita fuisse. Numquid dices, terram fruges, plantas fructus statis temporibus casu fortuito producere, et non potius haec in hominum et animalium usus ordinata fuisse? Numquid oculos casu fortuito in fronte habes, et non ad hoc, ut lucem a tenebris distinguas, et ambulando impedimenta declines? Numquid pisces squamis, aves

---

(1) Videatur ipse Minutius loc. cit. cap. 5, qui rem hanc pulcherrime prosequitur.

(2) *De natur. Deor.* lib. 2.

(3) *Philosoph. natur.* lib. 3.

plumis et alis caeco et temerario casu donatae sunt ?. Haec et sexcenta alia manifestae impudentiae arguunt eos, qui non erubescunt affirmare, mirabilem hanc causarum finalium subordinationem, supremae sapientiae opus non esse (1).

14. Porro intelligentiam ordinantem, finesque intendentem in rebus hujus mundi, debuisse esse *infinitam*, posset vel ex solo mirabili rerum aspectu colligi cum Tullio, dum ait (2): *An vero alia quaedam natura mentis et rationis expers haec efficere potuit, quae non modo, ut fierent, ratione eguerunt, sed intelligi, qualia sint, sine summa ratione non possunt?* Verum alia via id ostenditur. Enimvero constantia ordinis, in rebus mutationi obnoxiis, nequiret subsistere sine fixis legibus, quae nec per mutuam collisionem, nec per vicissitudines, contrariosque eventus umquam labefactarentur: qui itaque ordinem constantem instituit, debuit omnes possibiles legum combinationes praevidere, et eas dumtaxat seligere, quae nunquam ad collisionem pervenirent, quaeque nullo adverso eventu subverterentur, aut saltem per oppositam rerum vicissitudinem ad pristinam dispositionem redirent. Hinc debuit etiam omnes possibiles eventus, qui ex causarum activitate provenirent, omnesque eorum combinationes perspectas habere: quin imo, loquendo praesertim de causis ratione praeditis, uti sunt homines, cum et ipsi partem ordinis physici hujus mundi constituant, ab eorumque libera cooperatione constantia ipsa ordinis dependeat, plurimaque entia libero eorum usui subjiciantur (3), debuit futuras eorum actiones liberas praevidere, antequam dictas leges statueret: praevisio autem omnium possibilium, et actionum liberarum, postulat infinitam sive supremam intelligentiam.

---

(1) Videatur de hoc argumento egregium et recens opus Whewell; cui titulus: *Astronomia et Physica generalis, considerata sub respectu ad Theologiam naturalem.*

(2) *De natur. Deor.* lib 2. cap. 44.

(3) Ad ordinem physicum hujus mundi homines quoque pertinere, manifestum est ex eo, quod participent de natura animalium, diversasque et necessarias relationes habeant cum caeteris entibus, e. g. cum luce quoad visionem, cum aëre quoad respirationem, cum vegetabilibus quoad nutritionem, etc. Constantia autem physici ordinis, saltem quoad conservationem naturae humanae per propagationem, usum mediorum, etc. a libero hominum dependet arbitrio: homines namque his mediis utuntur non caeco ac brutali instinctu, sed ex deliberatae rationis praescripto, a quo deficere possunt; ergo, nisi ordinator hujus mundi praevidisset, quid homines ordinandi libere acturi essent, ordinem constantem determinare non potuit.

Digitized by Google

Idem dicatur de subordinatione causarum finalium: finis enim est primus in intentione, ultimus in executione; ergo, qui res naturales ita disposuit, ut et singulae proprium finem haberent, et altera alteri medium esset, quo ad totius universi pulchritudinem et ordinem tenderent, ille et naturam rerum, antequam constituerentur, et peculiares cujusque rei dispositiones, omnesque possibiles earum status variationes, temporumque vicissitudines debuit praevidere; secus nec congruos earum naturae fines, nec apta media constituere, nec conservationi specierum prospicere, nec denique totius universi aptae cuidam in unum conspirationi consulere poterat: quod pariter *summam* intelligentiam requirit.

15. Opponunt I°. Si in natura vires quaedam constantes supponantur, reddi potest ratio ordinis et dispositionis mediorum ad finem; ergo.

Resp. *Dist. ant.* si simul supponatur causa summe intelligens, *conc.* secus, *nego*. Athei verbis dumtaxat ludunt, *naturam* quamdam fingendo: si enim est aliquid *in abstracto*, nequit esse principium efficiens ullius rei: si quid *in concreto*, tunc erit vel ipsa rerum congeries, et habetur petitio principii; vel est aliquid a rebus distinctum, et erit necessario *Deus*, ens nimirum summa intelligentia praeditum. Et sane nequit supponi entia hujus mundi sibimet ipsis leges constituisse, ordinem ejusque constantiam determinasse, aut omnia haec fortuito casu evenisse; ergo licet dicatur, ordinem, leges, etc. naturae entium esse consentanea, non debet excludi causa intelligens; praesertim cum evidenter constet, naturam entium non magis hanc praesentem, quam aliam quamcumque possibilem dispositionem postulare, neque in se continere rationem sufficientem constantiae ordinis et ejus continuationis.

Instant. Varietas effectuum ex diversitate causarum, earumque proprietatum oritur: ordo autem et ejus constantia, utpote effectus, dimanant ab essentiis quae sunt constantes et immutabiles.

Resp. ad 1^m. Non quaeritur, num causae earumque proprietates sint diversae, sed num absque summa intelligentia adeo miram diversitatem, et pulchrum ordinem habere, et constanti lege effectus producere possint. Etenim per se indifferentes sunt ad haec omnia, aeque ac ad quaecumque alia, vel nulla; ergo, vel a casu fortuito, quod absurdum, vel ab aliqua intelligentia talem determinationem habuerunt.

Digitized by Google

Nec quidquam valet 2m: Licet enim effectus dicantur ab essentiis promanare (quod tamen negari debet), nihilominus, cum constantia et immutabilitas physica essentiarum in concreto, non sit nisi hypothetica, et diversitas eventuum tam ex collisione virium, quam ex earum deficientia provenientium, ordini ejusque continuationi adversetur; non supposita suprema intelligentia, quae ab ipso rerum exordio haec omnia praeviderit atque opportune defectum impedierit, ordo hic consistere nequiret. Diximus debere negari, effectus rerum physicarum et contingentium ab earum essentiis dimanare, nam cum effectus transeuntes ab ipso actuali virium exercitio proveniant, et actuale ac contingens exercitium virium nequeat constituere essentiam physicam rerum, quae debet esse aliquid *permanens*: patet, effectus quidem contingentes supponere essentias physicas causarum illisque congruere, quia nempe entia in actionibus praesertim necessariis non operantur nisi juxta exigentiam physicae eorum constitutionis, minime vero ita ab iisdem essentiis dimanare aut pendere, ut sublatis vel impeditis effectibus, essentiae ipsae perirent. Sic e. g. essentia quoque physica ignis minime destrueretur, etiamsi actualis combustio corporis in ignem projecti, praesertim in casibus quibusdam particularibus, impediretur.

16. Opponunt II° cum Premontvalle. Opus ordinatum potest provenire a casu fortuito: nam vox, e. g. *arma*, continens quatuor litteras, quae nequeunt habere nisi viginti quatuor combinationes, post aliquot projectiones istarum litterarum, poterit prodire ordinata; et multiplicando litteras ac projectiones, integer versus, ac demum totum Virgilii poëma exsurget.

Resp. *Nego ant.* in sensu propositionis. Loquimur enim de opere ordinato quod constanti et invariabili legi subjicitur, quale profecto est aspectabilis mundus. Quidquid autem a casu proveniat, licet fuerit ordinatum, constans esse non potest: sic ex jactu talorum raro admodum ordinata numerorum successio habetur, et haec ipsa ideo accidit, quia conformatio numerorum a praevia intelligentia aptitudinem ad hunc ordinem accepit. Unde patet relate ad ordinem, qualis est in mundo, non solum physice, ut nonnulli dicunt, sed metaphysice quoque repugnare, ut tale opus ordinatum a casu fortuito originem habeat (1).

---

(1) Responsio haec et prima pars subsequentis, excludit et quidem potiori jure, possibilitatem efformationis ordinis hujus mundi, mirabilisque

Probatio addita et falsa est, et falsum supponit. Etenim, ut fortuitae projectioni totalis ille effectus tribueretur, opus esset supponere, quod casus fortuitus litteras efformarit, quod in corpusculis regularibus, quod ejusdem idiomatis, quod simul conjunxerit, quodque aequalem impulsum communicaverit, quae omnia profecto absurda sunt. Sed esto: falso quoque asseritur, ex quatuor litteris viginti quatuor dumtaxat combinationes prodire: si enim non in eadem directione coincidant, si ex una tantum parte et in corpusculis cubicis describantur, sicut diversae positiones augentur, ita et numerus fere infinitus possibilium combinationum evadit, qui iterum infinities augetur, aucto numero litterarum, syllabarum, vocum et linearum; ergo semper magis et in infinitum augetur impossibilitas fortuitae projectionis, habentis pro effectu aliquid ordinatum, et absolute impossibilis evadit relate ad totum poema. Ita fere respondet Bergier cum aliis.

Instant. I° cum Prevost, contra argumentum Newtoni. Ex fortuita corporum coelestium collisione potuit oriri motus concentricus planetarum: si enim duo corpora; e. g. A et B, ad angulum obliquum concurrant, ex resolutione virium, quae fiet post

praesertim organicorum corporum structurae, a fortuita atomorum temere per vacuum concursantium combinatione. Qui enim ordinatam hujus mundi efformationem utcumque considerant et ad legum quibus fulcitur constantiam, quae absolute nequit esse effectus casus fortuiti, non advertunt, repugnantiam fortuitae et ordinatae atomorum combinationis velut calculo algebrico subducunt, ex opposita longe majori ac fere infinita possibilitate inordinatarum combinationum: unde tandem coguntur fateri, eorum demonstrationem non absolutam, sed physicam dumtaxat talis ordinatae combinationis impossibilitatem, seu potius magnam admodum difficultatem evincere; quae demonstrationis infirmitas a nostra, ut patet, probatione exulat. Quod enim constantia legum et eventuum per se casus fortuiti possibilitatem absolute excludat, manifestum est: nam etsi tegula super caput transeuntis Petri semel iterumque cadente, eventus hic haud aegre casui fortuito tribuatur; tamen, si quotidie statuta hora, eodem in loco, et super ejusdem Petri, non autem cujusque alterius, transeuntis caput idem evenire contingeret, quis erit sanae mentis homo, qui in hoc eventu causam intelligentem latere non deprehendet? Hoc supposito, nec est necesse in intrinsecam epicureorum hypothesis repugnantiam inquirere, sive circa nullis aequalitatem, circa numerum finitum vel infinitum, mutuas distantias istarum atomorum; sive circa amplitudinem vacui, quantitatem motus, ejus velocitatem, directionem, arbitrarias declinationes, etc. in quibus omnibus quodvis eorum supponendo, minimum erit inconveniens, omnia fieri absque ulla ratione sufficienti.

collisionem, aderit vis gravitatis praeconcepta, et velocitas tangentialis; unde habebitur motus unius circa aliud, et quidem elypticus, data proportione virium; ergo.

Resp. *Nego ant.* et omissa *probat. nego conseq.* Cum in omnibus planetis tam primariis quam secundariis, eadem ratio motus ordinati deprehendatur, cumque omnes ex occasu in orientem vergant, statisque et proportionatis temporibus, non obstante mutuae gravitatis perturbatione, orbitas conficiant, fieri omnino non poterat, ut fortuita collisio eamdem inclinationem anguli in omnibus, et directionem versus eamdem plagam efficeret, nec non proportionatam motus quantitatem, talemque positionem planetarum produceret, ut commune centrum non mutaretur, et perturbationes mutuae compensarentur: quod enim in pluribus diversis, et diversa ratione, in eumdem tamen finem constanter intenditur, est manifestissimum intelligentiae opus. Deinde si ex fortuita collisione motus hic compositus ortus fuisset, orbitae planetarum maxime excentricae forent, et planetae in singulis revolutionibus deberent fere ad contactum cum sole e. g. pervenire: ibi namque initium curvae haberetur, ubi motus compositus initium habuit; quod tamen experientiae adversatur. Demum difficultas supponit motum et gravitatem in materia essentialem, quod est falsum, et per se sufficeret ad atheos refellendos: at de hoc alias loquemur.

Instant II°. 1°. Plures dantur imperfectiones in ordine hujus mundi. 2°. Ordo iste est finitus; ergo imprimis arguitur insipientia ordinantis, et praeterea non requirit nisi sapientiam *finitam.*

Resp. ad 1^{m}. *Dist.* inveniuntur plures imperfectiones relativae, *trans.* absolutae, *nego.* Defectus ulterioris perfectionis in creaturis, vel perturbatio alicujus ordinis particularis, non constituit absolutam imperfectionem, sed relativam, quaeque non arguit artificis insipientiam; quin imo, simul sumpta cum aliis anomaliis et imperfectionibus naturalibus, mirum in modum confert ad pulchritudinem totius universi.

Ad 2^{m}. *Dist. ant.* est finitus ratione sui, *conc.* ratione eorum quae supponit, *nego.* Hinc patet responsio ad primum *consequens*, quod simpliciter negamus: alterum vero *dist.* ordo mundialis non requirit nisi sapientiam *finitam*, si directe et incomplete spectetur, *trans.* si complete et indirecte, *nego.* Licet termini, sive entia ordinanda legesque constituendae, sint quid finitum, ac proinde ordo ipse in se spectatus sit finitus ta-

Digitized by Google

men, ut in fundamento diximus, quia supponit praevisionem omnium eventuum et combinationum possibilium actionumque liberarum, indirecte et complete acceptus ac efficienter spectatus, requirit intelligentiam infinitam.

Instant III°. Ordo hujus mundi etiam indirecte et complete spectatus, non requirit intelligentiam infinitam: nam 1°, numerus rerum ordinandarum legumque ponendarum, utpote finitus, non praebet nisi finitas combinationes et eventus possibiles; 2°, natura rerum ordinandarum est determinata, legesque ipsi accommodantur, ac propterea eventus inde secuturi non possunt esse nisi constantes et determinati, nec proinde requirunt praevisionem omnium possibilium collisionum; 3°, naturalis propensio hominibus indita, ad propriae naturae conservationem et propagationem, sufficit constantiae ordinis physici obtinendae, quin supponatur praevisio actionum liberarum.

Respondeo ad 1^{m}. Cum possibilitas pro quocumque rerum ordine sit in se infinita, cumque ante determinationem legum, quaecumque aliae, aeque in se aptae, sint possibiles; licet eventus et combinationes, ad actum *reducendae*, non sint nisi finitae, nihilominus non poterant videri ut constantes, nisi inter omnes sui ordinis *reducibiles*, quae sunt infinitae.

Alterum nullam difficultatem parit; quoniam ipsa determinatio mutabilis rerum naturae a constantia legum dependet, legesque pariter *ex se* non excludunt collisiones possibiles constantiae earum adversas; debebant igitur ab ordinante praevideri. Hinc nec valet paritas ab artifice desumpta, cui sufficit aliquas tantum possibiles formas et ordines praevidere, ut opus constanter ordinatum producat: hic enim jam supponit constantes proprietates et leges in materia, quam in opus adhibet.

Ad 3^{m}. respondemus, naturalem propensionem, quae generaliter constantem effectum obtineat, et tamen humanae subjaceat libertati, eamque non laedat, non posse hominibus tribui, cum certitudine constantem effectum habendi, nisi dependenter a praevisione futurarum actionum liberarum: namque evidens est, quamcumque generationem potuisse tollere hanc constantiam per libertatis abusum.

17. Opponunt III°. Nulli habentur fines intenti et subordinati in rerum natura. Nam 1°. ex rebus artefactis ad naturales conjectando inferimus. 2°. Ex usu existimamus, ait Epicurus, oculos datos esse ad videndum, linguam ad loquendum, etc.;

Digitized by Google

secus visio oculos, loquela linguam in existendo praecessisset. 3°. Nos libere agentes propter aliquos fines, subdit Spinosa, et videntes nostram utilitatem in rebus a nobis non productis, existimamus, eas in nostram utilitatem factas fuisse. 4°. Deus nequit agere propter finem, prosequitur idem impius, quia nihili eget. Deinde inquiunt recentiores, finales causae ortae sunt ex ignorantia causarum physicarum.

Resp. *Nego. ant.* et 1^m *probat.* Sive naturale sive artefactum opus consideretur, aeque ex utroque propter aptam utriusque partium dispositionem, earumque mutuam subordinationem, intelligentia ordinans et finem intendens infertur; ergo observatio et comparatio rerum non fingit quod non est, sed invenit quod est. Rem hanc pulcherrime et erudite declarat Stewart (1), exemplo hominis etiam idiotae et indocti, qui, si casu offenderet instrumentum gnomonicum alicujus Astronomi, quamvis non omnes fines illius instrumenti valeret detegere, aliquos tamen non posset non cernere, et ex iis intelligentiam ordinantem non inferre: hinc a pari idem concludit de rebus naturalibus, a quarum consideratione vera philosophia finales causas nullatenus excludere potest, ut sapienter observat Newton: *Quomodo enim factum est*, inquit, *ut corpora animalium cum tanta arte fuerint conformata, diversaeque eorum partes ad diversos usus et fines ordinatae? Num oculus poterat efformari sine scientia Optica, auris sine Acustica?*

Ad 2^m. *Nego ant. dist. probat.* secus visio oculos praecessisset, etc. in intentione, *conc.* in re, *nego.* Finis operis est quidem primus in intentione, sed non in executione. Usus non tribuit rebus aptitudinem ad aliquid, sed eam supponit. Fateor quidem; quosdam secundarios fines in rebus ab hominibus ipsis intendi; sed quis in dubium vocabit, aquam, e. g. ad sitim extinguendam naturaliter ordinatam esse?

Ad 3^m *Nego* omnia. Cum phaenomena naturalia sint hujusmodi, ut sine intelligentia nequeant intelligi, intelligentiam utique, ut fierent, requirebant: sicut enim absurdum esset casui fortuito vel necessitati essentiae tribuere finem ad quem opus artefactum dirigitur, ita a pari idem dicendum de opere naturali. Utilitas demum nostra quam ex rebus percipimus, eamdem subordinationem causarum non infirmat, sed probat.

(1) *Élém. de la philosoph. de l'espr. hom.* tom. III., chap. 4. sect. 6.

Digitized by Google

Ad 4^m. *Nego. ant.* et *probat.* Spinosa, Deum nobis similem faciens, non intelligit aliud esse *actionem ad finem dirigere* aliud *propter finis consecutionem ponere*: illud est tantum intelligentis; hoc potest esse egentis.

Ad ultimum *Nego* assertum. Quo perfectius enim naturam rerum investigamus, eo plura Divinae sapientiae indicia deprehenduntur; quia pluribus mutuis relationibus detectis, plures etiam causae finales apparent. Hinc quoque patet falsitas assertionis Buffonii contendentis, minus forte inter entia adesse partium relativarum, utilium et necessariarum, quam indifferentium et inutilium atque superabundantium. Etenim ex eo quod entis alicujus relationem ad alia non intueamur non sequitur, eas relationes, quae cognoscuntur et sunt, abesse, cum et plerumque novas detegere contingat, et analogia locum habeat; sicut ex eo quod omnes causas physicas non cognoscamus non sequitur, eas quas cognoscimus, non existere, aut alias praeter istas non haberi.

ARTICULUS III.

DE ARGUMENTIS MORALIBUS QUIBUS PROBATUR EXISTENTIA DEI

18. Argumenta in praesenti quaestione dicuntur *moralia*, non quasi absoluta certitudine non gauderent, sed quia ex morali constitutione rationalis naturae desumuntur. Duo dumtaxat seligimus, unum ex consensu populorum, alterum ex conceptu supremi legislatoris. Praescindimus autem a quaestione, utrum consensus ille populorum proveniat ab immediato rationalis naturae impulsu, aut a facili quadam ex immediatis principiis deductione, quae etiam rudis ingenii aciem fugere non valet: nam in utroque casu certissimum erit argumentum, cum et agatur de re gravissima a qua pendet nostri finis cognitio, morum conformatio, et socialis vitae institutio, ac proinde, quae respicit immediate ipsam rationalem naturam; et aliunde evidenter colligatur, universalem hanc persuasionem non potuisse originem habere ab educatione, praejudiciis, cupiditatibus etc. Cognitio siquidem Numinis vindicis scelerum, cupiditatibus froena imponere, sibique vim inferre suadet; ergo si alibi, hic profecto absque ulla aequivocatione valet illud effatum: *Neque unus fallit omnes, neque omnes fallunt unum.* Sit itaque sequens

Digitized by Google

PROPOSITIO

Existentia Dei ex consensu omnium populorum, et sub conceptu supremi legislatoris invicte demonstratur

19. Probatur 1ª pars. Communem hanc persuasionem penes antiquos populos extitisse, testantur Plutarchus et Tullius, quorum primus sic habet (1): *Si terras obeas, invenire possis urbes muris, litteris, legibus, domibus, opibus, numismate carentes, gymnasiorum et theatrorum nescias; urbem vero, templis Diisque destitutam, quae precibus, jurejurando, oraculo non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo unquam vidit. Sed facilius urbem condi sine solo posse puto, quam opinione de Diis penitus sublata, civitatem coire, aut constare.* Alter vero (2) ait: *Ex tot generibus nullum est animal praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei. Ipsisque in hominibus nulla est gens tam immansueta, tamque fera, quae non, etiamsi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum esse sciat.* Idem facile etiam infertur ex ipsis Poetis antiquissimis, qui notionem hanc communem penes populos fuisse supponunt, et multo magis ex legislatorum agendi ratione: hi enim legibus suis praesidium semper quaesierunt in populorum religione, fingendo se eas a consortio et consilio Numinis, quod maxime coleretur, accepisse. Ita factum legimus ab Amaso apud Ægyptios, a Zoroastre apud Bactrianos, a Lycurgo apud Lacedaemonios, a Numa apud Romanos, etc.

Quod si hoc certum est, minime quoque dubitandum de populis posteriorum temporum; siquidem ex optimis relationibus constat, apud orientales et occidentales Indos, Japonenses, Sinenses, aliosque barbaros etiam insularum habitatores, licet pluribus figmentis depravatam cognitionem alicujus Divinitatis deprehensam fuisse. Sic naturales incolae Americae septentrionalis, qui per sylvas errantes vitam ducunt; etiam nunc spiritum quemdam magnum adorant. Consulite hac de re apologistas religio-

(1) *Contra Coloten Epic.*
(2) *De legib.* lib. I.

Digitized by Google

nis, praesertim vero Joannem Ludovicum Fabricium (1), Wolfium (2), Brenna (3) aliosque. Fuerunt enim nonnulli populi, qui hujus criminis insimulabantur, sed post tot criticorum observationes, dubium nullum relinquitur de falsitate harum accusationum; et generatim ex eo, quod hujusmodi falsae criminationes, ut advertunt praefati critici, originem traxerint ex inscitia viatorum, sermonis et morum illarum gentium imperfecta aut etiam nulla cognitione, ex quibusdam extrinsecis dumtaxat conjecturis, ac denique ex voluptate, nova quaedam et insolita de populis recens detectis tradendi et vulgandi. Praeterea nos non loquimur nisi de consensu moraliter universali, non autem metaphysice tali; ideoque etiamsi ostenderetur aliquam turbam barbarorum, more belluarum viventium, notione Divinitatis fuisse destitutam, responderemus, rationis dictamen non esse quaerendum in iis, qui fere usu rationis carent, aut ex his, qui forent velut monstrum rationalis naturae, ad alios concludendum esse.

20. Probatur 2ª pars. Cum homines nequeant in societate consistere, nisi habeant motivum sufficienter eos impellens ad virtutis exercitium et custodiam earum legum, a quibus bonum et tranquillitas vitae socialis pendet; cumque sublata Divinitatis notione tale motivum non haberetur, dicimus, quod sicut naturalis est hominibus vita socialis, ita etiam naturalis est cognitio Numinis sub conceptu supremi legislatoris. Et sane motivum hoc debet esse tale, ut completam inducat obligationem (id est moralem necessitatem), servandi leges virtutesque exercendi, quae scilicet se porrigat ad omnes actiones tam publicas quam occultas, ad omnes personarum gradus, et circumstantias actionum: aeque enim ab his omnibus bonum et pax, ac proinde subsistentia vitae socialis dependet. Porro neque auctoritas principum neque honor et laus extrinseca, neque convenientiae sive dictamina rationis, quae indicant quid sit justum et honestum, etc. uti vellet Bayle (4), ad hoc sufficerent. Auctoritas sive potius vis extrinseca, non se extendit ad crimina sive actus internos;

---

(1) *Apologia generis humani adversus accusationem Atheismi.*

(2) *De falso suspectis de Atheismo.*

(3) *De generis humani consensu in agnoscenda Divinitate*, tom. I. praesertim lib. 1. parte 1.

(4) *Continuat des pens. divers. sul la Com.* tom. IV. §§. 109. 151. et suiv.

Digitized by Google

in actibus externis a potentioribus vel fraudulentis evitari potest; actiones ipsius imperantis non afficit. Praeterea si regimen societatis humanae in solo timore extrinsecae poenae consisteret, simile foret regimini brutorum, exhiberetque imperantem velut tyrannum. Honor extrinsecus sive aestimatio aliorum, pariter nonnisi in actiones externas influere posset; et cum in dicta hypothesi tota gloria consisteret in potentia, et jus omne resideret in fortiori, maxima gloria et aestimatio reduceretur ad oppressionem aliorum et sui exaltationem.

Nec valet paritas desumpta ex nonnullis, qui se atheos esse dictitabant, et nihilominus in vita sociali et civili honeste se gesserunt. Aliud est enim loqui de quibusdam atheis in societate aliorum Numen agnoscentium vitam ducentibus, aliud de tota societate atheistica: illi enim poterant mores suos extrinsecus ad normam aliorum componere, saltem ex timore ne tamquam monstra generis humani haberentur; isti vero sibi mutuo exemplum praeberent ad propriam exaltationem unice quaerendam.

21. Dices: homines communiter non sequuntur in praxi theoretica mentis eorum principia; idem proinde poterit quoque habere locum relate ad atheisticam hominum societatem: Respondemus, verum quidem esse homines communiter non agere secundum theoretica mentis principia, quotiescumque nempe haec (sicut de Scepticis, Idealistis, et Polytheis experientia probavit) vel ineluctabili rationis dictamini adversantur, vel cupiditatibus ac proprio amori (sicut praecepta religionis christianae) obsistendum suadent: minime autem hoc idem posse evenire, ubi et naturae rationali haec theoretica mentis principia supponerentur non adversari, et plenam cunctis cupiditatibus fraena relaxandi facultatem praeberent, quemadmodum haud dubio accideret in supposita atheistica societate.

Demum neque convenientiae sive dictamina rationis, per se sumpta, sufficere possunt ad completam obligationem inducendam. Licet enim aliqui contendant, quod in hominibus notione divinitatis destitutis ipsae convenientiae perirent, nullumque discrimen justi ab injusto haberetur; et alii, quod tota ratio obligationis supradictae desumenda sit a voluntate divina, ac proinde in atheis nullam fore obligationem; nos tamen medium ineundo iter dicimus, assertionem primam componi non posse cum intrinseca bonitate et malitia actionum; alteram vero nimium fortasse postulare, nec videri necessarium esse ut omnis obliga-

tio involvat notionem voluntatis superioris obligantis, nisi in casu quo moralis necessitas sequendi convenientias sive dictamina rationis, ut prudenter et rationabiliter agamus, veniret velut in collisionem cum aliis notionibus pariter ex ratione habitis, aut dum magna difficultas sese offerret iisdem nos conformandi (1). Hinc distinguendo obligationem imperfectam a perfecta, contendimus, in atheis non posse unquam inveniri obligationem *perfectam*; etenim quia hujusmodi homines seipsos pro fine sibi constituerent, nec alterius vitae praemia aut poenas expectarent, quotiescumque accideret (frequenter autem vita socialis id exigit) ut propriis commodis obsistendum, omniaque bona praesentis vitae quin et vita ipsa sperni deberent, ad bonum publicum privato et virtutis pulchritudinem sensibilibus voluptatibus praeferendam, velut rationis obligatione soluti in contrarios actus erumpent, existimantes se debere quaerere felicitatem praesentem, nec posse rationabiliter appetere aut quaerere propriam non existentiam. Non erit itaque obligatio sufficiens ad homines illos in officio continendos, neque proinde societas atheorum, saltem diu, subsistere posset, sicut vellet Bayle in suo figmento reipublicae atheorum, quam ut possibilem (locis superius indicatis) toto conatu vindicare nititur. Utitur autem ad rem suadendam, per summum ne-

---

(1) Non nulli metaphysici parum forte ad morales quaestiones advertentes, ubi atheisticam Baylii rempublicam evertere satagunt, asserunt, stimulos conscientiae, ac ipsa rectae rationis dictamina in hominibus notione Divinitatis destitutis fore peritura; at hoc nisi ita dumtaxat intelligatur, quod in dicta hypothesi homines illa dictamina facile deturparent, et in alia specie tenus recta commutarent, non videtur admittendum, cum nequeat consistere cum intrinseco boni ac mali moralis discrimine, in morali philosophia necessario statuendo, quod et ex ipso necessario et immutabili ordine naturalis rationis et rerum dimanare; et antecedenter non dum ad liberam, sed etiam necessariam divinae rationis ac voluntatis ordinationem concipi debet. Similiter si abstractione facta a voluntate divina praecipiente, nulla prorsus haberetur etiam imperfecta moralis necessitas, ex ipsa naturali rationis constitutione orta, eadem practica dictamina sequendi, nulla quoque foret necessitas eadem agnoscendi ut vera et recta: rectitudo enim eorum, si ad praxim seu operationem non referantur, frustranea est. Ratio insuper humana in hac hypothesi constitueretur per se indifferens ad bonum et malum morale, cum tamen ipsa, saltem abstrahendo ab ejus origine et auctore, habeat quamdam rationem superioritatis in homine, etiam relate ad voluntatem, quam in ejus actibus liberis, instar cujusdam regulae naturalis, dirigit. De hac re plura dicemus in Ethica (Part. 1. art. ultimo, et Part. 2. art. 1.).

Digitized by Google

fas, motivo seu similitudine desumpta a vinculo mutuae charitatis, qua scilicet hujusmodi athei invicem se prosequentes, socialis vitae obligationes atque officia perfecte implerent, exemplarque primaevae Christianorum congregationis referrent. Quae etenim mutua charitas esse posset, ubi quilibet ad se ipsum seu ad unicum suae felicitatis objectum omnia converteret? Quae necessitas aut utilitas vitae socialis officia implendi, ubi bonum alterius aut communitatis ad normam tantum propriae praesentis felicitatis exigitur, et ubi tantum propria utilitas intenditur? Ubi denique nullum majus bonum promittitur aut poena timetur, quam sunt sive incommoda et adversitates in perfecta officiorum et mutuae charitatis adimpletione exantlandae, sive commoda et praesentes voluptates deserendae, quae ex utriusque neglectu vel etiam positiva violatione consequerentur? Haec vero utpote sensibilia, vehementius ut patet, prae caeteris humanam naturam pertrahunt atque alliciunt, juxta illud Poëtae.

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus.....

22. Nec prodest addere: homines in illis etiam adjunctis constitutos, non posse non agnoscere moralem necessitatem praeferendi dictamen rationis quibusvis difficultatibus, hisque non obstantibus, perfectibilitatem rationis suae ut facultatis nobilioris, debere apprehendere tamquam finem formalem suae felicitatis, quod profecto sufficiens constituet motivum, ne prudenter contra eam agere valeant.

Resp. *Nego ant.* Porro probatio addita nihil aliud ostendit, quam quod etiam tunc homines agnoscerent expedire ita agere, *si nihil obstaret*, non autem expedire *simpliciter*, sive necessarium esse. Possent enim sibi facile persuadere nihil ipsis prodesse perfectibilitatem rationis, si totam vitam miseram ducere, aut amplius non esse cogerentur. Quid honor et fama (sic ipsi ratiocinarentur) illis prodest, qui non subsistunt amplius? Num usque ad sanguinem et divisionem animae a corpore mihimetipsi obsistere debeam? Quae est ista ratio, quae tantum sacrificium a me requirit? Nonne sum ego ipse? Ac deinde inferrent: *Sic volo, sic jubeo*; *stat pro ratione voluntas.* Ergo licet in facilioribus actibus dictamen rationis sufficiens motivum esset ad naturalem honestatem sectandam, non tamen

Digitized by Google

in difficilioribus, qui utique frequenter accidunt, et a quibus praecipue bonum commune ac particulare dependet, sufficeret.

Atque sic solutae jam sunt simul difficultates Baylii contra hanc propositionis partem. Nunc solvenda remanent, quae contra primam congeruntur.

23. Opponunt I°. Apud veteres pro atheis habiti sunt Atlantes et Lusitani a Strabone, Thoes Thraciae populi a Porphyrio, Galli a Tullio, Arabes a S. Nilo, etc. Inter recentiores vero Otaiti, Hottentoti, habitatores insularum Marianarum, Cubae, etc. ejusdem criminis accusati fuerunt. Quid quod, integra doctorum Sinensium secta, inquit Bayle, semper fuerit athea, et in quavis aetate et secta, philosophorum semper extiterint athei? Jam vero auctoritas doctorum major est opinione vulgi: ergo consensus iste non est adeo universalis, etc. (1).

Resp. ad 1^m. *Dist.* et haec, quae dicuntur tam de veteribus, quam recentioribus, generatim spectata, vel dubia sunt, vel manifeste falsa, *conc.* secus, *nego*. Prima responsio desumatur ex dictis n° 19: deinde distinguantur athei in proprie et improprie dictos; speculativos et practicos. Etenim imprimis atheae quandoque vocantur gentes quae populares et cognitos Deos non colebant. Sic Plinius vocat Judaeos gentem *contumelia Numinum insignem*, et, ut refert Arnobius et Minutius Felix, ethnici primos Christianos vocabant *atheos*. Idem accidit etiam nonnullis Graecorum philosophis. Dein ii qui aliquod attributum Deo denegabant, ut Epicurus, nec non illi qui ita vivebant, ac si nullum Deum existere putarent, inter *atheos* numerabantur.

Tandem de Atlantibus non constat, nisi quod solem execrarentur. De Lusitanis rem dubitanter Strabo narrat. Quod dicitur de Thoibus, ad eorum feritatem potest referri; nulla enim ratione probatur. Tullius sibimetipsi contradicit, et testimonio refellitur Caesaris, qui propria experientia edoctus asserit Gallos religioni deditos fuisse. Arabes de quibus S. Nilus, solem et stellam matutinam adorare solebant. Simile quid dicatur de Phlegibus, Nasamonibus, et Gigantibus, cum Porphyrius, Macrobius, aliique id affirmantes, forte ad efferatos illarum nationum mores nullam religionis speciem praeseferentes, alludant. Otaiti et Hottentoti primum quidem pro atheis habiti fuerunt; deinde vero in-

(1) Videatur Bayle, *Pensées divers. sur la Comet.* t. I. et II. et *Continuation des pensées divers.* t. III.

Digitized by Google

dubia religionis signa penes ipsos inventa sunt, ut videre est in relationibus Kolbii aliorumque. Idem judicium esto de ceteris nationibus, quas ab atheismi nota liberat Stillingflet, et alii superius indicati.

Ad 2^m. *Nego* utrumque, et comparationem ultimo loco institutam. Primum, quia doctores Sinensium ipso Voltaire fatente immortalitatem animae admiserunt, praemiaque et poenas post mortem, quod supponit in ipsis notionem divinitatis. Pariter summo honore prosequuntur Confucium eorum philosophum, in cujus libris fides unius Dei conditoris et moderatoris omnium rerum manifeste adstruitur. Quaestio quoque agitata inter doctos duobus ab hinc seculis, utrum in lingua Sinensium esset vocabulum ad significandum Deum, non erat de vocabulo *simpliciter*, sed de vocabulo significante *verum* Deum, ut videri potest apud Bartoli (1). Alterum vero, quia observat S. Augustinus, philosophos passim de divinitate recte sensisse, et Clemens Alexandrinus asserit, Anaxagoram, Protagoram, Diodorum, etc. ideo in atheorum numerum referri, quod popularem superstitionem riderent. Sed dato etiam, plures philosophos atheismo adhaesisse, eorum numerus relate ad totum genus humanum (rudes enim etiam hac in re, quae a rationis dictamine non a longa ratiocinatione et speculatione dependet, aeque boni sunt judices, unde non valet Baylii comparatio), est quid exiguum; neque credendum eos id fecisse ex intima persuasione, sed ex perversitate cordis: unde erant athei dumtaxat practici, quorum maxime interest ne sit Deus eorum actionum vindex, quod quidem doctrinae nostrae non adversatur. Horum albo referendi sunt Pomponatius, Vannini, Hobbes, Bayle, aliaque humani generis monstra.

Instant 1°. Ignoramus, an populi antiquitus eodem modo ac nunc de divinitate cogitabant. Deinde, etiam nunc possunt esse nationes nobis incognitae: ergo.

Resp. ad 1^m. *Nego ant.* Cum non agamus de formali conceptu Dei, utrum videlicet recte nec ne illum efformaverint, sed utrum admiserint aliquam divinitatem, non est opus, intimas eorum cogitationes perspectas habere; et ex quo illi aeque ac nos supponantur homines sui compotes et ratione utentes, etiam ex

(1) *Della Cina*. Videatur quoque Duhald, *Description de la Chine*, t. III.

Digitized by Google

hoc tantum posset concludi, eos eodem modo ac nunc existentes divinitatem admisisse.

Ad 2^{m}. *Trans. ant.* Nam ex una parte, quotquot nationes successive detectae fuerunt divinitatis notionem habuerunt; ergo a pari: ex altera vero, nisi velles supponere eas nationes brutorum more prorsus vivere, impossibile erit eas illud ignorare, quod vel immediate a ratione provenit, vel facili ratiocinatione deducitur. Ex eodem argumento constat, non posse nos dubitare, quin eadem persuasio sit in futurum semper duratura: fundatur enim in rationali natura, quae semper est eadem: *Opinionum commenta delet dies: naturae judicia confirmat* (1).

Instant II°. Omnes fere nationes polytheismum admiserunt; atqui polytheismus est atheismus; nam teste Tertulliano, et suadente ratione ipsa, *pluralitas Deorum nullitas Deorum est;* ergo.

Resp. *Nego min.* Ad *prob. Dist.* pluralitas Deorum nullitas Deorum est, in se et de consequenti *conc.* ad mentem polytheistarum, *nego.* Deus, utpote ens necessarium et summe perfectum, nequit a parte rei et in se nisi unicus esse, ut inferius videbimus; hinc in se pluralitas Deorum nullitas Deorum est, idque immediate sequitur ex hac pluralitate. At spectata opinione polytheistarum, id nequaquam dici potest. Ut enim observat Buffier, hoc ipsum indicat naturalem persuasionem de divinitate, quia gentes satius crediderunt plura Numina adstruere, quam omnem divinitatis notionem abjicere.

Instant III°. Si a natura rationali cognitio Numinis proveniret, in omnibus esset eadem, cum tamen a diversis diversa ratione apprehendatur; ergo.

Resp. *Dist. ant.* esset eadem, si ita proveniret, ut ipsa idea divinitatis foret ingenita, *trans.* secus, *nego.* Ex eo quod notio divinitatis formaliter spectata non sit eadem in omnibus hominibus, adeo ut absurdissima quaedam ab idololatris eidem fuerint attributa, sequitur eam non provenire a ratione ita, ut ipsius usum antevertat, sitque animo velut formaliter impressa, ideoque qui ideam Dei ingenitam defendunt, hac difficultate premuntur. Sed hujus formalis conceptus, fere in omnibus, discrepantia non evincit quod homines a rationali natura non inclinentur, ut, habitis quibusdam ideis, sive per immediatum impulsum

(1) Tullius, *De natur. Deor.* l. 2.

sive per facilem deductionem judicium hoc practice efforment: *existit aliquod Numen.*

24. Opponunt II°. A praejudicio educationis, quo imbuuntur filii a parentibus, potest supponi orta communis haec consensio. Deinde, addit Lucretius, ignorando naturalium effectuum causas, vel conspiciendo terribilia naturae phaenomena, homines sibi finxerunt causam quamdam ignotam, sive Numen. Demum asserunt, legislatorum et principum fraude aliquod Numen cervicibus nostris impositum esse.

Resp. *Nego* omnia. Ad 1^m dicimus, educationem esse diversam penes diversas nationes, apud barbaras gentes nullam prorsus haberi; quod ab educatione provenit, quando cupiditatibus et passionibus adversatur, constans esse non posse; ergo, nisi supponatur natura rationalis per se disposita ad efformandam talem notionem, explicari nequit communis haec consensio.

Ad 2^m. Si non supponatur notio causae primae sive Dei, omnes effectus naturales explicari deberent per causas naturales; quare igitur athei hujusmodi causas non assignant? Injuriosum et absurdum est, totum genus humanum ignorantiae insimulare, et ab ipsa repetere originem illius persuasionis, quae eo firmior evadit, quo magis in cognitione rerum naturalium proficimus.

Ad 3^m. Si primos in orbe Deos, ut vult Poeta, fecisset timor, occasione terribilium phaenomenorum exortus, Deus in mente omnium velut monstrum terribile exhiberetur, quod tamen falsum esse ostendunt vel ipsimet Scythae, licet barbari, dum Alexandrum ita alloquuntur: *Si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere.*

Ad 4^m. Fraus legislatorum et principum, utcumque callidi supponantur, non poterat esse communis et totum genus humanum latere, quo posito, jam a multo tempore jugum hoc grave, et cupiditatibus adversum, cervice sua homines excussissent. Quomodo praeterea persuasio haec potuit vigere et viget penes populos, qui nullos principes et legislatores agnoscunt?

25. Opponunt III°. Quod aeque favet errori ac veritati, nequit esse firmum argumentum: talis est consensus communis; nam *argumentum pessimi turba est.* Hinc falsus est deprehensus 1°, circa motum et magnitudinem solis, circa eclipses, etc.: 2°, circa polytheismum et idololatriam: 3°. Non repugnat rationem universaliter tendere in falsum, sicut voluntas tendit in malum. 4°. Indignum est philosopho acquiescere argumentis moralibus.

Digitized by Google

Resp. *Dist. min.* talis est consensus, etc. si nullo modo in rationali natura fundetur, *trans.* secus, *nego.* Responsio, etiam ad alias omnes probationes, desumatur ex dictis in Logica (1). Haec duo tantum observamus: 1°. Si quis sustineret notionem divinitatis ita naturalem esse, ut sit ingenita, vel ab immediato et invincibili impulsu proveniat, teneretur ratione cohaerentiae etiam contendere, nullum unquam hominem posse inveniri, qui notione hac fuerit destitutus. Quod si forte notio ista acquiratur per facilem admodum ex immediatis principiis deductionem, tunc non repugnaret, quod possint aliqui propter efferatos mores vitamque brutalem hanc deductionem, saltem ad breve tempus, non cernere, ac proinde divinitatis notione, licet culpabiliter, destitui. 2°. Relate ad polytheismum advertite, illum non fuisse adeo universalem, cum et populi supremum quoddam Numen velut caput ceterorum profiterentur, et philosophi plerique absurditatem superstitionis cognoscentes, quos publice colebant Deos, privatim execrarentur. Quod commune et a rationali natura proveniens in polytheismo erat verum fuit, nempe *existere aliquod Numen*, et in hoc omnes consentiebant; in ipsum vero polytheismum adeo non consentiebant, ut tot essent sententiae quot capita, totque divinitates quot haberent civitates, ne dicam domos. Deinde dato etiam quod omnes in polytheismum consensissent, nequeunt athei ostendere consensum hunc semper viguisse, aut a rationali natura et non potius a corruptis moribus, originem traxisse; cum ante diluvium per duo annorum millia nullum idololatriae vestigium in antiquissima Moysis historia habeatur, ipsiusque initium et causae facile assignentur (2). Consensus itaque in polytheismum non fuit universalis, uniformis et constans, eique semper, ut advertit Tertullianus, natura rationalis adversabatur (3).

---

(1) Part. 2. art. 7. nn. 66. 67.

(2) *Sap.*. XIV. 15, seq.

(3) Oppositio naturae rationalis falsis opinionibus ac praejudiciis ethnicorum vel maxime manifestabatur illa voce, quam Tertullianus in Apologetico appellat *testimonium animae naturaliter Christianae*; nimirum polytheistae in repentinis ac inopinatis casibus, ubi scilicet natura per se ac velut immunis a praejudiciis operatur, soliti erant in has aut similes erumpere voces, quibus non Jovem aut plures Deos, sed simpliciter Deum invocabant; *Deus sapiens, Deus bonus, si Deus dederit,* etc.

Coronidis loco liceat aliqua animadvertere in sententiam eorum, qui cum auctore libri: *De imbecillitate humani intellectus* omnis naturalis

ARTICULUS IV.

DE ESSENTIA DEI

26. Existentiam Dei demonstravimus sub conceptu entis absolute necessarii, a se et improducti, nec non summe intelligen-

---

certitudinis fundamentum a divina revelatione repetunt, vel cum quibusdam recentioribus cognitionem existentiae Dei velut fructum duntaxat ejusdem divinae revelationis considerant. Hi profecto, de quibus superius (art. 1.) pauca innuimus, ipsam revelationem videntur manifeste prodere. Primo quidem, quia si una conferas, quae habentur Rom. cap. I. 18. 19. et v. 17. nec non cap. XVI. 25. 26. facile deprehendes, duplicem ab Apostolo distingui cognitionem existentiae Dei, ἀποκάλυψιν και φανέρωσιν, alteram *generalem*, *specialem* alteram, illam φυσικὴν, hanc μυστικὴν, illam imperfectiorem et pedagogicam, hanc perfectiorem et vere salvificam. Hanc igitur distinctionem, quam Paulus divina auctoritate asserit, imprudenter illi quos arguimus, labefactare nituntur. Deinde, quia in eorum sententia non nisi contortis ineptisque expositionibus ea subjaceant necesse est, quae clarissime dicta legimus Rom. cap. I. 19. 20. Act. XIV. 15. seqq. Psalm. XVIII. 2. Sapientiae XIII. 4. et 5. 9. et 10. Job. XII. 7. usque ad 15. Isai. XL. 26...; quod profecto ostendit, utrum asserendae an potius evertendae revelationi talis doctrina sit accommodata. Verum haec, utpote ex revelationis penu deprompta, innuisse sufficiat. Vide, quae diximus Logicae part. 2. art. 8. n° 70. nec non Abrahami Calovii scripta Anti-sociniana (Tom I. edit. Ulmae. 1684. pag. 55. et seqq.)

Non minus a vero distare illos, qui existentiam Dei, exclusa omni probatione, admitti debere contendunt tamquam *factum* quoddam de quo penes omnes constat, inde quoque colliges, si fontem unde talis opinio manavit tantisper despicias. Quid enim? Num Patres lumina ecclesiae, huic doctrinae insanae patrocinantur? Atqui Patres nedum frequenter solius rectae rationis praesidio certam existentiae Dei cognitionem eruere satagunt, verum unanimi suffragio cum Tertulliano affirmant, praemissam a Deo fuisse *naturam magistram, ut submitteret et prophetiam, quo facilius credas prophetiae, discipulus naturae.* Num qui Patres consecuti sunt, Theologi ac Philosophi antiquiores, quos immerito prorsus praesertim hac in re a sapientium subselliis velles excludere? At res est apud omnes in comperto posita, eos unanimiter contrarium dogma tenuisse. Num doctissimi inter ethnicos? Verum eorum istud est suffragium, Ciceronis voce prolatum, *Quis est tam vecors, qui cum suspexerit in coelum, Deos esse non sentiat?* Et rursum: *Deum agnoscimus ex operibus ejus.* Hujus itaque commenti, quo recentiores plerique Philosophi certam cognitionem existentiae Dei solius rectae rationis ope acquisitam, homini eripere nituntur, non alium parentem poteris invenire, quam recentiorum Photinianorum seu Socinianorum doctrinam, qui id in eorum scriptis, incredibili sane ratione et evidenti cum sui ipsorum principiis pugna, manifestissime praeformasse videntur. Lege, si placet et fas tibi sit vel Socinum (*Miscellan, respons.*

Digitized by Google

tis, et supremi legislatoris. Jam igitur cognoscimus aliquid reale et positivum, quod ad Deum pertinet; ideoque de essentia et attributis Dei disserentes, non versamur amplius in penitus ignotis, aut in arbitrariis conceptibus mentis nostrae. Hinc apposite in praecedenti quaestione cum atheis supposuimus dumtaxat definitionem nominalem Dei, seu determinationem status quaestionis, reservantes in praesens quaestionem de essentia sive definitione essentiali, quae quidem, ut superius monuimus per genus proximum et differentiam ultimam fieri nequit.

Porro, sicut adaequate cognoscere essentiam et naturam Dei physicam nequeamus, ita nec definitio ejus adaequata exhiberi potest; generali tamen conceptu reponi solet in cumulo seu aggregato omnium perfectionum simplicissimarum, prout sunt in ipso Deo: illud enim est essentia physica entis, per quod ens a parte sui constituitur, ut sit tale determinatum ens.

Sed circa essentiam metaphysicam, seu perfectionem illam divinae naturae, quae secundum nostrum concipiendi modum eam constituat, nobisque de Deo cogitantibus prima occurrat, discrepant doctores. Aliqui eam reponunt in *intellectione actuali*, non quidem sub conceptu operationis, sed sub conceptu *ultimae actualitatis completae, et per se subsistentis in genere intellectuali*, sive in purissima actuali intellectione. Alii in *actuali infinitate*, quae potest spectari vel *materialiter* vel *formaliter*, vel *radicaliter*. Caeteri in *necessitate essendi*, vel in *esse a se* sive in *asseitate*, quae excludit omnem dependentiam ab alio, tamquam a causa seu principio producente, aut tamquam a radice sive fundamento. Tres autem conditiones requiruntur, ut aliqua proprietas spectari possit tamquam essentialis. 1°. Ut sit propria rei illius, eamque a qualibet alia distinguat. 2°. Ut sit prima, et radix aliarum perfectionum. 3°. Ut sit adaequata, totumque id complectatur (immediate vel mediate), quod est de conceptu illius entis, ut talis.

27. Quia porro *intellectioni actuali*, quamvis dicatur completa et per se subsistens, non conveniunt omnes tres conditiones requisitae; cum intelligere et in vi et in actu, et in com-

---

ad object. cutten. 5. pag. 68. et *Praelect. Theolog.* cap. 2.). vel Osterdium (*Instit. relig. christ.* cap 1.). atque illico deprehendes, verissima esse quae dicimus. Vide dicta in Logica (part. 2. art. 2; et art. 10 n°. 69.).

Digitized by Google

pleta subsistentia, competat etiam creaturis: cumque ab ipsa determinatione naturae pendeat, quod sit tale purissimum intelligere, ac proinde supponat aliam perfectionem se priorem, nec ad intra nec ad extra spectatum, possit esse radix caeterarum proprietatum, e. g. immensitatis, aeternitatis, aut eas utcumque in se involvere, et esse de totali entis conceptu; hinc est quod nequeat statui pro essentia metaphysica.

Idem fere dicatur de *actuali infinitate*, quae *materialiter* spectata congruit cum essentia physica, nec proinde potest accipi velut *una* perfectio, quae sit caeterarum radix: *formaliter* vero, seu pro modo determinante omnes divinas perfectiones accepta, est quid posterius ipsis perfectionibus, et immediate fluit ex *infinitate radicali*, seu *exigentia omnium realitatum in gradu perfectissimo*, quae et ipsa exigentia, ut *talis*, supponit *esse* divinum jam constitutum sive determinatum in se, ac proinde supponit conceptum alterius perfectionis se prioris; non est igitur radix caeterarum.

Necessitas quoque *essendi*, quamvis cum *asseitate* reciprocetur, ac proinde unum idemque videantur esse, nihilominus *necessitas* ista dicitur per exclusionem cujusvis hypothesis, nec formalem involvit prioritatem conceptus. Etenim necessitas haec, utpote *absoluta*, sumitur per oppositionem ad necessitatem tantum *hypotheticam*, cum interim *asseitas* idem sit, ac habere in se atque a se principium *esse* suimetipsius: unde etiam ex hac magis proprie et veluti ex prioritate conceptus, fluit absoluta repugnantia *non-esse*, seu absoluta essendi necessitas. Praeterea absoluta essendi necessitas, et non asseitas, de logica veritate primorum principiorum rationis, de essentiis et naturis rerum in abstracto rectissime enunciatur; *asseitas* vero, quoniam et in se et relate ad alias perfectiones divinas, absolutam prioritatem habet, et ab ipsa vel immediate vel mediate, uti videbimus, tamquam a priori caetera quae Deo competunt deducuntur, notam hanc pro constitutivo essentiali divinae naturae spectabimus.

28. Quaecumque proprietates Dei, quae ab hoc essentiali constitutivo dimanant, dicuntur *attributa*. Solent autem dividi et in *absoluta*, quae scilicet sistunt quodammodo in ipsa natura divina, nec ad aliud, saltem formaliter, respectum dicunt, ut sunt infinitas, immutabilitas, etc. et in *relativa*, quae ad aliquid extra Deum referuntur, ut creatio, conservatio, etc. relativae tamen perfectiones aliter etiam sumuntur a Theologis dog-

Digitized by Google

maticis. Dividuntur quoque in *actuosa* et *quiescentia*, *negativa* et *positiva*, *physica* et *moralia*. Sed quia in Deo omnia sunt in *actu*, et a plenitudine ejus *esse* omnis prorsus *negatio*, sive vi originis sive significationis exulare debet; attributa vero *moralia*, quae immutabile ac aeternum boni et mali discrimen pro objecto habent, eamdem ac *physica* indefectibilitatem metaphysicam involvunt; nos priorem attributorum divisionem in sequentibus capitibus sequemur (1).

Juvat tamen advertere, quod immediate nectatur cum *asseitate* et *necessitate* divinae naturae *absoluta* ejus *independentia*. Quidquid enim ad internam entis constitutionem spectat, aut in essentia, aut in attributis rationem sufficientem sui agnoscit: cum vero attributa realiter ab essentia non distinguantur, eadem *asseitate*, *necessitate*, ac proinde *independentia*, quae sine exclusione omnis posterioritatis et hypothesis consistere nequit, gaudeant necesse est; ergo essentia, attributa, et quidquid in ipsis continetur, *independens* sit oportet.

---

(1) Adverte 1°. Si per attributa *actuosa* intelligantur ea, quae ad opus extrinsecum dicunt relationem, e. g. omnipotentia, providentia, etc. et per *quiescentia* ea, quae sistunt quodammodo in Deo, e. g. sapientia, intelligentia, etc. tunc distinctio haec congruit cum illa, quam amplectimur: *quiescentia* autem, quae etiam operationem vel activitatem ad intra excludit, in Deo non datur. 2° *Negatio* vi originis illa est, quae ex analysi vocis coalescentis ex particula *non* derivatur, e. g. infinitas quasi idem esset, ac *non* esse finitum, immensitas ac *non* posse metiri. Negatio vi significationis oritur ex negativo sensu vocis caeteroquin positivae: e g. simplicitas idem est, ac non esse compositum, unitas idem ac non esse multiplicem, etc. porro videbimus inferius, haec et alia divina attributa in maxime positiva divinae naturae realitate fundari, et aliunde, si negatio vi significationis admittatur, omnia divina attributa possent et deberent dici negativa; e. g. intelligentia idem ac non irrationalitas; sapientia idem ac non ruditas et insipientia, etc. 3°. *Moralia* Dei attributa, e. g. veracitas, justitia, etc. si non tantum per comparationem ad physica, e. g. intelligentiam, omnipotentiam, etc. verum etiam ad moralem hominis constitutionem sumantur, quasi scilicet non absolute et metaphysice sed moraliter duntaxat repugnaret, Deum posse aliquid contra ea agere, forent vel maxime Deo injuriosa, supponerentque Deum posse negare seipsum, et ab essentiali sua rectitudine deficere.

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM

DE ATTRIBUTIS DEI ABSOLUTIS

Praecipua ex attributis divinis absolutis investigabimus: quaedam enim, e. g. veracitas, immortalitas, ex aliis tamquam corollarium deducuntur. Eo autem ordine progrediemur, quo unius attributi assertio alterius demostrationi, quantum fieri potest, valeat inservire.

ARTICULUS I.

DE INFINITATE SIVE SUMMA PERFECTIONE DEI ET DE PANTHEISMO SPINOSAE

29. Duas has quaestiones conjungimus, ratione affinitatis, ex prima enim non recte intellecta sequitur pantheismus. Spinosa ex Judaeo Christianus, ac demum apostata, methodice exposuit errorem Stoicorum, qui censuerunt, Deum esse universalem substantiam vel universalem mundi animam, quamvis nonnullos etiam alios sibi praeludentes habuerit (1). Duas autem propositiones hic articulus complectetur.

Quia porro summa perfectio omnem perfectionem suo modo includere debet, advertite, perfectiones in triplici differentia esse. Dicitur 1°, perfectio *simpliciter simplex*, quae merum *esse*, et nullum *non-esse*, sive solam realitatem absque defectu in suo conceptu involvit, et cum alia aequali consistere potest 2°. Perfectio *simplex secundum quid*, quae pariter in suo conceptu merum *esse* involvit, sed cum alia aequali aut majori consistere nequit, e. g. personalitas vel ratiocinatio. 3°. Perfectio *mixta*, quae realitatem cum *formali* defectu sive limitatione in se explicite continet, uti, e. g. *esse materiale*: si vero per *mixtas* intelligas etiam eas, quae limitationem aut defectum quemdam implicite arguunt, tunc et *ratiocinatio* ad *mixtas* revocanda erit (2).

---

(1) Huc videtur spectare et illud Virgilii: *Jovis omnia plena*: et illud Lucani: *Jupiter est quodcumque vides, quocumque moveris*. De pantheismo, ut ita dicam, transcendentali, a recentioribus quibusdam philosophis iterum in lucem protracto, agemus in Psychologia, cap. 3. art. 2, ubi quoque nonnihil animadvertemus in doctrinam auct. Ahrens, qui in Academia Bruxellensi, vulgo *libera*, in Belgio, philosophiam tradit.

(2) Intelligere et velle, sapere et esse justum, etc. vocantur perfectio-

PROPOSITIO I.

Deus est ens actu infinitum et summe perfectum

30. Non est hic separanda infinitas a summa perfectione, cum non agatur de infinito in abstracto, excludente determinatam realitatem, vel de sola materiali vocis significatione, nec de infinito *in potentia* seu potius *indefinito*, quod etiam extensioni, magnitudini, numeris, etc. seu quantitatibus continuis et discretis tribui solet; sed de *infinito actuali* et in concreto accepto, seu de omnimoda ac supereminenti plenitudine simplicissimae realitatis (1). Porro infinitas actualis perfectionum divinae naturae, ex asseitate et absoluta essendi necessitate plane consequitur.

Primo quidem *esse a se* cum limitatione realitatis consistere nequit: limitaretur siquidem vel ab alio, vel a semetipso; non illud, quia nihil est ipso prius, et rationem sufficientem essendi in alio agnosceret; non hoc, quia non est causa sui ipsius, nec poterat existere antequam existeret. Deinde, absoluta essendi necessitas limitationem excludit. Quidquid enim limitatum est, aliter et aliter limitari potuit; nam quod semel non repugnat, nunquam repugnat; sed quod aliter et ali-

---

nes *simpliciter simplices* (denominatio arbitraria, sed non res in se ipsa) quae et meram realitatem seu perfectionem absque omni formali explicito defectu praeseferunt, et sunt ad invicem consociabiles, seu una non excludit alteram in eodem ente. Personalitas vero, e. g. seu esse sui juris aut adaequatum principium suarum operationum, quamvis et ipsa praeseferat meram realitatem absque omni defectu, tamen quia non est simul consociabilis cum alia perfectione aequali (nam quod est sui juris, nequit simul esse juris alterius) dicitur perfectio *simplex secundum quid*; quod etiam dici forte potest de ratiocinatione seu potius facultate ratiocinandi, quae pariter quatenus innuit vim, unam veritatem ex aliis inferendi, dicit meram realitatem absque ullo defectu: quatenus autem in ente omnia intuitu cognoscente seu pura intelligentia praedito, foret superflua, cum pura intelligentia tamquam perfectione majori consociari nequit. Si tandem consideremus facultatem ratiocinandi in homine esse in supplementum defectus immediati intuitus, seu merae intelligentiae ad paucas dumtaxat veritates sese porrigentis, tunc ratiocinatio seu facultas ratiocinandi, propter implicitam hanc defectus significationem, ad perfectiones duntaxat *mixtas* forte revocanda erit.

(1) Recolantur dicta in *Ontologia*, art. 5. n° 43 et 44.

ter esse potuit, non est absolute necessarium; ergo ens absoluta essendi necessitate gaudens, nequit in sua realitate limitatum esse; ergo quidquid in ipso est tantum est quantum esse potest; scilicet actu infinitum, cum perfectiones actu infinitae sint evidenter possibiles. Insuper, ens absolute necessarium aut existit in sua realitate actu infinitum, aut nulla ratione existit; cum necessitas absoluta aut eamdem dicit relationem ad omnem realitatem, aut ad nullam; hoc falsum, ergo illud dicendum est.

31. Ne autem unionem omnium perfectionum in natura divina ita apprehendamus, ut aut actualis infinitas destruatur, aut ad pantheismum aditus pateat, advertendum est imprimis, infinitatem istam perfectionum nec oriri nec posse concipi ortam, sicut Montesquieu supponit, ex aggregato perfectionum finitarum; tum quia finitae perfectiones, in concreto acceptae, frequenter sunt oppositae et cum imperfectione conjunctae; tum etiam quia finita utcumque addita finitis semper remanent finita, sicut jam superius (1) contra Loke observavimus: ergo si infinitas actualis perfectionum hac ratione oriretur, foret monstrum seu cumulus contradictionum, et non esset quid actu infinitum.

Hinc falsum est quod dicunt simpliciter pantheistae, ens infinite perfectum tale esse ut omnem realitatem includat, nullam excludat, nihil de ipso negari, omnia affirmari debeant. Nam omnem quidem perfectionem includit, sed partim *formaliter*, partim *eminenter* tantum et *virtualiter*: at necessario debent de ipso negari perfectiones etiam *simpliciter simplices*, quatenus in creaturis sunt limitatae, formalis conceptus perfectionum *simplicium secundum quid*, et *mixtarum* nec non aggregatum istarum perfectionum. Insuper, sicut monuimus in Ontologia (2) cum S. Thoma, Deus quidem ratione summae perfectionis suae continet in se similitudinem omnium rerum, ita tamen ut *creaturae non pertingant ad hoc, quod sint similes Deo secundum suam naturam similitudine speciei....* sed tantum.... *ad ejus similitudinem secundum repraesentationem rationis intellectae a Deo.*

32. Insuper exigentia actualis infinitatis divinae naturae, quae est radix ejus perfectionum infinitarum, ita determinat eam, ut constituatur hoc et non aliud ens, totoque genere differat ab

(1) *Ontol.* art. 5. n° 44.
(2) Artic. 2 N. 17 in 7. nota.

Digitized by Google

entibus creatis, seu potius omne genus excedat. Etenim infinitas essendi divinae naturae infert absolutam necessitatem actualis infinitatis omnium attributorum, utpote in infinita natura fundamentum habentium: hinc et in se, et in suis attributis Deus est actu infinitus, et per hoc est istud et non aliud ens, seu ens *determinatum*. Rursus itaque patet ens infinitum in perfectionibus non esse quid *universale*, sicut vellent pantheistae, quasi nempe includeret in se omnia entia quoad eorum determinationem specificam et individualem, et haec non essent aliud quam partes quaedam, sive emanationes, aut modificationes, ejusdem infiniti. Deinde eamdem falsitatem ostendit ipse terminus *infiniti*, qui cum per oppositionem ad finitum dicatur, indicat notiones entis, realitatis, perfectionis, etc. non sumi *univoce*, et esse magis universales quam notio infiniti.

Nec quidquam proficiunt dicendo, quod si infinite perfectum non contineret in se omnia entia formaliter, infinitum plus finita forent quid majus; sicut sol licet eminenter contineat in se lucem siderum, tamen simul cum ipsis sumptus, est quid majus. Verum hujusmodi additio fundatur in eo, quod infinitum concipiatur velut aggregatum perfectionum finitarum: si enim spectetur ut debet, nempe ut ens omni coagmentatione destitutum, omnem perfectionem supereminente, id est, infinita ratione in se complectens juxta suae naturae exigentiam, patebit, illud esse ens tota natura diversum et distinctum ab omni finito, nec proinde locum habere illam additionem, cum finiti ad infinitum nulla sit entitatis proportio. Infinitum itaque *plus* finitum, erit forte quid majus quoad numerum, non autem quoad intensionem et dignitatem perfectionum. Paritas a sole desumpta non valet; non ideo enim dicimus, infinitum additum finito non constituere quid majus, quia eminenter continet perfectiones finiti, sed praecipue quia est ens ordinis superioris (1).

(1) Potest hoc declarari sequenti similitudine. scilicet obolus. e. g. additus nummo aureo, licet hic illius valorem virtualiter ac eminenter praecontineat, auget nihilominus hujus realitatem, estque cum eo, utpote ente ejusdem ordinis, aliquid plus, non tantum quoad numerum: at si obolus addatur sapientiae, e. g. vel intelligentiae, etc. quae sunt realitates ordinis prorsus diversi et longe superioris, non poterit earum realitatem augere, neque simul cum ipsis sumptus aliquid plus constituere, nisi quoad numerum, seu numerice. Adverte tamen, hanc esse similitudinem non vero aequalitatem.

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

Pantheismus Spinosae et in se intrinsece repugnat, et falsis innititur ac probatur principiis

33. Fundamentum hujus pantheismi istud est: *Unica tantum existit substantia necessaria et infinita, ejus attributa pariter necessaria, cogitatio sunt et extensio; caetera omnia entia constituuntur per modificationes istorum attributorum.* At in primis attributa contradictoria in eodem subjecto se mutuo destruunt; cogitatio autem et extentio, ut patebit ex dicendis in Psychologia, contradictorie opponuntur. Insuper attributum a substantia est realiter inseparabile: ergo, in hypothesi Spinosae, cogitatio aeque esset indivisibilis ac divisibilis, quod repugnat. Ponamus enim unius ejusdemque substantiae A, attributum cogitationis esse C, extensionis B; cum itaque C et B sint aliquid ex intima natura A dimanans, ubicumque erit A, erit quoque C et B, et vicissim: igitur A necessario coëxtendetur B, eritque ubicumque cum ipso; sed C est pariter realiter identificatum cum A; ergo etiam C coëxtendetur B, eritque simul cum ipso realiter aut saltem mentaliter divisibile: cum autem C ex natura sua sit absolute indivisibile, foret proinde simul divisibile et indivisibile.

Praeter substastiam necessariam et infinitam plures alias substantìas existere evidens est: nam substantia juxta Spinosam illa est, *cujus conceptus non involvit conceptum rei alterius*: atqui conceptus *mei ego* cogitantis non involvit conceptum extensionis et materiae, conceptus aquae conceptum ignis, etc; ergo istae sunt substantiae distinctae et diversae. Deinde modus non est nisi ipsa substantia modificata; ergo, ait sapienter Gerdil (1), si cerae frustulum A fuerit rotundum, et aliud B quadratum, A et B erunt duae substantiae distinctae, cum modi contradictorii nequeant in eodem existere subjecto. Eodem modo ex generica vel specifica proprietatum diversitate potest deduci diversitas substantiarum. Porro hujusmodi substantiae etiam a substantia necessaria et infinita sunt distinctae et diversae: primo, quia earum conceptus non involvit conceptum istius; dein-

(1) In dissertatione mox laudanda, § 2.

de quia sunt finitae et limitatae, ex finitis autem et limitatis infinitum exurgere nequit; tertio quia earum non existentia nullam contradictionem involvit; denique quia sunt mutabiles, et mutabilitas cum absoluta essendi necessitate nequit componi; ergo falsis innititur principiis systema Spinosae.

Neque dicat Spinosa: mutatio modificationum non mutat substantiam; ergo non pugnat cum ejus existendi necessitate. Etenim concedimus, quod mutatio modificationum non destruat substantiam: negamus autem, quod non inducat diversam intrinsecam affectionem, sive existendi modum, ac proinde perficiat. Hoc est, quod pugnat cum absoluta necessitate et infinitate.

34. Sed falsae vel aequivocae sunt quoque propositiones, quas ad probandum suum systema adhibet, earumque falsitas apparebit, revocando in mentem notiones substantiae, accidentis, etc. Unicam tantum necessariam et improductam existere substantiam: infert ex propositione septima: *Ad naturam substantiae pertinet existere*; et hoc concludit ex propositione sexta: *Una substantia nequit produci ab alia*; tunc enim ejus cognitio penderet a cognitione alterius: hoc autem fieri nequit juxta propositionem tertiam: *Quae res nihil commune inter se habent, earum una alterius causa esse non potest.* Duas porro substantias nihil inter se commune habere, enunciavit in propositione secunda, idque eruit ex definitione substantiae: *Per substantiam*, inquit, *intelligo id, quod in se est, et per se concipitur, hoc est, id cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat.* At distinguatur propositio septima: pertinet existere, etc. vel a se, vel ab alio *conc.* tantum a se, *nego.* Deinde sexta propositio negetur, et ratio addita distinguatur: penderet a cognitione alterius, ut causae, *conc.* ut subjecti inhaesionis, *nego*: et contraria ratione distinguendo definitionem substantiae, reliqua sophismata per sa corruent. Videantur hac de re Gerdil (1), Bergier (2) aliique.

35. Neque majorem vim habet quod additur, scilicet, neque ejusdem, neque diversi attributi posse esse plures substantias: si enim essent ejusdem, forent una eademque substantia;

(1) *Dissertazione della esistenza di Dio*: etc. § 2. Oper. edition. Rom. tom. II.

(2) *Traité de la vraie Relig.* Oeuvres complètes, t. II, ch. 5, édit. Paris 1830.

Digitized by Google

si diversi, ergo vel essentialiter diversi, et tollitur conceptus substantiae; vel accidentaliter, et remanet identitas et unitas substantiae.

Resp. *Nego ant. Dist. probation.* erunt una eademque substantia, genere vel specie, *trans.* una individualiter, *nego.* Distingue et illud: remanet identitas et unitas substantiae, generica vel specifica, *trans.* individualis, *nego.* Tota difficultas consistit in confusione identitatis et diversitatis, cum, ut patet ex supra dictis, ens sive substantia necessaria et infinita supereminenti ratione suum *esse* complectatur, nihil commune habet cum *esse* entium contingentium finito et defectibili; unde saltem duae substantiae diversae admittendae sunt, increata scilicet et creata: non enim unum idemque sunt existere *per se* sive *in se*, et *a se*, vel *ab alio* (1).

Praeterea, nonne lapis et brutum genere diversa, brutum vero et homo, qui specie differunt, adhuc *per se* existunt? Diversitas igitur generica vel specifica non tollit conceptum substantiae, diversitas autem notarum individuantium sufficienter indicat distinctionem numericam substantiarum. Sic in Petro, e. g. et Paulo possunt esse proprietates contradictoriae; ergo sunt revera duae substantiae, numero saltem distinctae.

ARTICULUS II.

DE IMMUTABILITATE, ET ÆTERNITATE DEI

36. Praeter Stoicos et Spinosam superius refutatos, illi etiam immutabilitatem Deo denegant, qui operationes ejus *ad extra* ita apprehendunt, ac si pro diversitate objectorum mutarentur. Sociniani quoque, licet non naturae, saltem decretorum Dei mutationem aliquam admittere volunt, quod tamen in idem recidit. Æternitatis divinae hostes sunt ii, qui eam cum tempore confundunt, aut saltem cum successione posse componi arbitrantur. De componenda tamen immutabilitate Dei cum ejus libertate nunc non loquimur: de hoc enim in particulari fiet sermo alio in loco. Porro non quamcumque, sed *absolutam* immutabilitatem Deo vindicamus (2).

(1) Confer dicta in *Ontologia*. Artic. 5. n° 46.

(2) Sicut identitas, ut vidimus (*Ontol.* art. 4. n° 32), ita et immu-

PROPOSITIO I.

Deus est ens natura sua absolute immutabile

37. Mutatur quod non remanet semper idem; non remanet idem, quod sibi amplius substitui nequit, quia ab extrinseco vel intrinseco ita afficitur, vel affici potest, ut modo hac modo illa ratione, a prima diversa se habeat. Deus autem cum sit ens a se et independens, in primis nihil sibi extrinsecus potest admittere, quod in ipsum quoquomodo agat, diversaque ratione afficiat. Deinde existit necessitate naturae suae; igitur non transivit de *non-esse* ad *esse*, neque sibi ipsi existentiam tribuit, quam antea non habebat; ergo essentia, natura et existentia ejus semper eadem est, et fuit. Est in se ens actu infinitum; ergo incapax augmenti vel decrementi, tam in natura quam in attributis eadem infinitate gaudentibus. Est ens summe perfectum; ergo multiplicitatem actuum cum successione et transitu de potentia ad actum in suis operationibus excludit, cum melius sit unico quam pluribus actibus idem apprehendere, melius omnia actu habere simulque omnia complecti, quam successive, atque acquirendo per gradus illud quod prius non habebatur. Tandem quidquid in Deo est, debet realiter esse identificatum cum ejus natura; ergo omnes actus ejus sunt ipse Deus, ac proinde eadem necessitate essendi gaudent, ac ipse; ergo eadem immutabilitate; ergo Deus tum in natura, essentia, et existentia sua, tum in suis operationibus nec ab extrinseco nec ab intrinseco aliter afficitur, vel affici potest, ac prius fuerit; ergo est ens natura sua absolute immutabile, Haec autem absoluta immutabilitas, quamvis negativo termino exprimatur, cum ex absoluta essendi

---

tabilitas triplex solet distingui; scilicet *metaphysica* et absoluta, quae omnem variationem et diversitatem status ab ente excludit; simpliciter *physica*, quae nullam mutationem ac variationem sensibilem seu *ad sensum* involvit, et *moralis*, qua tantum in hominum aestimatione ens pro immutabili sive potius pro immutato habetur. Porro, quia mutatio in ente potest accidere, vel ex parte physicae essentiae ac naturae, vel attributorum, accidentalium proprietatum, actuum et relationum intrinsecarum, hinc absoluta immutabilitas quoad haec omnia spectanda est. Mutatio autem relationum mere extrinsecarum, uti e, g. esse ad dexteram vel sinistram, superius vel inferius, etc, aut quae se tenet ex parte termini mere extrinseci, naturam aut operationem entis nequaquam reddit mutabilem.

Digitized by Google

necessitate, et ex summa perfectione divinae naturae dimanet, est quid in se, atque *in concreto*, vel maxime positivum ac reale.

Probationes porro superiores possunt ulterius confirmari hoc generali, licet indeterminato, argumento: quaevis mutatio fit vel in melius vel in deterius vel in aequale; non enim inter haec tria datur aliquod medium; Deus autem nequit mutari in melius, quia antea non fuisset perfectus; neque in deterius, quia desineret esse perfectus; nec denique in aliquid aequale, quia summe perfecto et infinito nihil datur, aut potest dari aequale.

38. In operationibus tamen divinis *ad extra*, seu quae respiciunt objectum externum, duo probe distinguenda sunt; actio nempe in se seu *entitative* spectata, et relate ad terminum seu *terminative*: primo sensu accepta identificatur cum natura divina, ideoque est absolute immutabilis; altero vero relationem mere extrinsecam dicit, ideoque sequitur ipsius termini variationem. Hinc solvuntur difficultates, si quis ex mutatione objectorum externorum argueret intellectus et voluntatis divinae mutabilitatem. Sic, e. g. in creatione mutatio se tenuit solum ex parte *termini*, dum mundus de *non-esse* transiit ad *esse*, novamque dumtaxat extrinsecam denominationem *creatoris* Deo attulit, dum interim actus volitionis, ut res existerent, et cognitionis earum existentiae, *entitative* accepti, semper eadem ratione in Deo fuerunt. Similiter dum eumdem hominem, ut justum amare, ut peccatorum deinceps aversari dicitur, eodem actu *entitative* sumpto, a tota aeternitate et amat et aversatur, pro differentia temporis et qualitatis ipsius termini seu objecti quod mutatur. Idem quoque dicendum, quando ex parte objecti conditio mutabilis deprehenditur; tunc pro una differentia temporis objecti ipsius videt illud sub conditione nondum expleta, pro altera eodem *entitative* actu videt sub conditione, ut ajunt, jam purificata.

PROPOSITIO II.

Deus est aeternus, ejusque aeternitas, omnem successionem excludens, differt omnino a tempore, cujus conceptus non est forma seu intuitus a priori sensus nostri interni.

39. *Æternitatis* notionem antevertit notio *durationis*, quae est *continuata entis existentia*. Durationis ideam efformamus,

dum subjectum aliquod eadem ratione permanere, modis ejus vel relationibus sibi invicem succedentibus, deprehendimus. Durationem metimur motu aequabili alicujus corporis, seu potius spatio ab aequabili motu percurso, ut patet in mensuris naturalibus et artefactis. Et en notio *temporis*, scilicet: *Coëxistentia partium durationis successivae aequabiliter fluentium*; quam nonnulli, forte non satis recte, per *ordinem plurium in serie continua sibi succedentium*, definiunt; quasi nempe tempus foret tantum idea nullam realem entium permanentiam supponens, eamque dumtaxat metiens. Cum vero mensura debeat esse homogenea quantitati metiendae, durationem metiendo ejus partem aliquam pro unitate sumimus, et juxta hanc quaesitae durationis magnitudinem determinamus; est ergo tempus in concreto: *Aggregatum aequabilium partium durationis successivae.* Hae partes possunt dici tempuscula; non vero instantia indivisibilia, secus durationem successivam physice continuam non exhiberent. Apprime itaque distinquendum, aliud esse tempus in se, aliud modus illud apprehendendi vel metiendi. Idem quoque dicendum est de partibus *aevi*, si quis aevum subtiliter a tempore distinguat. Quaevis itaque duratio successiva, cum ex sui natura augeri et minui valeat, nequit esse actu infinita (1). Porro generalis iste physici seu realis temporis conceptus, facile ad tempus quoddam ideale transfertur, si reali et successivae continuationi existentiae rerum, terminos quosdam ideales et idealiter successivos substituas.

(1) Duratio successiva, physice continua, est quantitas; nequit igitur coalescere ex non-quantitatibus, qualia essent tempuscula seu instantia omnimode indivisibilia ac simplicia. Prima itaque elementa temporis seu durationis successivae, debent esse et concipi tamquam exiguae quaedam durationes, seu tempuscula mathematice continua, et physice indivisibilia. In *aevo* seu duratione successiva, habente quidem initium, sed non habitura finem, qualis est propria nostrarum animarum a corpore separatarum, utpote immortalium, adest quoque realis distinctio partium, sicut in tempore, unde et de earum primis elementis seu tempusculis idem est ferendum judicium. Verum quia sublata rerum materialium ac sensibilium successione, *ad sensum* aequabili, et transeundo ad sola entia contingentia mere spiritualia, ut sunt animae nostrae et angeli, eorum successiva duratio non nisi per successionem idearum, quae certe aequabiliter sibi invicem non succedunt, seu non fluunt, concipi posset ac deberet, hinc *aevum* a praesenti *tempore* nostro in hoc quoque differt, quod careat aequabili mensura durationis. Unde colliges, tempori seu potius durationi successivae in genere, non esse ratione sui essentialem aequabilitatem mensurae, cum ejus continuatio adhuc sufficienter signetur partium etiam inaequalium distinctione.

Digitized by Google

40. Instituta autem analysis durationis successivae sufficienter ostendit conceptum hunc, utpote universalem exhibentem nempe pluribus communem relationem, esse opus nostrae rationis habens fundamentum in reali ac successiva existentiae objectorum continuatione; ita ut, si omnem ac proinde etiam idearum mentis nostrae continuatam existentiam et successionem excludas, omnino pereat physici temporis conceptus: praesertim quod, sicut illud apprehendimus, aequabilitatem quamdam mensurae ab objectis externis mutuatam, necessario involvat. Non est igitur notio temporis *forma sensibilitatis*, seu *intuitus sensus nostri interni a priori*, subjectivus dumtaxat, ac omnino independens ab externis objectis, vel internis affectionum animi vicissitudinibus, sicut vellent Kant (1), Krug, Gerlache, aliique.

Id ulterius etiam probatur in primis positive. Nostrum *ego* ejusque directam conscientiam, et plurimas alias res externas, nisi referantur ad aliquid successivis mutationibus obnoxium, necessario percipimus velut quid permanens; possumus mentem nostram in aliquo conceptu immobiliter defixam tenere; conceptum temporis idealis a conceptu temporis physici distinguimus; quae omnia forent impossibilia, si tempus esset *forma* seu *intuitus a priori sensus nostri interni*. Animus nempe se ipsum sentiens, est certe subjectum omnium nostrarum peceptionum, ac proinde omnibus illis eamdem formam continuae successionis tribueret, juxta illud scholarum effatum: *Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur*. Atque haec postrema animadversio ostendit quoque, in hypothesi adversariorum ipsum temporis conceptum ejusque applicationem ad vicissitudines objectorum reddi impossibilem, cum utrumque *essentialiter* et *ratione sui* involvat simultaneam seu comitantem apprehensionem alicujus permanentis, ad quod termini successionis seu vicissitudines relationem dicunt: *nihili* namque sicut nulla successio, ita nulla est successiva duratio.

41. Probatur deinde negative, ostendendo scilicet nullius ponderis esse rationes quibus Kant in sua Æstetica transcendentali hoc commentum nititur adstruere. Etenim falsum est, quod praescindendo a subjectiva nostra sensibilitate et visione interna nostri *ego*, tempus omnino periret, aut quod ejus conceptus adhuc remaneret, sublata omni phaenomenorum succesione, quod-

(1) *Critic. ration. pur.* part. I. sect. I. §§ 4. 5. 6.

Digitized by Google

que talis intuitus sit fundamentum omnis objectivae successionis, et existentiae hujus alteriusve rei eodem aut diverso tempore. Nam realis ac successiva continuatio existentiae objectorum, exclusa etiam nostra sensibilitate, *per se* cujuscumque intelligentiae conceptum temporis efformandi posset suppeditare fundamentum, et hac reali objectorum successione sublata non nisi ideales et possibiles successionis termini superessent. Adde, quod non *internus* mentis *intuitus* constituat successiones rerum, illasque in simultaneo aut successivo tempore collocet, sed ab illis in hac apprehensione mens ipsa dependeat. Quod vero temporis conceptus nonnisi unam illius dimensionem necessario supponat, nec possint esse diversa tempora nisi successiva, id non indicat omnimodam illius independentiam a fundamento objective reali, sed oritur ex natura ac possibilitate ipsa continuae successionis, quae physice sumpta, reales et non ideales tantum terminos seu partes ex quibus coalescit, involvit; et tam physice quam metaphysice et mathematice spectata, nec est, nec potest esse aliquid actu infinitum, sicut supponit adversarius (1).

---

(1) Ex nuper dictis de conceptu temporis, et (*Ontol.* art. 4. n°. 39. et 40.) de conceptu spatii, duae *formae subjectivae* et a priori *nostrae sensibilitatis*, a Kant statutae, evanescunt. Quae vero contra illum huc et illuc in superioribus adnotavimus, ordinata fuerunt ad duodecim, in quatuor classes distributas, *categorias* seu *formas subjectivas et a priori nostrae rationalitatis* prorsus respuendas. Et sane, categoriarum classes sunt sequentes: 1., seu *quantitatis* (unitas, multitudo, et universalitas); 2., seu *qualitatis* (realitas, negatio, et limitatio); 3., seu *relationis* (substantia et accidens, causa et effectus, earumque mutuae dependentiae fundamentum sive commercium); 4., seu *modalitatis* (possibilitas, existentia necessitas, hisque opposita). Itaque earum primam classem ex disputatis in Ontologia, art. 4. n. 42., et art. 1. n. 9. nec non ex dictis in Logica, part. 2. art. 4. n. 50; alteram ex Ontol. art. 2. n. 13. et art. 5. n. 45.; tertiam ex Ontol. art. 3. nn. 23. 25.; art. 1. n. 9. et art. 6. nn. 54 et 55; postremam ex Ontol. art. 2. nn. 12 et 13; art. 1. n. 9. et art. 5. n. 46. evidenter de falsitate argues, quasi nempe omnes isti conceptus nullum objectivae realitatis fundamentum haberent. His vero si jungas arbitrarias, ac plane dogmaticas, Kantii suppositiones, tum de reali distinctione inter *formale* et *materiale*, seu *objectivum* omnium cognitionum nostrarum, ac si hoc non possel haberi nisi ab extrinseca experientia, tum de distinctione possibilitatis *logicae*, seu idealis, a possibilitate *objective reali*, quae juxta Kant deberet semper habere respectum ad principia experientiae possibilis· et si addas animadversionem superius (Ontol. art. 1. n. 9. in fine) jam factam ad primum et praecipuum fundamentum *criticae rationis purae*, facile colliges, totum hoc systema utpote falsis innixum principiis, funditus ruere. Hinc falsitate fundamenti et principiorum hujus do-

Digitized by Google

42. Si modum consideres quo abstracta durationis notio acquiritur, eam deprehendes includere successionem, non aliter enim continuatam rei existentiam imaginamur, nisi *esse*, *et iterum esse*, *et iterum esse*, etc. sive prius et posterius distinguendo. Sed quaeritur, utrum detur duratio non successiva? Si ratio et non imaginatio consulatur, ait Baldinotti (1), evidens erit dari hujusmodi durationem, eamque esse ipsam aeternitatem,

---

ctrinae detecta, non morabimur ulterius in refellendis iis, quae Kant inde eruit ac oggerit contra objectivam realitatem cognitionum circa Deum, animae spiritualitatem, et immortalitatem, ac mundi originem, quibus utpote objectis omnem experientiam transcendentibus, nequit juxta ipsum ratio theoretica *categorias* seu *formas a priori*, cum objectiva realitate aptare, estque relate ad haec in perpetua secum ipsa pugna seu antinomia, includente theses ac antitheses contradictorias, ejusque conceptus sunt nihilum *negativum*: quod profecto purum Scepticismum rèdolet. Quoniam autem et ipsa cognitio experimentalium objectorum, cum haec non nisi per subjectivas formas a nobis appehendantur et qualia *in se* sunt, ut centies repetit Kant, relate ad nos aequent *zero*, sintque ad categoriam *nihili* revocanda: hoc systema ad merum reducitur Idealismum, cujus notam, sicut et Dogmaticismi, Rationalismi, Materialismi, Scepticismi, ac Empirismi, irritu conatu Kant ejusque asseclae obscurissimis eorum commentis effugere satagunt. Namque, ut recte advertit Degerand (*Histoire des systém. des Philosoph* (tom. III. chap. 13.): *Modus quem elegit* (Kant) *declinandi ac evertendi omnia haec systemata, ille est; ut singulis eorum successive adhaereat; modus vero eadem systemata, quorum errores turpiter philosophiam maculant, conciliandi, ille est, ut singulis eorum ac simul completam atque certam victoriam polliceatur. Quin autem indigitet rectam methodum omnium systematum vitiosa extrema vitandi, omnes adhibet ambages ad eadem vitiosa extrema in suo systemate collocanda. Verbo, modus ab ipso electus omnes effugiendi errores, hic est, ut omnes admittat contradictiones.*

Praeterea Formalismus iste transcendentalis, seu methodus ita philosophandi, motivum seu occasionem suae originis indignam homine prudento et aeque mentis agnoscit. Nam propter animi dejectionem ob praereptam sibi ab aemulo Mendelsohnio palmam praemiumque determinatum a Berolinensi Academia pro meliori specimine circa firmitatem principiorum Metaphysicae, recessit a communi philosophandi ratione qua imbutus fuerat, et per improbum plurium annorum laborem, in hoc obscuritatum baratrum se conjecit, quemadmodum videre est in praeviis Mantovanii et Villersii animadversionibus ad opera Kantii. Est insuper haec methodus communi cogitandi et veritatem quaerendi modo prorsus contranaturalis, dum non ab objecto reali ad mentis imaginem, ab hac ad typum originarium (qui tamen communiter non datur), ac demum ad intellectualem conceptum fit progressus, sed ordine inverso mens nostra etiam invita cogitur incedere.

(1) *Metaph. gener.* cap. 10. §. 743. et seqq.

14

durationem nempe *actu infinitam sine successione.* Ut hoc intelligatur, observandum est cum eodem auctore, durationem in concreto acceptam non distingui ab ipsa rei existentia, ac proinde debere esse ejusdem naturae cum ipsa: si negas; posita existentia, res non durarent; aliud ens ponendum foret, in quo existerent, et in quo durarent; quod ducit ad absurdum.

Hoc posito, sic probatur assertum. Si aliquid existit in tempore seu duratione successiva, debet aliquid semper extitisse; si enim nihil semper fuisset, etiam nunc nihil esset: illud autem semper existens existet necessitate suae naturae, ejusque existentia continuata constituet ejus durationem. Jam vero necessitas essendi omnem successionem et mutationem ab entis natura et existentia excludit; ergo ejus duratio est absque successione: siquidem necessario debet esse actu infinita, prius et posterius non habens; alioquin haberet initium: debet esse simplex; nam si ex instantibus finitis componeretur, infinita non foret. Cum itaque metaphysice certum sit, existere ens necessarium, infinite perfectum et immutabile, eadem quoque certitudine constat ejus durationem esse infinitam absque successione, principio et fine carentem; ergo datur infinita duratio seu aeternitas, et est attributum entis necessarii, seu Dei. Deus igitur aeternus est, quamvis nos ejus aeternitatem sicut et infinitatem comprehendere non valeamus, scimus tamen quod sit, et inadaequate saltem quid sit.

Ex his etiam eruitur, recte a Boëtio aeternitatem definiri quod sit: *Interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio.* Dicitur *perfecta possessio*, quia omnem deficientiam excludit; *tota simul*, quia, utpote simplex, nullam partitionem admittit; *vitae*, quia est attributum entis summe perfecti, cujus natura est ipsa actualitas seu vita; *interminabilis*, quia infinita, principio et fine carens.

43. Hinc duratio aeterna non coalescit ex infinita multiplicatione temporis, ut Lokio visum fuit (1). In ipsa non habetur *prius* et *posterius*, licet nos limitationi mentis nostrae et imaginationi consulendo, dum in abstracto de ipsa loquimur, prioritatem et posterioritatem *signi*, partem *ante* et *post*, instar temporis, distinguamus; sicut fecit et Plato in Timaeo dum ait: *Tempus est imago mobilis immobilis aeternitatis*. Simili

(1) *Sur l'entendem.hum.* l. 2. ch. 14. §. 27.

Digitized by Google

ratione a vero distat, quod ait Tullius (1), et repetit deinde Loke: *Tempus est pars quaedam aeternitatis, cum alicujus annui, menstrui, diurni, nocturnive spatii certa significatione.* Unde inferes, posse quidem concipi tempus seu successivam rerum durationem coëxistere aeternitati, minime autem quibusdam ejus limitibus intercipi.

Statuta aeternitatis notio pugnans non est ex eo, quod sit duratio et simul non-successiva. Istud enim non est durare et non durare, quod foret contradictorium; sed respicit tantum modum durationis non successivum, quem quidem imaginari non valemus, at et esse et debere esse intelligimus et probamus. Hinc patet, durationem spectandam esse tamquam genus, species durationis successivae et non-successivae sub se continens, quo supposito difficultas per se evanescit.

44. Dices: ergo aeternitas nec concipitur, nec potest concipi; ergo nihil est.

Resp. *Dist. ant.* non concipitur, quatenus nec imaginari valeat, nec adaequate percipi, *conc.* quatenus non intelligitur quid sit et esse debeat, *nego.*

Neque, ut Loke contendit, notio aeternitatis universim negans est; siquidem, ut alias vidimus (2), *simplicis* et *infiniti* notiones non sunt mere negativae; ergo neque notio aeternitatis, quae in ipsis fundatur. Ex eo autem, quod dicatur principium seu initium non habere, non sequitur, ut vult Loke, ejus conceptum auferri. Nam, ut ait Baldinotti (3), negando principium rei *perennitas* asseritur, quae ut est aeterna, utique non comprehenditur, exibet tamen quiddam *eminenter* positivum, scilicet id quod nunqnam deficit, nec erit defecturum (4).

---

(1) *De invent*, lib. 1. cap. 20.

(2) *Ontolog.* artic. 4. n°. 41. artic. 5. n°. 44.

(3) Loc. proxime cit.

(4) Duratio, id est, continuatio divinae existentiae initio et fine carens, seu *perennitas* ejus *esse* omnem successionem excludens, superemimenti realitate gaudet, estque in se aliquid vel maxime positivum, utpote realiter identificatum cum ipsa divina natura, quae est plenitudo omnis realitatis et merum *esse*. Id vero inde quoque colligitur, cum sit a parte sui simplex, indivisibilis ac tota simul, quod omnibus differentiis temporum, praeterito, praesenti et futuro tota simul atque eodem invariabili modo respondeat, seu eminenter aequivaleat, sitque semper in se eadem, ac pro nobis instans actuale, seu simpliciter *esse*. Nos autem et caetera entia tempori seu successivae durationi subjecta, actu non fruimur duratione nisi

Digitized by Google

ARTICULUS III.

DE SIMPLICITATE SPIRITUALITATE ET IMMENSITATE DEI

45. Duae hae quaestiones videntur ad invicem oppositae, ideoque eas simul conjungimus, ut apparens oppositio facilius evanescat. Praeter pantheismum jam refutatum, adversatur etiam simplicitati Dei error eorum qui corpus humanum Deo tribuebant, omniumque idololatrarum res materiales creatas tamquam deos venerantium. Contra hos itaque ostendemus, naturam divinam non solum excludere compositionem physicam, sed etiam metaphysicam et logicam, ac esse mere spiritualem. Immensitatem Deo denegarunt Platonici, qui intra sphaeram quamdam igneam ipsum commorari existimarunt: alii, qui coelum dumtaxat ipsi pro sede constituebant: ii tandem, qui Deum corporeum finxerunt, indirecte saltem immensitatem inficiati sunt. Singularis vero hac in re fuit Manichaeorum error, de quibus S. Augustinus in suis epistolis disserit (1).

---

per partes, id est, exiguo et unico instanti praesenti: quodvis namque instans praeteritum jam non est, quia praeteriit, futurum nondum est, quia nondum advenit, et potest non advenire: ergo solum ens aeternum, sicut plenitudine realitatis actualis ita et durationis, semper actu fruitur, quia semper actu et indivisibili ratione *est*. Hinc potest confirmari incongrua ratio (indicata in nota n°. 39.) concipiendi prima elementa temporis seu durationis successivae, tamquam instantia absolute simplicia, omnem continuationem existentiae excludentia: si enim hoc semel concedatur, potest quis statim et facile inferre, nos de permanentia existentiae nostrae nunquam certos esse, neque illa frui aliquatenus posse; instans namque praesens durationis, utpote indivisibile ac simplex, rapidissime transit et nunquam sisti potest, labiturque cum quavis instabili cogitatione: instantia vero praeterita et futura idem sunt ac si non essent pro nobis.

(1) Manichaei propter absurdum eorum commentum de duobus primis rerum principiis, bono scilicet et malo, circa immensitatem quoque divinae naturae turpissime errarunt. Nam duo haec eorum principia, ne ad invicem contaminarentur, simul indefinita ratione quaquaversus sese porrigere vel diffundere non poterant, unde pro uno eorum regio lucis, pro altero regio tenebrarum deputata fuit; et ne pariter limites ipsarum regionum indeterminate protenderentur, quamlibet earum quadro condensam arbitrati sunt; nec tamen quadro undique condenso, sed ad unum latus patente, ut scilicet, bonorum malorumve emanationi aditus non praecluderetur. De his duobus Manichaeorum principiis et eorum hypothesi distinctam quaestionem inferius instituemus.

Digitized by Google

PROPOSITIO I.

Deus est ens natura sua simplicissimum et spirituale

46. Necessitas essendi et summa perfectio pugnat evidenter cum compositione ex partibus realiter distinctis. Enimvero compositio est relatio partibus componentibus extrinseca; necessitas essendi est intrinseca enti a se. Quod realiter componitur, non repugnat, ut dissolvatur; non est igitur absolute necessarium. Perfectio, orta ex compositione, est participata et limitata; ex necessitate naturae est independens et illimitata. Insuper, partes componentes suntne necessariae et summe perfectae, vel non? Si primum, tot erunt Dii quot partes, quod repugnat, et inutilis foret compositio: si alterum, compositum non erit necessarium et summe perfectum: ex non-necessariis enim, et non-perfectis nequit oriri necessarium et summe perfectum, sicut neque ex finitis infinitum. Deinde, si Deus est corpus, vel corpus illud est vivens, vel non vivens: si hoc, ergo Deus non est perfetissimus, cum vivere sit perfectius quam non vivere: si illud; ergo vivit, vel per se, vel per formam superadditam; quidquid dicatur, redit argumentum: si enim vivit per se, erit ad summum vegetans, et inferius vita animali et rationali: si autem vivit per formam superadditam, uti e. g, corpus nostrum per animam, cum forma sit natura sua perfectior subjecto, rursum non erit ens perfectissimum. Subjectum praeterea est necessario in potentia relate ad formam, a qua perficitur; nihil autem tale fingi potest in ente necessario, quia nihil in eo potest esse indifferens ad perfectibilitatem. Hinc autem patet, quod ens necessarium non solum excludat compositionem essentialem ex materia et forma, et integrantem ex partibus physice separabilibus, sed etiam ex subjecto et accidente; cum accidens possibilitatem esse et non-esse involvat, perficiatque subjectum, quod pariter cum essendi necessitate, et summa perfectione pugnat.

Deus, utpote summe perfectus, est certe intelligens, volens, etc. intelligentia autem, et cogitatio intrinsece pugnat cum materia. Deinde sicut arguit Loke, si causa prima non esset cogitans et spiritualis, nullum ens existeret cogitans et spirituale, cum intrinsece repugnet, ut materiale sive non-cogitans producat simplex, spirituale et cogitans: certum autem est (hoc in

Psychologia probatur) existere animam nostram simplicem et spiritualem, cujus spiritualitas, intelligentia, voluntas, etc. praescindendo a limitatione, cum sit perfectio simpliciter simplex, debet formaliter inesse enti perfectissimo. Est itaque Deus natura sua ens simplex et spirituale.

47. Sed absoluta Dei simplicitas excludit etiam compositionem metaphysicam et logicam. Non enim in summe perfecto potest esse pluralitas facultatum; haec namque necessario involveret pluralitatem actuum formaliter distinctorum: non potentia distincta ab actu; potentia, inquam, *passiva*, quae determinatione fit completa; secus, per successivas determinationes perficeretur: non compositio ex essentia et existentia; secus existentia haud esset essentialis, et daretur transitus a non-esse ad esse, quod pugnat cum necessitate essendi. Est igitur Deus *actus purus*, in quo quidquid est ab ipsa essendi necessitate est actu determinatum, omnesque perfectiones, attributa, et operationes ejus sunt realiter et formaliter unum et idem cum natura simplicissima (1).

Neque compositio generis et differentiae *a parte rei* potest admitti, quia genus dicit aliquid commune differentia autem aliquid superadditum; nihil autem potest esse commune *in se* enti summe perfecto cum aliis: nihil, quod alteri additum illud compleat perficiendo. Praetera species dicit relationem ad individua:

(1) Appositae utimur terminis indicantibus formalem et realem attributorum et operationum Dei cum divina natura identitatem; inferius tamen in solutione difficultatum ostendemus, admittendam esse distinctionem virtualem et rationis ratiocinatae. Etenim in hac quaestione de metaphysica divinae naturae simplicitate, potest quis facile, aut per excessum aut per defectum, nedum contra rationem sed etiam contra fidem errare. Sic admissa formali vel reali divinarum perfectionum et actuum distinctione, evidens imperfectio in Deum redundat; exclusa autem omni distinctione, etiam virtuali et rationis ratiocinatae, mox cadimus in Nominalium errorem, quem recta ratio et Ecclesia damnat, quasi nempe perfectiones divinae inter se et a natura divina, nostris dumtaxat conceptibus absque fundamento ex parte objecti differrent, justitiaque, e. g. et sapientia divina forent tantum nomine distincta; cum tamen revera independenter a nostro conceptu aliud sit: Deum esse, e. g. intelligentem, aliud volentem, non enim omnia, quae intelligit, vult aut facit: ergo sola distinctio rationis ratiocinantis, qualis est, e. g. inter ideam hominis et animalis rationalis, meram nominum differentiam et distinctionem involvit, quam si quis accommodaret ad distinctionem personarum divinarum a natura, et etiam inter se, statim mysterium SS. Trinitatis destrueret, et circa fidem turpissime erraret.

in ente autem necessario, individuatio sive singularitas est essentialis, excludens, ut videbimus, multiplicationem naturae.

48. Dicunt I°. Est in Deo Trinitas personarum et unitas naturae; ergo compositio ex natura et persona. Deinde quod constat ex communi et proprio est compositum; natura est communis, personae sunt quid proprium; ergo.

Resp. ad 1m. *Nego conseq.* Compositio est distinctorum unio: personae autem divinae, quatenus realiter identificantur cum natura divina, non distinguuntur ab ipsa; ergo neque constituunt compositum in ipsa: quatenus vero sunt relativae, a se invicem distinguuntur; sed cum sub hoc respectu non identificentur, rursum nullam compositionem efficiunt.

Ad 2m. *Dist. maj.* si commune et proprium realiter vel formaliter ab ivicem distinguatur, *conc.* si virtualiter tantum, *nego.* Nos diximus, personas cum natura divina *realiter* identificari; nequeunt igitur spectari velut partes realiter distinctae ab ipsa, aut ipsa, ut subjectum et potentia, superveniente forma et actu perfectibilis.

Dicunt II°. Multa sunt, quae in Deo distinguimus, et ex quibus constare divinam naturam concipimus; ergo.

Resp. *Dist. ant.* distinguimus distinctione rationis ratiocinatae, *conc.* reali vel formali, *nego.* Quid sit sentiendum de simplicitate divinae naturae, probationes ostendunt; ex eo autem quod intelligentiam finitam habemus, nonnisi conceptibus distinctis, et per modum plurium distinctorum divinas perfectiones attingimus. Sic bonitatem, justitiam, etc. tamquam formas quasdam spectamus, dum interim probe intelligimus, eas objective acceptas esse ipsam naturam divinam, quae propter eminentem suam excellentiam pluribus formis distinctis aequivalet, nobisque praebet fundamentum, distinctionis rationis vel virtualis faciendae.

PROPOSITIO II.

Deus est actu immensus, rebusque omnibus substantialiter praesens

49. Ut immensitas Dei facile componatur cum immutabilitate et simplicitate ejus, ipsa propositionis enunciatio ostendit, nos distinguere *immensitatem* ab *actuali rebus praesentia* (1).

(1) Qui immensitatem Dei ab ejus actuali omnibus rebus praesentia

Necessario autem actualis rebus omnibus divinae substantiae praesentia, velut effectus ipsius immensitatis spectari debet, et ratio est duplex: 1°. Ens non constituitur in loco per locum, sed per suam aptitudinem ad locum: si itaque actualis rebus praesentia non distingueretur ab immensitate, res ipsae constituerent Deum immensum (1). 2°. Immensitas Dei est attributum immutabile, necessarium, absolutum, ipsique coaeternum; actualis rebus praesentia est quid mutabile, contingens, relativum, et in tempore Deo adveniens, pro conditione scilicet creaturarum. 3°. Illa dicit negationem limitum substantialis praesentialitatis, et indicat aptitudinem ipsam actualem et illimitatam substantiae divinae, in eo positam, ut per se sit actu idonea ubique esse, et implere id omne quod existit vel potest existere, quin valeat ullo contineri aut circumscribi loco, ita ut, quacumque supposita rerum ac locorum multitudine, Deus pluribus aliis, et si possibile foret, etiam infinitis substantialiter coëxistere posset: haec vero importat determinatum modum actualis coëxistentiae, finitum sane pro conditione creaturarum.

50. Hac autem doctrina supposita, facile solves difficultates, quae ex simplicitate Dei desumuntur (2), si advertas primo, im-

---

non distinguunt; non habent quid rationibus nostris reponant, et praeterea insufficienter dumtaxat assertionem suam probant. Nam etiamsi concedatur, quod Deus sit omnibus rebus praesens, non sequitur, ejus omnipraesentiam esse quid actu infinitum, sicut revera debet esse omne attributum Dei, cum omnes res creatae non sint nec possint esse nisi finitae. Insuper hac ratione datur ansa Dei immensitatem spectandi velut *potentiam*, quae per advenientem actualem rerum creatarum existentiam reduceretur ad actum, ac veluti perficeret Deum: unde nos apposite dicimus, Deus est *actu immensus*, et hanc immensitatem reponimus inferius, et consequenter ad nostras probationes (ac proinde non gratuito), in actuali et illimitata divinae substantiae praesentialitate, sive in illa divinae substantiae infinita, ut ita dicam, actuali amplitudine, per quam constituitur cunctis rebus creatis, si haec adfuerint, actu praesens.

(1) Modus existendi in loco debet determinari ab aptitudine entis, non vero loci dumtaxat, praesertim in entibus diversae prorsus conditionis ac naturae a natura ipsius loci; cum ordo naturalis postulet, ut modus praesentiam exhibendi sit consentaneus enti quod exhibet praesentiam, ne scilicet cogatur existere modo suae naturae opposito. Hoc patebit quoque ex dicendis alias, et praecipue in Cosmologia (art. 4. n. 26.).

(2) Difficultates de quibus sermo, sunt hujusmodi: 1°. Quasi substantia divina coëxtenderetur rebus, proindeque haberet diversas et distinctas partes pro diversitate et distinctione rerum, quibus respondere supponeretur. 2°. Quasi rebus auctis augeretur, imminutis im-

Digitized by Google

mensitatem Dei spatiis vel rebus minime metiri, cum non constituatur per existentiam rerum, sed per illimitationem substantiae divinae, ac proinde ejusdem esse simplicitatis et indivisibilitatis ac ipsa. Nota deinde, res non continere in se immensitatem divinam sed potius contineri ab illa, atque Deum ita rebus existentibus coëxistere, ut sit totus in omnibus et singulis, sed totus etiam in se ipso, seu in sua immensitate, nullo spatio egens, eademque ratione immensus, nulla etiam creatura existente. Adverte demum, posse quidem dici juxta nostrum cogitandi vel imaginandi modum, immensitatem Dei esse velut *quamdam diffusionem virtualem substantiae divinae,* sed caute admodum, ne quid extensi et materialis Deo tribuatur. Unde etiam S. Augustinus in suis epistolis monet: *In eo ipso, quod Deus dicitur ubique diffusus, carnali resistendum est cogitationi, et mens a corporis sensibus avocanda; ne quasi spatiosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut humus, aut humor, aut aër, aut lux ista diffunditur.* Et rursum: *Est ergo Deus per cuncta diffusus,... non tamen per spatia locorum, quasi mole diffusus, ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, et in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus, sed et in solo coelo totus, et in sola terra totus, et nullo contentus loco, sed in seipso ubique totus.*

Verum substantialis ista praesentia, de qua agimus, distinguatur ab aliis duabus, nempe a praesentia per *operationem* et per *scientiam.* Illa enim indicat Deum substantia sua omnibus rebus ita coëxistere, ut eas intime pervadat ac pene-

---

minueretur, 3°. Quod si quis reponeret, sicut oportet, quod Deus per suam immensitatem sit totus in singulis locis ac entibus, et totus in omnibus simul, indivisibili ac incomprehensibili ratione; posset adhuc urgeri dicendo, sequi ex hoc, quod existeret supernaturali modo, seu per *replicationem,* quae non est aliud quam *simultanea ejusdem entis in pluribus locis existentia.* Relate ad hoc postremum adverte, similitudinem replicationis sumi ab entibus creatis, quae dum ad unum tantum locum occupandum sunt naturaliter determinata, per replicationem supernaturaliter existere censentur, si quandoque contingat, ut idem ens, praesertim, corporeum simultanee in pluribus diversis locis existere deprehendatur; ideoque, respectu habito ad Deum, locum non habere seu paritatem non subsistere, propter illimitationem sive actualem infinitatem divinae substantiae. Aliunde vero neque ens materiale, quod magnum quemdam locum occupat, dicitur per replicationem existere, quamvis loci illius diversae partes sint totidem loca distincta.

tret, totusque ad intra et ad extra per se constituatur praesens: praesentia vero per *operationem* seu *potentiam* omnia a Deo produci, conservari, ipsoque concurrente fieri; per *scientiam* autem, seu simpliciter per praesentiam, omnia nuda et aperta esse oculis ejus, omniaque ejus nutu ac praevisione dirigi.

51. Altera propositionis pars probatione non eget. Si enim ostendamus, immensitatem Deo competere, jam hoc ipso determinatur Deus, ut omnibus rebus existentibus *substantialiter* sit praesens.

Probatur itaque prima pars. 1°. Exposita immensitatis notio dicit perfectionem simpliciter simplicem, quae in Deo, utpote ente perfectissimo, formaliter inveniri debet. Enim vero perfectius est non posse, quam posse locorum et spatii limitibus circumscribi; et sicut perfectior esset ille, e. g. angelus, qui simultanee decem civitatibus substantialem praesentiam exhiberet, quam ille, qui duabus tantum praesens esset, ita ad naturam summe perfecti pertinet, nullum prorsus substantialis praesentiae seu potius *praesentialitatis* limitem habere.

2°. Necessitas essendi divinae naturae nequit componi cum limitatione substantialis praesentialitatis: siquidem necessitas essendi, cum per se postulet aeque hic atque illic esse, nihilque ad intra vel ad extra habeat, quod hanc exigentiam limitet, si tantum alicubi esse deberet, aeque nullibi esse posset: ergo ens necessarium vel ubicumque est, vel nullibi est: postremum manifeste repugnat; ergo primum dicendum est (1).

3°. Vis agendi in Deo non est quid realiter distinctum a substantia divina; ergo quantum virtus divina agens, tantum substantialis praesentia potest se porrigere. Virtus autem haec

(1) Vis hujus argumenti in eo sita est, quod non detur ullum medium inter habere omnimodam ac illimitatam, vel ad aliquid dumtaxat determinatam, vel nullam actualem praesentialitatem; quodque hoc postremum manifeste repugnet, utpote nec cum contingenti existentia, quam necessario subsequitur aliqua praesentialitas, consociabile: alterum vero inferret possibilitatem postremi, Nam si absoluta necessitas essendi posset consistere cum determinatione seu limitatione ad aliquam tantum praesentialitatem, non esset amplius absoluta necessitas, utpote pendens ab hypothesi talis determinationis; et insuper, quia quidquid ex rei natura semel non repugnat, numquam repugnat; hinc determinatione sive limitatione illius praesentialitatis ultra et ultra aucta, aeque evaderet possibilis nulla praesentialitas; haud secus quam in entibus contingentibus hoc ipso quod sint talia, possibilis est absoluta eorum non existentia atque defectus omnis praesentiae.

Digitized by Google

semper ad alia et alia absque limite, utpote infinita, porrigi potest; et licet res productae, vi conditionis suae nequeant esse actu infinitae, ac proinde immensitas Dei nequeat habere objecta actu infinita, quibus intime praesens constituatur, tamen, cum haec respondeat virtuti activae non vero objectis existentibus, aeque ac ipsa virtus a parte sui est infinita.

52. Porro ex adstructa Dei immensitate quae latius patet quam actualis rebus omnibus praesentia, minime inferas, Deum debere existere etiam in spatiis imaginariis: nam Deus non eget spatio, sed in seipso existit: spatium praeterea istud est nihilum. Neque dicas: substantiam divinam maculari, ex quo rebus etiam foedissimis praesens fiat: non enim modo corporeo ipsis miscetur, earum mutationibus, aut contactu laeditur, sed modo prorsus mirabili omnia in se continet, omnibus immediate adstat, quin ab ipsis tangatur.

Demum immensitatem divinam non excludunt expressiones istae: *Deus residet in coelo*, *templo*, *animabus justorum*: prior enim indicat peculiarem modum, quo Deus in coelo se manifestat sanctis, etc. altera vero modum denotat, quo in templis orationes fidelium audit: tertia significat, quomodo per gratiam specialem et amorem corda justorum replet, quae omnia praesentiam substantialem Dei ab aliis locis non arcent. Insuper legitime quandoque Deus dicitur *nullibi* esse, id est, ad instar corporis, circumscriptive vel etiam definitive in loco; cum particulae *alicubi*, *nullibi*, etc. localem circumscriptionem indicare videantur, quam a divina immensitate excludendam esse rursum docet S. Augustinus (1): *Tantum non conemur Deum perducere ad locum, non conemur Deum includere in loco, non conemur Deum per spatia locorum quasi aliqua mole diffundere, non audeamus hoc, non cogitemus. Maneat substantia divina in sua et propria dignitate.* Hinc non nisi per absurdum posset quis inferre, Deum non esse, ex eo quod nullibi sit; cum *nullibi* excludat tantum praesentiam et existentiam localem, minime vero omnimodam praesentiam et existentiam.

---

(1) *Sermone* 277. cap. 14.

ARTICULUS IV.

DE RATIONE ET VOLUNTATE DIVINA

55. Non hic existentiam rationis, sive intelligentiae et voluntatis divinae, aut utriusque infinitam praestantiam probandam assumimus; satis enim ex alias dictis (1) colligitur: sed, ut ita dicam, objectivam intelligentiae sive scientiae divinae (in Deo enim cognoscere, scire, intelligere, etc. indicant simplicissimum et unicum actum) perfectionem investigabimus; utrum nempe ad omnia prorsus cognoscibilia se porrigat: voluntatis vero divinae nobilissimam praerogativam, scilicet libertatem, vindicabimus. Jam vero contra eos nobis dimicandum est, qui praevisionem actionum liberarum ansi sunt Deo denegare; nec non adversus illos, qui ex eo quod non intelligerent, quomodo libertas cum absoluta immutabilitate componatur, Dei libertatem in dubium vocarunt, aut absona ratione explicarunt.

PROPOSITIO I.

Scientia Dei perfectissima se porrigit ad omnia possibilia, praeterita, praesentia et futura, sive absolute, et necessario, sive contingenter et conditionate futura.

54. Ut clara fiant, quae hac de re dicenda sunt, observanda est varia scientiae divinae divisio. 1° enim dispescitur in scientiam *simplicis intelligentiae* et *visionis*: illa ita denominatur, quia respicit sola possibilia, prout sunt mere intelligibilia; haec vero, quia refertur ad omnia existentia, sive praeterita, sive futura, sive praesentia: cumque in aeternitate Dei differentia praeteriti et futuri non adsit, Deus ea omnia intuetur seu *videt* tamquam actu praesentia. Dividitur 2° in *necessariam*, et *liberam*: dicitur *necessaria*, quatenus e. g. possibilia et seipsum, absolute loquendo, non poterat Deus non cognoscere; *libera* autem, non quasi intellectus esset potentia libera, sed quia porrigit se ad praeterita, praesentia et futura, quae poterant non esse, ac proinde non cognosci, si liberum decre-

(1) Art. praeced. prop. 1. et art. 1. prop. 2. nec non cap. 1. art. 2.

tum divinae voluntatis de eorum existentia non extitisset. Hinc patet, scientiam necessariam includere in se scientiam simplicis intelligentiae, et partem scientiae visionis; liberam vero complecti partem dumtaxat scientiae visionis: nisi velis ad scientiam visionis revocare tantum ea, quae habent *esse* distinctum extra videntem (1). Atque haec postrema animadversio sufficienter osten-

---

(1) Qui scientiam visionis juxta vocis etymologiam, et per similitudinem ad scientiam sive potius cognitionem nostram empiricam, considerant, quatenus nempe ea tantum nos videre dicimur, quae nobis sunt extrinseca et sub sensus, oculos *e. g.* cadunt, revocant dumtaxat ad eam omnia contingentia, sive praeterita, sive praesentia, sive actu futura: haec enim tantum habent eorum *esse* ac existentiam extra Deum. Quod si ab hac istius scientiae acceptione abstrahas, nullum videtur inconveniens quin etiam rectissime dici possit, Deum se ipsum videre, utique intellectuali ratione, tamquam quid actu et objective existens, et non tantum intelligere, sicut intelligit, e. g. possibilia. Quia porro scientia visionis primo dumtaxat sensu accepta, sive spectetur in *signo priori* seu antecedenter ad liberae divinae voluntatis decretum de creatione rerum, sive in *signo posteriori* seu consequenter ad illud decretum, relationem quamdam dicit ad objecta contingentia, et quidem in primo casu instar cujusdam *rationis*, in altero instar *ideae* archetypae ipsarum rerum: hinc et entia contingentia ab hac scientia in eorum *esse* dependere dicuntur, seu ideo talia esse, quia illi scientiae conformantur, et scientia ipsa vocatur *practica*, atque etiam *causa* rerum, adjecto scilicet liberae divinae voluntatis decreto posito vel ponendo circa rerum contingentium existentiam.

Advertendum est autem, expressiones illas, *signum prius* et *posterius* non esse arbitrarias et sensu vacuas, sed habere fundamentum in ipsis rebus, et sumi ad significandam illam differentiam duorum, quorum unum, licet non sit *prius* altero *natura*, id est, non habeat naturam completam ante aliud, neque *prius tempore* id est, non existat, sive non praecedat in existentia aliud, tamen juxta exigentiam ordinis naturalis debet et potest concipi prius alio, quod est hoc ipso posterius; sic actus divini intellectus et voluntatis, qui certe non habent prioritatem naturae aut temporis, non aliter distingui possunt et debent, nisi prioritate *signi*. Atque hanc animadversionem intelligas velim de caeteris expressionibus sive terminis a nobis adhibitis et adhibendis; eorum enim verum sensum ubique determinamus. Quamvis autem horum terminorum usum imminuere pro viribus conati simus, prorsus tamen a philosophia eliminare, sicut quibusdam cordi esset, nec potuimus nec debuimus, quin et solido sacrae theologiae studio, ad quod praecipue mentes discipulorum parare debemus, gravissimum detrimentum, ne dicam perniciem, adferramus; atque ob eorum defectum pluribus circumlocutionibus, quae et sensum plerumque reddunt ambiguum et confusum et orationem nimis diffusam, uti cogeremur. Quidam haud sine ratione arbitrantur, propter climinatum ac derisum ab impiis et haeterodoxis hominibus omnem scientificorum terminorum usum, adeo facile hac nostra aetate plurima opinionum ac errorum monstra in lucem prodire ac serpere, plurimosque statim sectatores habere.

Digitized by Google

dit, quare scientia simplicis intelligentiae dicatur etiam *speculativa*, scientia vero visionis *practica*, habensque voluntatem adnexam.

55. Ex dictis per se patet objectum divinae scientiae necessariae. Scientiae autem liberae objectum, sunt causae creatae necessariae earumque effectus, nec non causae creatae liberae earumque determinationes. Causae necessariae, utpote ad unum determinatae, non poterant facta hypothesi earum existentiae, aliter operari; ideoque Deus earum effectus, ut absolute sive necessario futuros, antequam etiam existerent, dicitur cognovisse: causae vero liberae cum pro arbitrio suo se determinent, earum determinationes futurae non poterant cognosci nisi ut simpliciter contingenter futurae, id est, nisi facta hypothesi quod hanc prae caeteris possibilibus determinationem elegerint, et quidem in singulis actibus singularibus, quia revera in singulis casibus possunt se aliter determinare.

Certum autem est causas istas liberas, vel alias si extitissent, si in his aut in illis circumstantiis ponerentur, hac potius quam illa ratione, aut vice-versa libere se fore determinaturas. Cognitio harum determinationum nequit revocari ad scientiam visionis, quia nunquam futurae sunt; neque ad scientiam simplicis intelligentiae, quia non sunt quid mere possibile. Hinc admittenda est tertia species scientiae, quae dicitur scientia *media* seu *conditionatorum*, eorum nimirum quae non sunt actu futura, sed quae futura essent, si aliqua conditio posita fuisset (1). Hujus scientiae in Deo existentiam, ejusque usum inferius vindicabimus: nunc propositio statuta probari debet.

---

(1) Scientia haec *media* ita vocatur, quia revera participat aliqoid de aliis duabus, scilicet, de scientia simplicis intelligentiae, quatenus fertur ad objecta abstractione facta ab eo utrum sint unquam extitura: etenim antecedenter ad liberum divinae voluntatis decretum nihil est actu extiturum, idemque fere censetur ac mere possibile: de scientia autem visionis participat, quatenus objecta scientiae *mediae*, licet nunquam sint extitura, non habent nihilominus eorum *esse* determinatum, nisi relative sive in comparatione ad aliquam conditionem Deo extrinsecam, si haec unquam poneretur sive existeret, quod utique aliquatenus pertinet ad scientiam visionis, et a mera possibilitate unice a terminorum convenientia dependente, quaeque est objectum scientiae simplicis intelligentiae, minime comprehenditur. Unde, quia haec omnia quae diximus, non ex arbitrario cogitandi modo sed ex ipsa intelligibilium natura derivantur, patet, non esse inane et sensu vacuum nomen scientiae *mediae*; eam vero actu in Deo dari, nedum rationibus nostris inferius expositis sufficienter probatur,

56. Cognitio sive scientia cujuscumque objecti cognoscibilis formaliter spectata, est perfectio simplicissima, quae ab ente summe perfecto abesse non potest. Deinde possibilia, cum in suo *esse* intelligibili ex una parte involvant realitatis infinitatem, immutabilitatem, necessitatem, etc. habent unde cognoscantur; ex altera vero parte, cum non sint entitates quaedam absolutae (1) extra intellectum divinum, impossibile est ut Deus et quidem solus Deus, sicut apprehendit suum *esse* ac intellectum et virtutem, quae tantum patet quantum possibilia, ita etiam ipsa possibilia adaequate non intelligat. Porro se ipsum Deus comprehensive intuetur; nam intelligentia divina infinita adaequat ejus cognoscibilitatem pariter infinitam; nihil igitur eum latere potest sui ipsius; ergo se ipsum intuitive comprehendit, cum comprehensiva cognitio, ut ait S. Augustinus (2) tunc est, quando *nihil latet rei cognitae cognoscentem*. Praeterita, praesentia, et futura quae ad causas necessarias earumque eventus pertinent, etiam ab intelligentiis finitis, licet finita ratione, cognoscuntur; ergo a fortiori negari nequit eorum actualis cognitio intelligentiae infinitae. Insuper, hujusmodi res fuerunt, sunt et erunt ex virtute causarum ab ipso auctore Deo ad unum praedeterminatae; qui itaque vires hujusmodi causis secundis communicavit, nequit non cognoscere omnia, quae ex ipsis necessario profluunt.

Atque de hoc fere nulla est controversia, nisi forte vellet quis arguere immutabilitatem scientiae divinae, ex eo quod effectus isti naturales, licet necessario futuri, successive mutentur. Verum respondetur juxta modum (3) jam indicatum. Praeterea advertendum est, quod Deus causas istas et effectus non tantum in omnipotentia sua intueatur, sed etiam prout sunt *formaliter* in se ipsis: nam et sic spectatae sunt aliquid intelligibile seu cognoscibile. Nihilominus immediatum objectum cognitionis divi-

---

verum ex sacris quoque litteris validissime confirmari potest. Sic Christus Dominus, dum (Matth. XI. 21.) ait: *Vae tibi Corozaim, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent*; asserit se certo cognovisse (secus falsa et illusoria fuisset comparatio), quid Tyrii et Sidonii egissent sub conditione quae tamen numquam ad actum reducenda erat.

(1) *Ontol* Art. 2. nn. 15. 16. 17. et seqq.

(2) *Epist.* 112. ad Paulin.

(3) Superius in hoc capit art. 2. prop. 1. n. 38.

Digitized by Google

nae est *esse* illarum, prout virtualiter vel eminenti ratione praecontinetur in virtute vel in conceptibus archetypis sapientiae divinae, quae utique est immutabilis, eademque ratione in Deo haberetur, quamvis res non existerent. Unde merito S. Thomas (1), loquens de quocumque ente ac proinde sive de possibili sive de existente, inquit: *Unumquodque enim ens in tantum habet de veritate suae naturae in quantum imitatur Dei scientiam.* Et sane, cum in omnibus cognitionibus, quando illud quod cognoscitur non habet fundamentum in cognoscente (quia tunc ipsum cognitionis objectum praebet, ut vocant, speciem intellectui cognoscenti), cognoscens per talem cognitionem perficiatur; idque nefas sit de Deo cogitare, dicamus necesse est, Deum ante se nullam praesupponere cognoscibilitatem rerum, a qua ejus intellectus determinetur tamquam ab *exemplari* quodam: quapropter, dum dicimus, Deum cognoscere *aliquid* sicut est in *se ipso*, supponendum est semper objectum immediatum cognitionis divinae, seu potius illud quod constituit ut talis cognitio sit in illo essentialis et ratione sui indeficiens, non pendere ab aliqua *entitate* illi *extrinseca.*

57. Probandum superest Deum praevidere, seu potius videre, futura contingentia sive libera. 1°. In homine perfectio est, saltem conjecturaliter cognoscere futura libera; ergo certa eorum cognitio est perfectio simplicissima Deo non deneganda. 2°. Si Deus libera futura non cognosceret, nisi postquam facta fuerint, in dies perficeretur; haberet potentiam distinctam ab actu; non posset aliquem actum liberum infallibiliter obtinere; effectus qui sequuntur ex actionibus liberis, non forent ab aeterno ad fines suos subordinati; quae omnia pugnant cum attributis divinis. 3°. Futura libera sunt ab aeterno cognoscibilia; habent enim suum *esse logicum* determinatum, cum inter velle, non velle, aut nolle non detur medium, ergo ab infinito intellectu cognoscuntur.

58. Disputant auctores, in quo medio futura libera Deus praevideat (2), ut nimirum intelligi queat, quomodo et scientia Dei infallibilis permaneat, et libertas humana integra. Quidam putant, Deum ea videre in decretis suae divinae voluntatis. Sed quaeritur ab ipsis, utrum decreta illa necessario nectantur cum actu futuro libero, aut non? Si primum, tollitur libertas; si

(1) Part. 1. quaest. 14. art. 22. ad 3.
(2) De aliis enim constat ex numero penultimo.

Digitized by Google

alterum, praescientia Dei non est infallibilis. Alii solide probant admittendam esse scientiam *mediam*. Nam ea quoque quae sub conditione aliqua fuissent, habent suum *esse futuribile* pro statu logico determinatum, ac proinde sunt revera cognoscibilia: ad haec, eorum cognitio nullam ratiocinationem requirit ex parte Dei, sed simplicem intuitum relationis, quae intercederet inter conditionem aliquam si poneretur, et conditionatum. Deus itaque ante omne liberum decretum suae voluntatis, sive in *signo priori* ad illud, videbat scientia media quid in his vel illis circumstantiis posita creatura libera egisset. Cum vero, posito decreto suae voluntatis de existentia hujus liberae creaturae, cognoscat tales circumstantias et ipsam creaturam fore exituram, videt deinde in *signo posteriori* (1), scientia visionis, non solum *futuribilitatem*, sed *futuritionem* actionis liberae, salva prorsus et humana libertate, et infallibilitate scientiae suae (2).

59. Ex his vero 1°. colligitur modus, de quo postea in

---

(1) Æque tamen utrumque ab aeterno, cum haec prioritas differat a *prioritate naturae* et *temporis*. Vide notam parum antea adjectam n. 54.

(2) Duo hic declaranda videntur: 1°. Dum asserimus Deum vi simplicis intuitus cognoscere relationem inter conditionem aliquam et conditionatum, id refertur ad praecavendam difficultatem, quae ex eo desumeretur, quasi scientia media foret Deo indigna, utpote supponens quamdam ratiocinationem seu deductionem unius veritatis ex aliis: hoc namque locum dumtaxat habet in nobis, quorum intelligentia seu immediatus intuitus est limitatus, quique componendo, ut ajunt, et dividendo ideas earumque proprietates seu notas, cognitiones nobis ut plurimum comparamus. 2°. Quando dicimus Deum infallibiliter videre quid creatura libera in his aut in illis circumstantiis posita esset actura, non est intelligendum ita, quasi circumstantiae illae necessario determinarent *futuribilitatem* actus liberi: ultima enim et formalis ratio sufficiens hujus determinationis est tantum liber voluntatis consensus; qui cum pro singulis casibus ac circumstantiis aeque cum *non velle*, vel *nolle*, consistere valeat, et indefinite variari possit, reliquit hac in re objectum scientiae, seu determinabilitatem actus futuram adhuc variabilem. Unde itaque, quaeres profecto, Deus cognoscit hanc futuram *determinabilitatem* ut invariabilem et definitam? Duplex tantum ad hoc quaesitum dari potest responsio; scilicet, quia Deus et videt distincte omnes possibiles determinationes, quas voluntas creata libere sequi potest, et totam efficaciam virtutis voluntatis liberae adaequate comprehendit, ac, ut ita dicam, cognoscendo exhaurit; idque illi absque absurditate denegari nequit: porro inter omnes possibiles determinationes totius efficaciae liberae voluntatis distincte cognitas, haud dubium continentur, et quidem distincte, etiam eae, quae sunt vel forent unquam ad actum exiturae sive exiturae.

Psychologia (1) apposite loquemur, componendi infallibilitatem scientiae seu praescientiae divinae cum mutabilitate humanae libertatis. Si enim recte distinguantur necessitas absoluta ab hypothetica, potentia antecedens a consequente, simulque advertatur quod aliud sit, aliquid *certo* et *infallibiliter* esse futurum, aliud, *absoluta necessitate* esse futurum, jam et illud quod Deus futurum praevidit, infallibiliter eveniet, quia praevisio Dei respicit humanam voluntatem tamquam actu *pro statu logico* sese determinantem vel determinatam, neque haec pollet *potentia consequente*, seu potentia, dum actu se determinat ad aliquid, simul se ad illud non determinandi, ac proinde fallendi divinam praevisionem: et vero libertas humanae voluntatis minime laeditur, cum haec *potentia antecedente*, seu antequam sese ad aliquid *pro statu physico* determinet, possit semper pro lubitu quamcumque determinationem seu electionem sequi. Unde velut indubitatum est et haberi debet, non ideo humanam voluntatem se ad aliquid actu determinare, quia Deus hoc infallibiliter praecognovit, sed ideo Deum hoc infallibiter praecognoscere, quia verum erat pro statu logico, voluntatem humanam ita potius quam aliter se fore pro statu physico libere determinaturam.

Quia vero et ea quae necessario, et quae libere eveniunt aut evenient, Deus aequae infallibiliter praecognoscit, discrimen in eo versatur, quod haec non praevideantur sicut illa, scilicet, ut absoluta necessitate futura, sed tantum necessitate hypothetica, dependente a conditione libere ponenda ex parte voluntatis humanae. Hinc autem patet, quomodo infallibilitas praescientiae divinae consistat etiam cum necessitate dumtaxat *ex parte termini* hypothetica, quae certe exercitium libertatis humanae, utpote ipsum supponens et ab ipso dependens minime laedit. Non est itaque opus, cum Tullio sacrilege negare Dei praescientiam; ut salvetur hominis libertas.

60. Neque opponat quis, Deum liberas voluntatis determinationes neque posse praevidere in se ipsis, quia antequam fiant non sunt; neque in causis, quia nec existunt, nec sunt praedeterminatae: etenim respondemus, Deum eas videre in scientia *media*, seu in earum *esse futuribili pro statu logico*, pro quo statu sunt utique aliquid non quidem e-

(1) Art. ult. cap. 3.

Digitized by Google

xistens, sed intelligibile. Insuper, cum Deus ratione suae aeternitatis, quae indivisibili modo ac simul omni durationi temporariae aequivalet, quidquid futurum est, tamquam si actu praesens esset intueatur, dici etiam potest ac debet Deum actiones liberas creaturarum praevidere (seu potius videre) in se ipsis; quia licet in se et relate ad nos non sint adhuc aliquid physice determinatum et existens, non ita tamen relate ad Deum. Hoc tamen non minuit vim primae responsionis: nam conceptus status logici earum actionum *in signo priori* divinae cognitionis non est mera abstractio mentis sine fundamento.

Nec iterum opponas, praescientiam divinam inferre socordiam circa salutem, aliosque eventus ab industria pendentes, neque ita ratiocineris: vel Deus praevidit certo me salvatum iri, vel damnatum; si primum, quidquid agam, salvabor; si alterum, damnabor. Etenim respondeo ad disjunctionem: Deus praevidit te salvatum iri, si bene egeris; damnatum, si male; fac itaque bene, et salvaberis. Hinc falsae sunt illationes deductae.

PROPOSITIO II.

Deus gaudet perfectissima libertate, quae cum necessitate et immutabilitate divinae naturae minime pugnat

61. De libertate Dei disserendo, duo necessario praenotanda sunt. 1°. Sermo hic est de libertate arbitrii seu *electionis*, id est de immunitate a quacumque necessitate in actionibus *ad extra* (Deus enim seipsum, ut bonum infinitum, necessario vult et amat), non vero de libertate, ut vocant, *a coactione*; quia nemo adeo desipuit, ut putaret, Deum ad actus suos posse cogi ab extrinseco. In ipso dominio electionis in Deo locum habere nen potest libertas *contrarietatis*, quatenus dicit facultatem eligendi malum, vel respuendo aliquod praeceptum, vel amplectendo prohibitum contra rationis dictamen; quoniam Deus se ipsum suamque perfectionem negare nequit. Ipsi igitur vi dominii suarum operationum competit, bonum aliquod finitum velle, aut non velle, hoc prae caeteris velle, aut non velle, aut nolle; et in hoc praecipue sita est libertatis essentia. Illud quod excludimus, est potius defectus creaturae, sequiturque ejus limitationem (1).

---

(1) Ad libertatis essentiam non pertinere libertatem *contrarietatis*

2°. Circa bonum itaque finitum Deus perfectissime liber est. Hinc manifestationem suorum attributorum, cum sit ipsi aliquid extrinsecum, poterat velle, hoc vel alio modo velle. Pariter creaturarum productio, diversique perfectionum gradus ipsis communicati, nullum necessarium nexum cum ejus natura habent; ergo et in hoc perfectissime liber fuit. Dato quidem quod libere voluerit determinatos perfectionis sive bonitatis gradus, sicut et existentiam creaturis tribuere, nequit de consequenti eas non amare amore complacentiae: at cum haec necessitas sic amandi sit dumtaxat consequens, non tollit libertatem antecedentem divinae voluntatis in operationibus *ad extra* (1).

---

verum est dumtaxat quando sermo fit de libertate in genere spectata, et pro dominio suorum actuum, sive pro virtute eligendi simpliciter sumpta. Nam in homine pro praesenti statu, praeter libertatem *contradictionis* seu potentiam expeditam volendi aut non volendi, et *specificationis* sive potentiam hoc potius quam aliud bonum volendi, pertinet quoque ad libertatis essentiam libertas *contrarietatis*, sive potestas ad oppositum tendendi ac deficiendi, vel respuendo bonum praeceptum, quod proinde morali necessitate erat amplectendum, vel amplectendo malum (semper tamen sub aliqua boni specie) prohibitum, quod morali necessitate erat vitandum. Potestas haec seu facultas *contrarietatis*, fundatur in essentiali limitatione mentis humanae, quae est subjectum dominii suorum actuum, potestque apprehendere bonum sub ratione mali, et hoc sub ratione alicujus boni, quod in Deo, ut patet, locum habere nequit: est igitur homini ita essentialis libertas *contrarietatis*, sive potentia deficiendi, sicut est essentialis mentis limitatio. Apposite autem dicimus, potentiam deficiendi sive defectibilitatem libertatis esse homini essentialem non autem actualem defectum; nam revera et defectibilitas potest consistere sine actuali defectu voluntatis, haud secus quam fallibilitas intellectus potest esse sine actuali errore; et hic defectus voluntatis non sequitur nisi ex abusu dominii suorum actuum, quem abusum Deus reprobat et non vult, quamvis ipsius dominii sit auctor. Quod postremum probe advertas velim, utpote necessarium ad solvendas difficultates in quaestione cum Manichaeis.

(1) Perspicue ut solet hanc rem declaret S. Thomas *summae theolog.* 1. part. quaest. 19. articul. 3. in corp. inquiens· *Necessarium dicitur aliquid dupliciter; scilicet* ABSOLUTE *et* EX SUPPOSITIONE. *Necessariam absolute judicatur aliquid ex habitudine terminorum; utpote quia praedicatum est in definitione subjecti; sicut necessarium est hominem esse animal: vel quia subjectum est de ratione praedicati, sicut hoc est necessarium numerum esse parem vel imparem; sic autem non est necessarium Socratem sedere Unde non est necessarium absolute, sed potest dici necessarium ex suppositione. Supposito enim quod sedeat, necesse est eum sedere, dum sedet.*

Circa divina igitur volita hoc considerandum est, quod aliquid Deum velle est necessarium absolute; non tamen hoc est verum de

Digitized by Google

62. Probatur itaque prima pars propositionis: 1°. Libertas ut eam explicavimus, dicit meram realitatem; nequit igitur non esse in ente perfectissimo. 2°. Quia secus inveniretur in creaturis perfectio simplicissima, quae in Deo formaliter deesset. 3°. Quia immediate consequitur summam intelligentiam, cujus est agere propter finem: inter fines autem non necessarios et variabiles in infinitum unum alteri praeferre sibique proponere, est opus voluntatis liberae. 4°. Voluntas divina vel esset determinata ad volendum absolute, id est, ad agendum quantum potest sine limitatione, et tunc virtus intensive et extensive infinita, da extremum potentiae suae deberet pertingere, quod repugnat; vel tantum esset determinata cum limitatione, et tunc cum a se non limitaretur, et natura producibilium antequam existant, sit nihilum per se indifferens ad quamcumque determinationem, poni deberet aliquid Deo extrinsecum a quo determinaretur et penderet; quod iterum repugnat. 5°. Pulcherrime arguit Suarez (1): *Posse unumquodque amare juxta mensuram vel proportionem suae bonitatis, magna est perfectio: sicut ergo necessario amare necessarium bonum magna perfectio est, ita bonum non necessarium non necessario amare, sed pro judicio rationis et dominio libertatis, magna perfectio est; non potest ergo Deo denegari.* 6°. Voluntatis bene ordinatae tendentia sequitur dictamen intellectus: ergo sicut summa perfectio intellectus est, cognoscere bonum non necessa-

---

omnibus, quae vult. Voluntas enim divina necessariam habitudinem habet ad bonitatem suam; quae est proprium ejus objectum. Unde BONITATEM SUAM ESSE DEUS EX NECESSITATE VULT, *sicut et voluntas nostra ex necessitate vult beatitudinem; sicut et quaelibet alia potentia necessariam habitudinem habet ad proprium, et principale objectum, ut visus ad colorem, quia de sui ratione est, ut in illud tendat. Alia autem a se Deus vult, in quantum ordinantur ad suam bonitatem, ut in finem. Ea autem, quae sunt ad finem, non ex necessitate volumus volentes finem, nisi sint talia, sine quibus finis esse non potest: sicut volumus cibum, volentes conservationem vitae, et navem, volentes transfretare. Non sic autem ex necessitate volumus ea, sine quibus finis esse potest, sicut equum, ad ambulandum, quia sine hoc possumus ire; et eadem ratio est in aliis. Unde, cum bonitas Dei sit perfecta, et esse possit sine aliis, cum nihil ei perfectionis ex aliis accrescat; sequitur, quod* ALIA A SE EUM VELLE NON SIT NECESSARIUM ABSOLUTE, ET TAMEN NECESSARIUM EST EX SUPPOSITIONE. *Supposito enim quod velit, non potest non velle, quia non potest voluntas ejus mutari.*

(1) *Metaph.* part. 2. disp. 30, sect. 16.

rium ut non necessarium, ita a pari summa perfectio voluntatis est, amare bonum non necessarium seu contingens ut non necessarium sive non necessario; sed amare non necessario idem est, ac amare libere; ergo ad rationem summae perfectionis divinae voluntatis pertinet amare bona contingentia libere, sive gaudere libertate.

63. Propositio demonstrata evidens est; modus tamen componendi divinam libertatem cum immutabilitate et necessitate ejus naturae, est mysterium excedens limites nostrae rationis, in quo utcumque declarando viri doctissimi plurimum ingenia sua torserunt. Difficultas in eo sita est, quod actus, e. g. quo Deus amat et vult creaturas, est idem, quo vult et amat seipsum, sive est idem ac ipse Deus, ac proinde aeque ac ipse necessarius et immutabilis: ex altera vero parte natura actus liberi est, ut possit esse et non esse, et quidem sub eo respectu sub quo est liber; liber est autem intrinsece, quia libertas est actio vitalis; ergo sub hoc respectu debet posse non esse; ergo aliquid Deo intrinsecum nec est necessarium, nec immutabile; ergo libertas pugnat cum his perfectionibus divinis.

Melius prae caeteris difficultatem solvunt, qui in actu libero divinae voluntatis distinguunt *entitatem* a *terminatione*, uti alias jam indicavimus (1). Ex hoc patet, quomodo actus liber in Deo possit esse et non esse, non quidem *entitative*, sed *terminative*, seu ratione habitudinis, quam illud internum dicit ad externum, nempe ad creaturas, ad quas terminatur; haec autem habitudo terminationis objective spectata, non est quid necessarium, et immutabile; salva igitur necessitate et immutabilitate divinae naturae poterat abesse. Sapienter autem advertit Suarez (2), libertatem divinam non posse spectari ut potentiam indifferentem ad actum, sed ut actum indifferentem ad objectum (3).

---

(1) Art. 2. prop. 1. huj. cap. n. 38.

(2) Loco nuper indicato, sect. 9.

(3) Perfectior est actus quam mera potentia, cui certe per actum aliquid adjicitur; hinc libertas Dei nequit spectari tamquam potentia indifferens ad hunc vel illum actum, sicut accidit in creaturis, secus Deus successive mutaretur et perficeretur, vel saltem posset habere aliquid minus perfectum, quod ab alio perfectiori complementum acciperet. Cum itaque Deus non sit aliud quam simplicissimus actus, et quidquid in ipso est, non nisi in actu sit, libertas quoque ejus non in alio constituenda est, quam in simplicissimo divinae voluntatis actu indifferenti ad objectum seu bonum contingens, quatenus nempe ipse in se semper idem absque ul-

64. Neque dicas, hac ratione totam libertatem constitui in aliquo extrinseco: siquidem juxta dicta constituitur in relatione intrinseci ad extrinseca terminati.

Si iterum opponas, ad libertatis essentiam spectare, posse velle quod noluimus, nolle quod voluimus; respondemus negando. Essentia namque libertatis salvatur in posse velle, non velle, aut nolle, antecedenter ad determinationem factam: hanc enim mutare fit tantum in creaturis, ex quo per successivas determinationes agunt, idemque objectum sub mutabili bonitatis specie apprehendunt. Dei igitur libertas in eo consistit, quod scilicet quidquid voluit relate ad res externas in *signo priori* ad determinationem, poterat prorsus non velle, vel alia ratione velle, licet, supposita determinatione ab aeterno facta, nequeat ob suam immutabilitatem amplius non velle quod semel voluit, aut velle quod noluit.

Instabis I°. Ergo Deus in eo quod semel decrevit, immutabiliter permanet; ergo immutabilitas perpetua tollit libertatis usum.

Resp. *Nego* ultimum *conseq*, Usus libertatis in Deo est unicus in aeternitate, in qua simul de omnibus deliberat, et cum hoc usu non pugnat immutabilitas: licet enim utrumque ordine durationis sit simul, ordine tamen rationis, sive *prioritate signi*, usus libertatis antevertit immutabilitatem, sicut ipsum usum antecedit indifferentia activa electionis; ergo licet nequeat amplius nolle quod semel voluit, minime sequitur non potuisse antecedenter nolle quod voluit, aut velle quod noluit.

Instabis II°. Ergo Deus fuit quidem liber, sed *nunc* amplius non est, quia nequit velle quod noluit, etc.

Resp. *Nego sequelam*. Relate ad Deum non datur prius et posterius, praeteritum et futurum, quatenus opposita praesenti; cum ejus duratio successionem excludat, sitque semper eadem, et idem ac pro nobis instans; ergo aeque semper debet dici liber. Quod si illud *nunc* relate ad nos spectetur, fatemur quidem Deum non amplius velle, quod semel noluit, et vicissim: at necessitas ista utpote consequens liberam determinatio-

---

ta sui mutatione, ad hoc potius quam ad aliud bonum finitum pro lubitu fertur sive terminatur, vel potest terminari, secus ac dum fertur sive terminatur, ac respicit se ipsum, id est, bonum infinitum, quod necessario prosequitur: licet itaque idem sit actus, quo Deus vult et amat se ipsum, cum illo quo amat et vult creaturas, diversa tamen ratione utrumque perficitur, pro diversa conditione utriusque objecti.

nem, libertati non adversatur. Hinc probatio sequelae distinguatur; quia nequit velle quod noluit, de consequenti, et in sensu composito determinationis, *conc.* antecedenter, et in sensu diviso, *nego.*

Absolute autem negari debet, si quis dicat, quod natura libertatis postulet *posse de novo aliquid velle.* Hoc siquidem locum non habet nisi antecedenter ad determinationem, vel in libertate creaturae, quae potest mutare consilium, et de potentia transire in actum: Deus autem ad novum opus non novum, sed sempiternum adhibet consilium, et, ut ait S. Augustinus (1): *Opera mutat, nec mutat consilium.*

Instabis III°. Deus omnia vult propter se, atqui se ipsum vult necessario; ergo et omnia alia.

Resp. *Dist. maj.* propter se tamquam finem ultimum, et ex hypothesi, quod attributa sua ad extra manifestare voluerit, *conc.* tamquam objectum immediatum et absolute necessarium, *nego*; et concessa minori, *nego conseq.* Verum quidem est, quod si Deus aliquid *ad extra* facere velit, nonnisi propter manifestationem suorum attributorum velle possit, tamquam finem ultimum se ipso dignum: sed cum manifestare attributa sua *ad extra* nulla ratione teneatur, hinc res externas non vult tamquam objectum immediatum et absolute necessarium, sed hypothetice tantum: hypothesis autem ista non inducit, nisi necessitatem consequentem (2).

ARTICULUS V.

DE UNITATE DEI, EJUSQUE BONITATE COMPONENDA CUM PERMISSIONE MALORUM

65. In prima hujus articuli quaestione directe aggredimur omnes polytheistas, qui miram admodum Deorum multitudinem commenti sunt. Porro turpissimum hunc errorem non ex consensu communi (3), verum ex indubiis rationis principiis con-

---

(1) *Confession.* lib. 1. cap. 4.

(2) Vide notam 2. n. 61. adjectam.

(3) Fatendum enim est consensum communem, licet non uniformem nec in rationali natura fundatum, pro polytheismo extitisse: sed cum consensus per se non sit regula veritatis, et vox naturae rationalis semper illi opposita fuerit (polytheistae enim in casibus inopinatis non Jovem, aut

vellemus, unde appareat manifestae impudentiae reos fuisse polytheistas (1).

Deos plurimos, sed Deum simpliciter invocabant, quod Tertullianus *testimonium animae naturaliter Christianae* appellat), difficultas ex hoc desumpta nullius foret ponderis.

(1) Qui ex consensu populorum unitatem numericam divinae naturae, sive unum Deum esse, evincere satagunt, id insufficienter, aut etiam erronee probant. Insufficienter imprimis: nullum enim monumentum historicum adferunt, quo ostendant vel paucas saltem nationes unitatem Dei agnovisse: deinde, neque exclamationes illae, quibus polytheistae in casibus inopinatis Deum simpliciter invocabant, utpote quae raro admodum fiebant, neque sapientiorum philosophorum persuasiu quidquam probant; etsi namque philosophi etiam omnes usque ad unum hac in re unanimes fuissent, consensum populorum moraliter universalem, ut patet, nequaquam constituissent. Praeterea persuasio sapientiorum philosophorum ex perfectiori rationis cultura potius, quam ab invincibili naturae propensione dimanasse dicenda est: et aliunde, si invincibilis rationalitatis propensio ad agnoscendam Dei unitatem haberetur, incredibile quin et impossibile foret cognitionem hanc potuisse apud omnes nationes prorsus obliterari; quod certe non accidit circa illas morales veritates, quae communi populorum consensu solent probari. Erronee tandem procedunt, qui id ipsum eruere arbitrati sunt ex eo, quasi nampe polytheistae sub moltiplici specie sive diversis typis, quibus suas divinitates exhibebant, non nisi unum supremum ac verum Deum venerarentur. Quid namque magis absonum, quam ideam unius supremi Numinis cum tot absurditatibus polytbeismi velle in eadem polytheistarum mente sociari? Num omnia haec, quae de deorum gentilium connubiis, generationibus, certaminibus, vitiis, ac nefandissimis sceleribus feruntur, nec non de divisione imperii in res mundanas, possunt revocari ad mythos et allegoricas poëtarum locutiones, quin vulgi mentem de veritate eorum persuasio invaderet? Nonne vulgus juxta hujusmodi persuasiones cultum ac invocationes divinitatum, modumque procedendi in suis actionibus dirigebat? Quod si ita est, divinitates polytheistarum non erant certe typi unius veri Dei.

Insuper, haec sententia manifeste adversatur sacris litteris quae passim numina ethnicorum appellant, falsos deos, daemonum simulacra, eos a vero Deo distinguunt, etc. quin ipsos Israelitas de vera idololatria ac polytheismo, tam sub Aarone quam sub Ieroboamo admisso, coarguunt. Quod autem polytheistae quasi semper numen aliquod caeteris praestantius ac veluti patrem admiserint, id dumtaxat palam facit eos imperfecte ac indirecte, atque aliud prorsus agentes monarchiam Dei tacite subindicasse, habuisseque si rectam rationem consuluissent sufficiens motivum hanc veritatem inquirendi, atque sine magno labore detegendi. Haec autem confirmantur quoque ex S. Justino (cui suffragantur Tatianus, Clemens Alexandrinus, Eusebius, aliique vetustiores Christiani apologistae, ut videre est in notis apud Maranum), qui in opere inscripto: *De Monarchia*, quamvis omnium diligentissime monumenta veterum collegerit, ex his tamen nihil aliud erui posse statuit (§ 1.), quam quod genus humanum universaliter in polytheismum prolapsum, potuerit vel ab ipsis propriis do-

Digitized by Google

In altera autem quaestione declarabimus, ostendendo absurditatem doctrinae Manichaeorum de duobus principiis bono nempe et malo, putidum hoc commentum nulla ratione fulciri, sicut vellet Bayle, ab existentia malorum hujus mundi: eorum enim permissio, si rectum de ipsis conceptum habueris, minime pugnat cum bonitate unius Dei.

Porro *unum* duplici potissimum significatione dicitur: 1°, per *affirmationem*, et indicat determinationem entis per quam constituitur indivisum in se et divisum a quolibet alio, etiam ejusdem specificae naturae; 2°. per *negationem* sive *exclusionem*, et innuit exclusionem consortii cujuslibet, quod sit illi enti quoad entitatem utcumque aequale. De hac postrema unitate seu potius *unicitate* quaeritur, sit ne Deus natura et essentia unicus? Haec autem unitatis acceptio differt ab unitate aggregati, indivisibilitatis physicae et absolutae, de quibus fuit sermo in Ontologia (1), et per eam non solum distinguimus unitatem divinae naturae, ab unitate nuper dicta per *affirmationem*, sive sumatur pro generica sive specifica et individuali, verum etiam ab unitate per *negationem* seu *unicitate*, quae tribui solet humanae etiam naturae, generice vel universaliter spectatae, dum negatur vel excluditur specifica hominum differentia pro diversitate regionum vel conditionum, aliarumque accidentalium qualitatum: haec namque *unicitas* non excludit, quin potius supponit partitionem ejusdem naturae inter plura individua, totalitate sui *esse individualis* ac numerici distincta et diversa. Haec partitio naturae, ac proinde distinctio et multiplicitas, haberetur pariter inter entia, quae forent *perfecte similia*: etenim ex eo quod singula eorum totaliter ac *divisim* participarent eamdem naturam, tolleretur ab ipsa unitas numerica atque identitas, et constitueretur quid pluribus *divisim* commune, seu universale, id est, *unum aptum inesse multis et praedicari de multis divisim*. Verum hoc de divina natura non tantum in se, sed etiam relate ad tres personas (quas esse in Deo ex revelatione novimus), minime dici potest: singulis enim personis *identice* tribuitur, estque in se *una* eademque *numero*, excludens quamcumque partitionem, seu pluries etiam ad aequalitatem acceptionem.

---

cloribus et poëtis insipientiae et gravissimi erroris coargui. Consuli pariter hac de re possunt libri tres Hermanni Wits, quorum titulus *Ægyptiaca*, apud Blasium Ugolini, tom. 1. *Thesauri antiquitatum sacrarum*.

(1) Art. 4. n. 42.

PROPOSITIO I.

Unica est tantum nec multiblicabilis divina natura, seu unus est Deus

66. Probatur 1°, ex notione entis necessarii. Si plura entia necessaria existerent, eorum non-existentia repugnaret; unumquodque enim ita *a se* deberet existere, ut manifeste repugnaret illud non existere. Rursum, cum ens necessarium ex sui natura sit independens sibique ad existendum sufficiat, evidenter possibile est quod unum tantum existat, ergo evidenter nulla haberetur repugnantia quod plura non existant; ergo repugnaret et non repugnaret eorum non-existentia; ergo vel unum tantum est ens necessarium, vel nullum. Enimvero, ut ait Tertullianus (1), *Deus si non unus est, non est; quia dignius credimus non esse, quodcumque non ita fuerit, ut esse debebit.*

Probatur 2°, ex summa perfectione Dei. Deo nihil melius esse potest; ergo parem habere nequit: summum enim non est cui aliquid adaequatur; si duo essent neutrum summum esset, quia neutrum altero majus esset, et illud quod utroque majus esset, necessario Deus esset; melius siquidem utroque esset, quia melius est non habere parem quam habere; melius est alia omnia intra se quam juxta se habere. Egregie hoc exponit Tertullianus inquiens (2): *Quae erit jam conditio ipsius summi magni? Nempe, ut nihil illi adaequetur; id est, ut non sit aliud summum magnum; quia si fuerit, adaequabitur; et si adaequabitur, non erit jam summum magnum, eversa conditione, et, ut ita dixerim, lege, quae summo magno nihil sinit adaequari. Ergo unicum sit necesse est, quod fuerit summum magnum, par non habendo, ne non sit summum magnum.*

Probatur 3°, ex ordine physico hujus mundi. Ordinata rerum omnium dispositio et apta totius mundi per leges stabiles determinatio, sicut existentiam, ita et unitatem supremae causae intelligentis indicat. Si enim plures forent, et tamen in unitatem ordinis et dispositionis convenirent, una ab altera penderet, nec

(1) *Contra Marcionem* Lib. I. cap. 2.
(2) Ibidem,

Digitized by Google

proinde essent independentes: si vero non convenirent, non haberetur ordo. Simili ratione urget Gentiles S. Athanasius: *Siquidem ipse dispositionis ordo,* inquit, *omniumque partium concors conspiratio, non multos, sed unum mundi Deum et moderatorem Verbum esse manifeste ostendit. Nam si plures mundo praeessent, ordo ille servari non posset, sed omnia confusione plena essent, dum unusquisque omnia ad suum arbitrium traheret, et adversus alium pugnaret.*

67. Opponunt I°. Unitas non dicit perfectionem, cujus defectu ens non amplius foret summe perfectum. Nam 1°, pluralitas entium summe perfectorum importat tantum in singulis carentiam differentiae individualis, seu perfectionis *secundum quid*; summa autem perfectio oritur ex perfectionibus *simpliciter simplicibus*. 2°. Summa perfectio tollitur a perfectione majore, non vero ab aequali; ergo cum individuatio foret in singulis aequalis, omnia forent summe perfecta.

Resp. *Nego ant.* in sensu propositionis, et ratio desumatur ex prima et secunda probatione. Advertimus porro, cum per hanc pluralitatem tollatur ipse conceptus absolutae necessitatis, quae certe est perfectio *simpliciter simplex*, quod hoc ipso periret summa perfectio, quia periret exigentia infinitatis.

Ad 1^m *probat Dist. maj.* pluralitas importat tantum in singulis carentiam perfectionis *secundum quid*, directe, *trans.* indirecte, *nego*; et absolute negatur minor. Carentia differentiae individualis indirecte tollit naturae unitatem, quae in ente necessario est perfectio *simpliciter simplex*: ergo licet in se differentia haec foret tantum perfectio *secundum quid*, nequit ejus defectus supponi. Hinc negavimus absolute minorem; nam summa perfectio requirit aut formaliter aut eminenter omnes possibiles perfectiones: in hypothesi autem plurium summe perfectorum nullum eorum contineret formaliter id, per quod alia ab ipso distinguerentur, secus non foret ab illis distinctum; neque contineret eminenter; alioquin haberet excellentiorem aliquam prae ceteris perfectionem, ac proinde cetera forent jam minus perfecta.

Ad 2^m. *Dist. ant.* summa perfectio non tollitur ab aequali, si aequalitas cadat in personam, *trans.* si in naturam, *nego*; quia hac suppositione facta, ut patet ex altera probatione, periret summa perfectio. Si vero aequalitas cadat in personas distinctas ejusdem numero naturae, omisimus; quia adversarios non juvat. Scimus quidem ex Fide, tres esse in Deo personas

distinctas et aequales, sed aliud est esse personam, aliud esse naturam, et ex eadem Fide novimus, eas esse in una eademque numero divina natura.

Hinc, si quis diceret tres sunt personae divinae summe perfectae et necessariae; ergo possunt esse plura entia summe perfecta et necessaria: *dist. ant.* tres sunt personae in una tamen eademque numero natura, *conc.* in natura distincta, *nego*, et sub hac distinctione *nego conseq.* Urgenti autem: si possunt esse tres personae summe perfectae et necessariae, possunt et naturae; respondebis: si pro ratione personae multiplicaretur natura, *conc.* secus, *nego*: scimus autem ex Fide divinam naturam ratione trium personarum non multiplicari, talemque multiplicationem ab ipsa ratione respui; praesertim cum persona sit tantum modus naturae,

Ex responsis datis colligitur 1°: Æque absurdum esse si quis diceret, differentiam inter plura summe perfecta esse tantum numericam; nam etiam haec inferret multiplicationem naturae summe perfectae, quod repugnat. 2°. Nihil valere paritatem sumptam a contingentibus, quae possunt esse aeque perfecta in eadem specie, et solo numero differre. Nam in contingentibus perfectio limitata, sicut superari aut superare, ita etiam aequalis aliis esse potest: e contra in ente summe perfecto aequalem etiam *non posse* habere, pertinet ad absolutam ejus naturae perfectionem. Praeterea si vel unam infinite perfecti ac absolute necessarii possibilem multiplicationem supponas, tamquam ex constitutivis ejus naturae dimanantem, cum tale ens debeat habere quidquid potest habere (secus non esset infinite perfectum), jam posset rectissime evinci actualem dari; et exigentiae actu infinitae non poteris satisfacere nisi per actu infinitam summe perfectorum multiplicationem seu multitudinem; quod profecto summa absurditas est. Ex hoc autem patet, quod alias (1) indicavimus, non solum pro statu *physico*, sed etiam *logico* seu *intelligibili*, non posse esse aliquid actu infinitum praeter Deum, seu ens summe perfectum: cum autem aeternitas propriae dicta sit consequens actualem infinitatem, uti probatum est superius (2), manifestum est quoque, non posse pariter pro statu etiam *logico* esse aliquid aeternum praeter Deum, sicut ibidem in Ontologia supposuimus.

(1) *Ontolog.* art. 2. n. 16. et ibidem in nota.
(2) Art. 2. prop. 2. n. 24. hujus cap.

Digitized by Google

Instant. Unitas in Deo imperfectionem involvit, quia dicit solitudinem: solitudo enim est imperfectio. Deinde quia adversatur summae divinae bonitati, cujus est esse summe diffusivam sui; ergo.

Resp. *Nego. ant.* Ad 1^m *prob. Dist. min.* Solitudo est imperfectio in ente finito, *trans.* in infinito, *nego:* solitudo relate ad ens finitum, est privatio alicujus boni, quod ex aliorum consortio haberi potest, ideoque imperfectio: non ita tamen relate ad ens perfectissimum, quod sibi soli sufficiens nullo bono carere potest defectu consortii.

Ad 2^m. *Nego ant. Dist. prob.* esse summe diffusivam sui *ad intra, conc.* vel *trans, ad extra, nego.* Ex eadem summae bonitatis notione sequitur, ens omne bonum in se complectens non egere alia natura sibi extrinseca, a qua utcumqne perficiatur; secus non jam esset summe perfectum: ergo non debet se summe diffundere *ad extra*: et insuper quia id quod per hanc diffusionem *ad extra* naturam distinctam a primo haberet, non esset ens a se, nec proinde Deus. Relate ad diffusionem *ad intra*, nihil de ejus modo ex ratione certo colligitur: theologi Dogmatici quidem ea utuntur ad concipiendum utcumque mysterium SS. Trinitatis cognitum ex Fide; at ex Fide constat, et iidem theologi docent, ex Trinitate personarum in Deo naturam divinam non multiplicari.

68. Opponunt II°. Concipiendo plures deos eo modo, ut unus sit supremus, poterunt dari plures divinae naturae. Deinde multa leguntur patrata miracula a diis Gentilium, ut morbi depulsi, futura praedicta, etc. ergo erant verae divinitates.

Resp. ad 1^m. *Nego ant.* Hoc ipso ceteri dii forent minus perfecti; et a primo dependentes, ac proinde non dii.

Ad 2^m dicimus: plura hac de re narrata partim ficta sunt, partim poterant esse naturales effectus, partim daemonum industriae tribuenda; qui cum *nocere desinunt, sanare videntur*, ut ait Tertullianus. Nonnunquam etiam a Deo auctore procedebant, haud quidem ad confirmationem superstitionis, sed ad commendationem alicujus virtutis (1). Videantur hac de re Huet (2), Valsechi (3), aliique.

(1) Haec postrema animadversio respicit facta illa, quae de virginibus Vestalibus narrantur, eas scilicet, ut integritatem propriam, dum in dubium vocabatur, probarent, interdum baerentem navem cingulo traxisse, cotem novacula secuisse, ut refert Valerius Maximus (Lib. VIII, cap. V.); vel ut alii volunt, ignem quoque illaesas nonnunquam transiisse.

(2) *Demonstrat. evang.* Prop. IX. cap. 39.

(3) *Fondam. della relig.* lib. 2. cap. 16.

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

Hypothesis Manichaeorum intrinsece repugnat, inutilis est ad finem, ad quem assumitur, nec sufficienter Baylii commentis fulcitur: mala enim hujus mundi cum bonitate divina recte intellecta minime pugnant

69. Cum malum non sit nisi privatio alicujus boni, nequit esse nisi in aliquo subjecto bono; ergo sicut majus malum est privatio boni majoris, ita summum malum esset privatio omnis boni sive realitatis; ergo principium summe malum esset *summum nihil*: ergo esset et non esset principium, quod intrinsece repugnat. Videatur hac dere S. Augustinus (1), qui pluribus ostendit, nullam mali esse substantiam atque naturam, nullamque posse esse naturam summme malam, quae perhiberetur tamquam substantia Deo contraria.

Deinde inutilis est hypothesis ista ad finem intentum ; non explicat enim quare sunt in mundo mala mixta bonis. Nam vel supponerentur haec duo principia viribus aequalibus praedita, vel inaequalibus: si primum, quantum boni ab uno produceretur, tantum destrueretur ab alio, et vicissim ; unumquodque siquidem necessitate suae naturae operatur; ergo neque bonum neque malum foret in mundo: si alterum, jam alterutrum praevaluerit, aut solum bonum aut solum malum, ob eamdem rationem, deberet existere in mundo.

Neque cum Bayle contendas, foedus inter haec duo principia iniri: vi cujus utrumque nonnihil de jure proprio in gratiam alterius remittit; unde permixtio bonorum malorumque habeatur. Nam imprimis, hoc est contrarium naturae utriusque suppositi principii ; deinde, si principium summe bonum de jure proprio remittendo, ut fiant mala, non desinat esse summe bonum, ergo etiam absque consortio principii summe mali non desinet esse bonum, permittendo mala in mundo. Insuper hypothesis ista Manichaeorum refellitur quoque omnibus argumentis in prima propositione allatis (2).

---

(1) *De Morib. Manichaeor.* Lib. 2.

(2) In sententia Manichaeorum, natura utriusque eorum principii talis est, ut unumquodque quantum in ipso est non nisi effectus propriae

Digitized by Google

70. Putat Bayle, Manichaeorum sententiam vehementer fulciri a posteriori, sive ab existentia malorum in mundo quamvis a priori, non sit satis firma: rationes enim, inquit ille, quae solent afferri, cur Deus summe bonus malum praesertim morale permittat, nullius sunt momenti, easque singillatim refellere conatur (1). Qui rationes positivas hujus permissionis assignare student, pluribus difficultatibus urgentur, et tandem coguntur fateri, sibi impervias esse adaequatas hujus permissionis rationes. Si vero dicatur, positis demonstratione unitatis Dei et absurditate doctrinae duorum principiorum nos non teneri rationes positivas assignare, cur Deus summe bonus permittat malum praesertim morale, omnium maxima ratio, quae litem quamcumque dirimit, sita erit in hoc: Deus permittit malum, *quia non tenetur illud impedire*.

Antequam autem hoc ostendamus, sciendum est, non hic agi de bonitate Dei *ad intra* et methaphysica, quae identificatur cum summa perfectione Dei, sed de bonitate *ad extra* et benevolentia, sive potius beneficentia, qua Deus vult et facit bonum creaturis, quae, quamvis fluat a priori ex summa perfectione Dei (est enim perfectio simplex), ostenditur tamen etiam a posteriori, tam ex eo quod experiamur in nobis desiderium perfectae felicitatis, mediisque ad eam consequendam simus instructi, quam ex eo quod relationes quas nobiscum habent plurima hujus mundi entia, evidenter evincant ea in nostrum commodum et utilitatem, atque in prae-

---

naturae consentaneos praestare conetur: cum hoc autem conatu necessario nequit simul consistere, ut per se patet, supposita hypothesis foederis initi. In praecedenti propositione ostendimus repugnare, ut ens summe perfectum, absolute necessarium, et ordinis hujus mundi auctor, non sit dumtaxat unicum, ideoque hypothesis duorum summorum principiorum vel ex hoc tantum sufficienter refellitur.

(1) Doctrina de unitate Dei, et de repugnantia duorum principiorum, usque ad evidentiam et quidem a priori probata, nequit a posteriori, sive ab existentia malorum, quamvis de his nullam sufficientem possemus assignare rationem, in dubium revocari, aut inde, sicut vellet Bayle, Manichaeorum sententia fulciri. 1° quidem, quia veritas veritati nequaquam adversatur; 2°, quia doctrina certa et invictis argumentis firmata, solidis dumtaxat rationibus, si unquam tales adfuerint, non vero hypothesibus arbitrariis et intrinsecus repugnantibus, labefactanda est; 3°, quia ignorantia rationum, si quae essat, cur unicum principium summe bonum mala in mundo esse sinat, nullum jus tribuit, hypothesim undequaque absurditatibus scatentam admittendi, sed motivum dumtaxat suppeditat propriae mentis imbecillitatem fatendi.

Digitized by Google

sentis vitae honestam et jucundam, quamvis transeuntem felicitatem ordinata fuisse. Deus itaque sufficienter beneficentiam suam erga creaturas manifestavit, neque ei adversatur permissio malorum, *cum haec impedire non teneatur.*

71. Obligatio impediendi haec mala desumeretur ex parte creaturae, vel ex parte Dei: non primum, quia mala physica cum reducantur ad corruptionem et destructionem entium materialium, et ad affectiones ingratas et molestas animae nostrae, fundamentum agnoscunt in ipsa natura et limitatione ac contingentia hujusmodi entium, sive in ipso malo metaphysico, quod constituitur per *defectum ulterioris perfectionis*: sicut igitur nulla creatura potest exigere ulterioris perfectionis gradum, aut aliquid excedens aptitudinem suae naturae, ita nec immunitatem a malo physico postulat. Atque in hoc ipso fundatur quoque possibilitas mali moralis, seu *deficientiae a regula morum*; existentia autem ejusdem sita est in solo abusu libertatis; ut inferius videbimus. Deinde ratione poenae, quae malum morale subsequitur, non tenetur Deus illud impedire, si homo poena affectus nequeat juste conqueri de Deo; atqui ita est; cum et potentia agendi oppositum et cognitione damni non fuerit destitutus, lubensque et volens egerit contra manifestum rationis dictamen.

Non alterum, cum nec bonitas nec sanctitas, nec sapientia, nec justitia, quae sunt attributa Dei relativa, hac in re locum habentia, id exigant. Siquidem bonitas *ad extra* consistit in velle et tribuere bonum: non impeditio mali minime tollit bonam voluntatem divinam, non retardat beneficia entium naturae debita et convenientia hominemque non retinet, quin potius stimulat, ad percipiendos eorum fructus. Sanctitati non opponitur nisi intrinseca culpae inordinatio, quam et a se excludere, et in aliis sufficienter reprobare debet: ergo cum actualis non impeditio mali moralis cum intrinseca et extrinseca ejus improbatione sit consociabilis, sanctitas non infert obligationem illud impediendi. Sapientia infinita, quae miro ordine fines intendit, intentosque obtinet, cum permissione culpae conciliatur; siquidem a potentiis ad utrumque extremum indifferentibus, ex electione et mera benevolentia tot virtutum fructus obtinet, qui sunt ornamentum ordinis moralis. Justitia demum, quae pro ratione meriti vel demeriti praemium aut poenam decernit, permissione malorum non laeditur; quia objectum sibi non facit, sed praesupponit; et ex se indifferens est ad remunerationem potius quam

16

Digitized by Google

ad vindictam: quia ex prima divinae mentis intentione ad illam praevisa ordinationem habuisse dicenda est; ut nihil denique dicam de misericordia, immutabilitate, quae integrae remanent sub permissione malorum; ergo Deus non tenetur impedire mala.

72. Contra hanc expositionem ita objicitur: sententia haec *non tenetur impedire*, utpote quid *negativum*, nequit esse ratio formalis permissionis malorum, sive actus vel decreti divinae voluntatis, quod est *positivum*: ergo quaerenda est ratio positiva. Praeterea Deus non permisisset mala, si nesciret ex his eruere bona; ergo haec est vera ratio permissionis malorum (1).

Resp. ad 1^{m}. *Dist. ant.* nequit esse ratio formalis actus ut *actus* est, *trans.* ut *talis* actus non repugnans, *nego;* et *nego conseq.* Non quaeritur ratio formalis actus divinae voluntatis; sed quaeritur, quare talis actus non repugnet? Sicut autem generaliter verum est, duas esse tantum rationes ob quas Deus nequit aliquid efficere, vel quia res in se repugnat, vel saltem quia repugnat cum perfectionibus divinis; ita etiam cur Deus non debeat aliquid agere, id est, velle (Dei enim *agere* est *velle*), duae sunt rationes, aut quia simpliciter non potest, aut quia quamvis possit, tamen nullam habet obligationem agendi ortam ab exigentia aliorum attributorum; ergo quia malum praesertim morale Deus simpliciter posset impedire, et tamen non impedit, nulla alia ratio cum fundamento assignari potest non repugnantiae hujus permissionis, sive hujus actus quo non vult impedire malum, nisi quia non tenetur. Praeterea ratio haec, *non tenetur*, relate ad actum divinae voluntatis aequivalet huic positivae rationi: Utor mea libertate in permittendo seu non impediendo malo, quia nullam habeo obligationem (id est, *non teneor*) oppositum volendi: optime enim hic actus voluntatis meae cum perfectione ceterorum attributorum congruit.

Ad 2^{m}. *Dist. ant.* si nesciret ex his eruere bona de consequenti, *conc.* a priori, *nego*; et *nego conseq.* Nullus eventus hujus mundi, sive positive sive permissive a divina voluntate dependens, potuit non esse ad aliquem finem subordinatus; hoc e-

(1) Adverte, difficultates hujusmodi non esse Manichaeorum, verum illorum e Philosophis, qui juxta communiorem agendi rationem putant se posse, quin imo debere assignare positivas permissionis malorum rationes, sive causas.

nim pugnaret cum sapientia divina: ergo revera, si Deus praevidisset se non posse vel nescire aliquod malum ad finem subordinare, nunquam illud fieri permisisset. At hoc est de consequenti, dato scilicet, quod aliquod malum fieri permittat, scit ex illo aliquod eruere bonum, non autem ideo permittit illud ut hoc eruat, quod esset a priori tamquam motivum ipsius permissionis, quodque negamus. Nam generaliter verum est, in malis praesertim moralibus: *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona;* et nullum concipi potest naturale bonum, quod non solum dignitate sua excedere, sed ne aequare quidem valeat turpitudinem unius mali moralis.

Praeterea omnes aliae rationes, scilicet: *Deus permittit malum, ut manifestet justitiam in puniendo, misericordiam in parcendo, ut eruat virtutum actus a resipientibus, ab injuste oppressis,* etc. spectandae sunt tantum de consequenti, supposita nempe permissione malorum: secus vim magnam haberent ea, quae contra hujusmodi rationes oggerit Bayle ex comparatione regis terreni, patris-familias, aliorumque: contra vero corruunt statim, si dicas, ideo Deum permittere mala, *quia non tenetur impedire,* sicut tenentur, quantum in ipsis est, rex, gubernator, pater-familias, aliique (1).

---

(1) Ad singulas hasce aut similes positivas rationes in promptu sunt haud contemnendae responsiones, sive melius effugia. 1°. Motivum manifestandi divinam justitiam et misericordiam, inquiunt, non valet, quia non permittendo malum, ab eoque praeservando, remunerandoque dumtaxat bonas actiones juxta aequitatem, aeque aut etiam excellentiori ratione utrumque divinum manifestaretur attributum; et sane, rex ille ac gubernator qui delicta patrari a populo sineret, ut suam justitiam in puniendo misericordiam in parcendo palam faceret, certe non esset censendus bonus. 2°. Bonum virtutum, quas ad meliorem frugem conversi, aut injuste oppressi exercent, nullam proportionem habet cum inordinatione, atque infinita offensa divina cuilibet malo morali adnexa; et aliunde defectus hujus boni, per alias virtutes sub impeditione mali moralis exercendas, abunde suppleri posset. 3° Motivum quoque cujuslibet divini attributi manifestandi, vel cujusdam majoris boni eruendi, insufficiens esse ad permissionem malorum inde generatim colligunt, quod rex, e. g. et paterfamilias nequaquam sapientes, providi, etc. dicendi forent, si propter talia motiva malorum colluviem a regno et domo non impedirent, multoque magis, si propter hoc ipsam subditorum infelicitatem in votis haberent. Ubi advertas velim, similitudinem petitam a rege, vim motivi ex toto minime elevare; etenim rex potest ferre, e. g. leges ad bonum commune directas, quamvis certum sit, plerosque subditorum ansam inde fore sumpturos, aliqua mala patrandi, eique praebituros opportunitatem, clementiam parcen-

73. Opponunt I°. Tot sunt admittenda rerum principia, quot sunt effectus varii et oppositi; atqui dantur in mundo bonum et malum, quae sunt effectus oppositi. Et sane, malum non est a se, sed ab aliqua causa, quae vel formaliter vel eminenter illud in se praecontineat.

Resp. *Dit. maj.* tot sunt admittenda rerum principia immediata et proxima *trans.* mediata, *nego;* et concessa minori, *nego conseq*, ejusque *probat.* Malum quodcumque, ut diximus (1), consistit in mera privatione boni; nequit igitur spectari velut ens quoddam reale et positivum, quod egeat causa producente, et illud in se praecontinente; sed sufficit causa deficiens a perfectione, cujus deficientia constituet malum; quod cum nequeat esse nisi in bono, et bonum entis proveniat a causa vel principio positivo et bono, idem principium quod immediate producit bonum, fit mediate et remote causa mali, quatenus nempe producit ens finitum a perfectione physica vel morali deficiens. Posset quoque negari, tot semper requiri causas immediatas et proximas, quot sunt effectus oppositi: nam licet causa necessaria, e. g. sol nequeat producere lucem et tenebras, tamen causa finita ex electione agens eadem activitate, sed distinctis actibus, potest oppositos praestare effectus.

Instant. Sub unico principio summe bono non explicatur, quare omnes creaturae sint imperfectae, et aliae aliis perfectiores; siquidem Deus bonus nequit esse *personarum acceptor:* ergo.

Resp. *Nego. ant.* et concessa probatione, *nego conseq.* Sciendum imprimis est, defectum ulterioris perfectionis in entibus, sive *malum metaphysicum*, a nonnullis non computari inter mala, quia non dicit defectum perfectionis debitae, vel naturalis. Sed esto: erit certe aliquid adeo naturae creatae inhaerens, ut repugnet illud non esse sicut repugnat finitum fieri posse infinitum. Hinc quoscumque perfectionis gradus supponas tribui creaturis, semper alii et alii concipi poterunt: ergo intrinsece repugnat creaturam carere defectu ulterioris perfectionis. Ex hoc etiam generaliter colligitur, Deum non teneri ad melius simpliciter, nam tunc teneretur etiam ad optimum, quod pariter intrinsece repugnat; quia secus aut nihil posset facere *ad extra*, aut

---

do, sapientiam et prudentiam per aptam violati ordinis restitutionem, atque ad id mediorum electionem, manifestandi.

(1) Parum antea n. 69.

Digitized by Google

aliquid sibi aequale. Diversi perfectionum gradus, qui in creaturis elucent, mirifice conspirant ad pulchritudinem universi: Deus autem, cum nihil creaturis debeat; poterat hunc vel illum perfectionum gradum pro lubitu tribuere, quin propterea fieret personarum acceptor; hic enim *uni prae altero tribuit, quod utrique aeque debet.*

74. Opponunt II°. Mala physica nequeunt esse nisi a principio malo: etenim mala sunt serpentes, tineae, aliave vegetabilia vel animalia venenosa et noxia; ergo.

Resp. *Nego ant.* Ad *probat. Dist.* et ista sunt mala in se, *nego:* relative, *subdist.* ad totum mundum, *nego*; ad nos, iterum *subdist.* adaequate, *nego;* inadaequate, *conc.* Entia quae enumerantur, sunt adhuc in se quid positivum, structurae mirabilis, et ad pulchritudinem et utilitatem totius mundi conferunt; ergo neque sunt malum in se, neque ad totum mundum. Hinc verissime ait S. Augustinus (1): *Quidquid tale est, in quantum est, a summo Deo sit necesse est*; *quoniam in quantum est, utique bonum est.* Damnum quod nobis quandoque afferunt; plerumque ex nostra incuria et inconsideratione aut ex malo eorum usu provenit; excitant saepe nostram industriam et vigilantiam, et bene adhibita non raro plures utilitates afferunt: ergo relate etiam ad nos non sunt quid adaequate malum, id est ita, ut simpliciter nos destituant aliqua perfectione debita; ergo poterant ad bonum totius mundi et nostrum a principio summe bono procreari. Lepide ut solet, exemplo scorpionis, quem tamquam substantiam malam quidam Manichaeus pueriliter venditabat, hanc rem iterum declarat S. Augustinus (2) inquiens: *Quid enim aliud, cum quaero, quid sit malum, responsuri estis, nisi aut quod contra naturam est, aut quod noceat, aut corruptionem, aut aliquid hujusmodi? At in his ostendi vestra naufragia, nisi forte, ut soletis cum pueris pueriliter agere, respondebitis, malum esse ignem, venenum, feram, et caetera hujusmodi . . . . Quis enim meliusscule imbutus et eruditus non videat, per inconvenientiam corporalis temperationis haec laedere, ac rursus per convenientiam non laedere; saepe etiam commoda non parva conferre? Nam si illud venenum per se ipsum malum*

(1) *De morib. Manichaeor.* lib. 2. cap. 7.
(2) Ibidem.

Digitized by Google

esset, eumdem scorpionem magis priusque perimeret. At contra, si ei penitus aliquo pacto detrahatur, sine dubitatione interiret; ergo illius corpori malum est amittere, quod nostro recipere. Item illi bonum est habere id, quod nobis bonum est carere.... Nos qui aëre vivimus, et terra et aqua obrutos necant: innumerabilia vero animantia per arenam laxioremque terram repunt vitaliter: pisces autem in hoc aëre moriuntur. Ignis corpora nostra corrumpit, sed convenienter adhibitus, et resumit a frigore, et morbos innumerabiles pellit.

Instant 1°. Sunt quaedam mala physica, quae sunt merae destructiones et contra leges mundi, ut monstra, fulmina, incendia, alluviones, etc. quaeque nequeunt intendi ad ullum finem bonum, Similiter fames, paupertas, dolores infantium et brutorum, etc.

Resp. ad 1°. *Dist.* Nequeunt intendi ad finem bonum alicujus entis particularis, vel ad finem bonum physice *trans.* totius mundi et moraliter *nego.* Leges physicae et activitas causarum secundarum valde bonae sunt, plurimasque utilitates toti mundo aut singulis entium classibus adferunt; ergo licet quandoque per accidens evadant quibusdam entibus particularibus noxiae, non propterea desinunt esse simpliciter bonae; entia enim hujus mundi non debent in hoc casu spectari seorsim, sed tamquam partes hujus ingentis machinae. Hujusmodi difficultas, ut optime advertit Auctor anti-Lucretii, inde ortum habuit quod non praevideamus omnes fines, quos divina ratio in rerum ordinatione adeo complexa atque in exceptionibus ab hac ordinatione intendit, quae exceptiones cum etiam quandoque habeant rationem poenae pro ordinis moralis violatione, jam suo fine et utilitate non destituuntur.

Ad 2^m^ eamdem distinctionem applicando dicimus in primis, mala physica plerumque provenire et semper fundari in ipsa limitatione creaturae; ergo sicut Deus summe bonus nec potuit nec debuit impedire malum metaphysicum, ita nec physicum. Deinde fames, morbi, etc. sunt frequenter flagellum quo corripimur pro delictis, docentque mentem a rebus sensibilibus avocare,elioremque expectare vitam. Paupertas non extrema quorumdam individuorum plura bona adfert integrae societati; per hoc enim constituitur varietas et distinctio conditionum. Dolores infantium et brutorum monent nos, ut ipsis opem feramus: bruta

praeterea ratione destituta propriam felicitatem non apprehendunt parumque ejus carentia affliguntur. Si et hujusmodi rationes quandoque defuerint, mala ista debent spectari tamquam defectus, naturae corruptibili et mutabili per se inhaerentes.

Instant II°. Ignorantia, error, passiones quoque quibus sumus obnoxii, nec ad finem moraliter bonum intendi possunt: retrahunt enim a bono morali.

Resp. *Nego ant. Dist. probat.* retrahunt a bono morali ex vitio voluntatis, *conc.* per se, *nego*. Ignorantia et error, dum ex ipsa rationis limitatione procedunt, sunt meri defectus naturae nec retrahunt ab ullo bono naturae debito; sed potius unumquemque monent, ut nolit alta sapere, et de propria ratione praesumere: quod si proveniant vel ex omissa vel ex non recta naturalium facultatum applicatione, ignorantiae et erroris causa residet in nobis. Passiones vero in appetitu sensitivo fundatae, sunt *per se* bonae; per illas enim movemur erga bonum naturae nostrae proportionatum, et aversamur quod est eidem incongruum: quin etiam mutando objectum earum, evadunt prudenter operantibus medium sufficientissimum ad illustria quaedam facta patranda: quoniam vero passiones istae, utpote ad partem inferiorem spectantes, rationi et voluntatis imperio subjici debeant, tunc malae evadunt dum contra rationis dictamen ipsis obsecundamus, multoque magis, si per frequentes actus habitum sic agendi contrahamus.

75. Si quis opponeret, luctam partis superioris et inferioris provenire a principio malo, negabis: etenim si solam rationem consulas, nihil aliud in lucta illa deprehendes, nisi quod appetitus sensitivus inclinet ad bonum sensibile ante rationis reflexionem et voluntatis imperium, et quod reluctanti etiam rationi obsistat adeo, ut nobis incumbat onus perpetuae vigilantiae et dimicationis, ne vehementia ejus illecti illicita volentes amplectamur. Sed ex eo quod inclinatio ad bonum sensibile *per se* bona sit, et *per accidens* tantum, accedente nempe voluntatis consensu contra regulam morum, evadat mala, sola inordinatio qua antevertit rationis reflexionem ipsique reluctanti obsistit, constituit defectum naturae; qui tamen propter rationis renitentis conatum convertitur in bonum morale, et potest esse seges plurimarum virtutum. Deinde nequit probari, contrarium debitum fuisse humanae naturae: scimus quidem ex Fide, Deum non condidisse primum hominem cum ista inordinatione, eamque in prae-

senti statu esse poenam peccati; sed scimus pariter, subjectionem partis inferioris ad superiorem in primo homine fuisse donum gratuitum Dei, non debitum naturae.

Si iterum opponant, saltem appetitum sensitivum esse malum quatenus inducit in malum morale; respondemus distinguendo, si induceret *per se* in malum, *conc.* si *per accidens* tantum, *nego*. Malum morale consistit in privatione rectitudinis sive conformitatis cum regula morum, quae poterat et debebat esse in actu libero creaturae; ergo abusus libertatis est tota ratio sufficiens mali moralis, quod proinde per accidens tantum sequitur ex appetitu sensitivo, dum scilicet voluntas illo utitur ad agendum contra rationis dictamen. Ex eo autem quod appetitus sensitivi, praesertim vehementioris, nos pudeat, non sequitur illum esse in se malum; nam etiam caecitatis, e. g. nos pudet licet haec non fuerit nisi defectus naturalis.

76. Opponunt III°. Libertas humanae voluntatis quae est causa mali moralis, nequit esse a principio summe bono: etenim melius est eam non habere, quam habere: valde nocet hominibus.

Resp. 1°. Retorqueo argumentum: libertas est causa boni moralis; ergo est a principio summe bono: est perfectio simplex entis intelligentis; ergo melior est quam nihilum: prodest quoque bene operantibus; ergo poterat tribui hominibus a principio summe bono.

Resp. 2°. *Dist. ant.* libertas *in se spectata* est causa mali moralis, *nego*; libertas, id est, *abusus libertatis*, *conc.* Deus summe bonus libertatem, non libertatis abusum dedit: libertas autem quatenus est dominium actuum nostrorum, est perfectio simpliciter simplex et per se spectata ab abusu praescindit, neque cum ipso, a quo unice malum morale profluit, essentialem et necessarium nexum dicit. Per accidens itaque malum morale fluit ex libertate, quatenus haec invenitur in ente finito, cui regula morum ut recte ad finem dirigeretur erat determinanda, quam dum violat eligendo vetitum aut praeceptum omittendo, habetur malum morale. Libertas igitur est bona *in se*, ad bonum *per se* conducit, quia per eumdem physicum actum libertatis aeque fieri poterat bonus usus, ac proinde bonum morale, fierique debebat ex intentione libertatem tribuentis, ut patet ex dictamine rationis et conscientiae stimulis abusum reprobantibus; ergo Deus summe bonus poterat homini tribuere quod est

Digitized by Google

bonum in se, ad bonum per se conducit, quodque bonum est ex intentione illud dantis. Hinc rationes additae distinguantur: melius esset libertatem non habere, et valde nocet de consequenti atque supposito abusu, *conc.* a priori, et hoc non supposito, *nego*: secus de quacumque perfectione nobis communicata idem affirmari posset.

Instant. Deus summe bonus praevidendo libertatis abusum, debebat illum impedire: 1°, quia nulla est ratio sufficiens, cur non impediat; 2°, quia cum sit causa prima legis et libertatis, censeretur esse auctor mali moralis; 3°, quia qui praevidet effectum secuturum, et tamen ponit causam, censetur velle effectus productionem; 4°, quia ex quacumque ratione non impediret malum morale, posset cogitari aliud ens ipso melius, quod scilicet impediret; ergo non esset ens summe bonum.

Resp. *Nego ant. Dist.* 1^m^ *probat.* nulla est ratio sufficiens positiva, *trans.* negativa, *nego.* Ut superius dictum est, ratio adaequata ob quam Deus non impediat malum, nequit assignari alia, nisi *quia non tenetur.* Hinc nec ideo non impedit, ut relinquat homini libertatem; quia revera salva libertate humana poterat Deus impedire malum: neque ideo, ut manifestet attributa sua, et praesertim divitias misericordiae suae in Redemptoris adventu; quia pro Deo idem est, hoc potius quam illud attributum suum manifestare, cum non egeat manifestatione gloriae suae *ad extra*, et quia posset quis reponere quod redemptio praeservativa a malis culpae forte excellentior foret quam sit ista, sicut melius est non permittere ut quis miser evadat, quam postquam evaserit a miseria liberare. Istae igitur aut similes rationes ostendunt quidem Deum ex malis scire eruere bona ipsaque mala ad finem bonum ordinare, sed non sunt *motivum a priori* ipsam permissionem determinans.

Ad 2^m^. *Dist. ant.* censeretur auctor mali moralis, si malum necessario et *per se* sequeretur ex lege et libertate, *conc.* si *per accidens* tantum *nego.* Verum quidem est, sublata libertate entis finiti atque lege, non amplius futurum malum morale; sed causa prima legis, et libertatis, cum utrumque ad bonum dirigat, non est causa efficiens abusus libertatis contra legem, in quo malum morale formaliter consistit, et qui *per accidens* tantum sequitur ex suppositione utriusque.

Ad 3^m^. *Dist. ant.* qui praevidet effectum et tamen ponit causam, eam censetur velle, si ideo ponat causam, vel si effectus

necessario sequatur ex tali causa, *conc.* si non ideo ponat, nec effectus necessario sequatur, *subdist.* si teneretur talem causam non ponere, *conc.* secus *nego*. Distinctio patet ex supradictis; profecto Deus summe bonus non solum talem effectum non intendit, verum etiam per rationis dictamen illum sibi positive displicere ostendit. Nulla autem lege extrinseca adigitur in exhibitione suae bonitatis; ergo nulla paritas, quae ab hominibus legi subjectis desumeretur (1).

(1) Exempla malorum quae a filiis, subditis, etc. certo patranda praeviderentur, licet in patre et superiore ea impediendi debitum supponant, hoc tamen non est illimitatum, sed quibusdam conditionibus et adjunctis definitum: id est, si pater et superior adhibeant media per se sufficientia et efficacia ad ea mala praecavenda, ad aliud quod est praeter exigentiam, et debitam ordinis naturalis convenientiam, minime tenentur. Sic pater filios perpetuo carceri mancipare, aut illis medietatem suorum bonorum donare, superior seu dominus famulis majus aequo stipendium tribuere non tenebitur, quamvis certo sciret, eos propter hoc a malis patrandis, e. g. furtis, fore cohibendos. Unde si ab his exemplis paritas ad Deum transferatur, illa vel non erit ad rem, vel modo nuper exposito accepta evidenter ostendet, solam certam malorum praevisionem et potestatem ea impediendi, neque in Deum posse inducere obligationem seu necessitatem hujus actualis malorum impeditionis per media infallibilem effectum habitura; praesertim quod, si vel semel concedas, Deum teneri ad id quod est simpliciter melius, sequeretur eum quoque teneri, quod certe repugnat, ad optimum, cum inter bona finita semper aliud melius concipi et haberi queat. Hinc non nisi per summum nefas Bayle, cum impiis, donum libertatis a Deo hominibus tributum cum praevisione quidem abusus, at cum sufficientibus simul mediis ad illum declinandum, adducit in comparationem, e. g. vel cum gladio, qui tribueretur homini furioso, aut illi, quem quis praevideret sibi et aliis fore noxium, vel cum ludis et spectaculis, quibus pater aut mater sineret filios interesse, quamvis praevideret eos pudicitiae jacturam in illis facturos.

Atque hic, postquam aperuimus quid sit sentiendum de permissione malorum in particulari, locus est innuendi quam sit facile ex dictis respondere generali cuidam sophismati, ad impugnandam malorum permissionem ab impiis excogitato; inquiunt scilicet: vel Deus bonus potest impedire mala et non vult; vel vult et non potest; vel neque potest neque vult; vel denique et potest et vult; si primum, dicendus foret invidus; si alterum, imbecillis; si tertium, et imbecillis et invidus; si quartum, nulla mala deberent adesse. At respondetur cum distinctione, nempe, mala metaphysica Deum nec posse, nec velle impedire; mala physica, licet absolute loquendo impedire posset, spectata tamen rerum natura, et ordinariis physicis legibus integris manentibus, ea nec potest nec vult omnino impedire; mala demum moralia, quamvis integra prorsus manente humana libertate, per solam praevisionem et suppeditationem mediorum infallibiliter efficacium, impedire posset, tamen non vult, *quia id velle minime tenetur.*

Digitized by Google

Ad 4^{m}. *Dist. ant.* posset cogitari ens melius relative et *ad extra*, *conc.* absolute et *ad intra*; *nego.* Sicut summae bonitatis conceptus non oritur ex multiplicatione bonitatis participatae, ita nec absoluta et intrinseca bonitas summe perfecti potest dijudicari ab extrinseca bonitatis manifestatione; siquidem quicumque bonitatis gradus forent in creaturis, semper alius major concipi posset; ergo intrinseca et absoluta bonitas entis summe perfecti non tollitur eo quod possibile sit ens *ad extra* melius.

CAPUT TERTIUM

DE ATTRIBUTIS DEI RELATIVIS AD EXTRA

Inter attributa Dei relativa *ad extra* recensetur bonitas sive beneficentia, justitia, etc. de quibus propter nexum quaestionum superius quantum licuit, locuti sumus. Nunc itaque de creatione, conservatione, concursu et providentia distinctis articulis agemus.

ARTICULUS I.

DE CREATIONE

77. Non de eductione rerum hujus mundi ex nihilo quaestionem hic instituimus; hoc enim et jam aliquatenus colligitur ex dictis superius (1), et adhuc ex dicendis in Psychologia et Cosmologia de anima nostra et de materia in particulari constabit: sed de ipsa vi creandi ejusque, ut ita dicam *valore* hic sermo est, utrum scilicet soli Deo competat. Fuerunt enim auctores, qui cum Avicenna arbitrati sunt, eam entibus creatis instrumentaliter convenire posse (2). Alii hujus vis infinita-

(1) Cap. 1. art. 1. et 2.

(2) Haec autem fuit istius mauritani philosophi cum aliis opinio; Deum scilicet tantum intelligentiam sive angelum quemdam sublimiorem immediate creasse, et eidem deinceps munus demandasse caetera inferiora entia spiritualia creandi, a quibus tandem reliqua entia materialia procreata fuerunt. Unde hujusmodi entia creata quibus aliorum procreatio demandata fuit, vel id praestiterunt viribus propriis finitis, et tunc creatio non postularet vim objective infinitam; vel virtute divina participata ipsis, et tunc entia finita possent saltem esse instrumentalis causa creationis. Opinio haec non est confundenda cum sententia quorumdam Ecclesiae Patrum arbitrantium, Deum in prima humani corporis forma-

tem ex infinitate possibilium putant se eruere, eo quod vis creandi cuicumque possibili producendo sit sufficiens; sed cum possibilia utpote actu infinita, omnia simul existere sive ad actum reduci nequeant, si creatio etiam unius entis non requireret vim actu infinitam, jam et creatio omnium, quae *actu* existere possunt (debent enim esse numero finita), eam non postularet: sicut ex eo, quod marmor ex se indifferens sit ad recipiendas quascumque ex infinitis possibilibus formis numero tamen finitas, non sequitur vim quae eas formas imprimeret debere esse infinitam.

Non existimamus pariter omnipotentiam Dei, seu infinitatem ejus virtutis. eruendam esse a posteriori seu ex creatione rerum, sicut faciunt nonnulli, sed potius a priori ex infinitate ejus naturae; cum ideo potius soli Deo tribuenda sit creatio vel annihilatio alicujus entis, quia utrumque postulat vim infinitam, et ipse solus gaudet infinitate virtutis; non autem ideo cognoscimus Deum gaudere vi infinita, quia aliquid creat.

PROPOSITIO

Vis creandi est actu infinita et soli Deo convenit

78. Creatio importat transitum a *non esse subjecti* et *sui*, seu a simpliciter *non esse* ad *esse*, ut patet ex oppositione ad alias actiones et ex mente ipsorum adversariorum, qui eam impugnant, atqui inter *non esse* simpliciter et *esse* infinita adest distantia, quae non potest superari, nisi a vi actu infinita; ergo vis creandi est actu infinita. Minor patet; nam sicut finita infinite distant ab infinito, quia utcumque sumpta nunquam possunt constituere infinitum, ita *non esse simpliciter* sive *nihil* infinite distat ab *esse* sive *positivo*, quia *non esse* utcumque acceptum nunquam constituet *esse*, sicut et tenebrae utcumque auctae nunquam lucem praebere possunt; ergo inter actu *non esse* et *esse* infinita adest distantia, et vice-versa; quod postremum valet etiam pro adstruenda infinitate virtutis annihilandi: ergo vis creandi et annihilandi soli Deo competit, cum ipse solus gaudeat actuali infinitate.

---

tione de limo terrae, usum fuisse ministerio angelorum: talis namque formatio, quia ex jam praeexistente materia facta fuit, *per se* solum accepta vim objective infinitam minime postulabat, quidquid tandem sit de veritate illius sententiae in se spectatae.

Digitized by Google

Sed nec instrumentaliter entia finita ad creandum concurrere valent, ob duas rationes: 1°. Vis creandi, utpote infinita nequit concipi velut emanatio substantiae divinae simplicissimae; secus et creatio non fieret ex praesupposito nihilo absoluto, et tolleretur simplicitas Dei; debet igitur spectari velut actus simplicissimus omnipotentis voluntatis Dei; ergo vis haec nequit transfundi in creaturas tamquam quid physicum, cum inter ipsam et effectum nullum debeat intercedere medium; et insuper ad instrumentalem agendi rationem non sufficit quaedam moralis imputatio actionis, sicut accidere potest in quibusdam miraculis vel aliis supernaturalibus effectibus, sed requiritur physicus influxus agentis principalis (1).

2°. Instrumentum physicum debet ex se aptitudine praeditum esse, ad virtutem principalis agentis recipiendam et in opus ponendam; secus foret mera conditio: atqui impossibilis est in ente finito talis dispositio relate ad creationem; siquidem natura rei per creationem producendae, sicut et vis ipsa creatrix, antecedenter est quid indeterminatum; dispositio in ente finito nequit esse, nisi determinata ab ejus peculiari existendi modo; ergo cum ex natura ipsius creationis tum ex natura entis finiti eruitur, non posse illud concurrere ad creationem, etiam ad instar instrumenti.

79. Oppones I°. Nulla est distantia inter *non esse* sive nihilum et *esse*, quia oppositorum unum distat ab altero secundum illos gradus *esse*, quos in se habet vel participat de altero; nihilum nullos gradus *esse* habet aut participat; ergo. Praeterea termini ad comparationem assumpti debent esse positivi; ergo si-

(1) Miracula illa quorum productio ex sui natura postulat vim actu infinitam, attribuuntur quidem viris sanctis, sed tamquam causis moralibus, quatenus eorum intuitu et precibus, aut ad prolationem eorum vocis a Deo immediate producuntur, non autem quasi essent causae instrumentales, per quos vis infinita non indifferenter ad effectus productionem transiret; quod ad rationem causae vere instrumentalis (Ontol. art. 6. n° 55. et in notis) necessario praerequiritur. Unde tales effectus immediate a virtute divina infinita dimanant, haud secus, quam videtur forte accidere relate ad effectus supernales gratiae, quae difficile admodum concipi potest tamquam quid rebus materialibus physice inhaerens; tales igitur effectus etiam immediate a divina virtute procedunt, et res aut signa sensibilia erunt conditiones absolute necessariae, seu melius *causae morales*, cum quibus, vi gratuitae divinae promissionis, assecutio effectus infallibiliter nectitur.

Digitized by Google

cut absurde diceretur hominem habere plus rationis, quam bruta, ita a pari. Insuper cum etiam finitum infinite distet ab infinito, plures forent distantiae infinitae.

Resp. ad 1^{m}. *Dist. ant.* nulla est distantia positiva sive realitatis, *conc.* improportionis, *nego;* et eodem modo distinguendo probationem, dicimus, non esse hic distantiam concipiendam materiali ratione, vel distantiam realitatis infinitae; agitur enim tantum de infinita improportione, quae intercedit inter actu *non esse* et *esse,* quaeque indicat modum operandi cum tali infinita improportione postulare efficientiam seu vim infinitam. Nostra nimirum ratiocinatio aequivalet huic: quo major est improportio seu ineptitudo subjecti alicujus operationis, eo major requiritur efficientia; virtus enim causae debet adaequare realitatem non solum operis, sed et modi agendi seu operationis: porro ineptitudo nihili ad *esse* est summa, sive infinita; ergo efficientia causae ita agentis debet esse infinita. Hinc non est necesse spectare nihilum, tamquam habens in se vel participans de *esse* alterius, quod quidem requireretur, si comparatio realitatis sive *esse* unius termini ad alterum institueretur, cum excessus realitatis nequeat haberi nisi inter terminos positivos, uti recte dicitur in altera difficultatis parte, non autem si tantum agatur de valore virtutis, orto ex improportione termini *a quo* actio incipere debet (1). Unde patet, quomodo secunda difficultatis pars distinguenda sit.

---

(1) In qualibet actione, praesertim quando aliquid efficitur ex alio jam praeexistente, duplex potest et debet distingui actionis terminus sive illud ad quod dirigitur actio, scilicet terminus *a quo* incipit actio, e. g. lignum vel marmor, ex quibus formatur statua; et terminus *ad quem* seu in quo desinit actio, e. g. lineamenta illa quae superinducuntur seu imprimuntur ligno aut marmori. Haec duplicis termini distinctio si ad actionem creandi tsansferatur, per quam non tantum lineamenta sed totum *esse* physicum rei producitur, patet, terminum *a quo* non esse nec posse esse positivum, sicut est in ceteris actionibus, sed dumtaxat negativum seu *nihilum absolutum essendi*, quod, sicut probavimus superius, dicit vel includit omnimodam ac infinitam improportionem cum termino *ad quem*, seu cum *esse* rei ex integro, id est, *ex nihilo sui et subjecti* producendo. Porro talis operandi modus, nedum ullam contradictionem involvit, verum etiam excellentiam ac dignitatem hujusmodi actionis manifeste prodit; tum quia in actionibus quoque communibus major improportio termini *a quo* relato ad opus praestandum majorem, caeteris paribus, efficaciam virtutis et praestantiam artificis commendat, tum etiam, quia in operibus intelligentiae prima et totalis inventio e. g. alicujus artis praestantior censetur illis, in quibus additur dumtaxat aliquid jam antea inventis.

Digitized by Google

Ad 3^m. *Dist. ant.* plures forent distantiae infinitae, id est, pluries posset assignari infinita differentia finiti ab infinito, *conc.* plures actu forent distantiae *nego.* Sicut simpliciter *non esse* relate ad quodcumque *esse finitum* habet absolutam et infinitam improportionem, ita omne *esse finitum*, sive majus sive minus, eamdem habet absolutam improportionem et differentiam relate ad *esse infinitum*, sive aeque ab eo distat, utpote ab *esse* toto genere diverso seu transcendente omne finitum, ex cujus multiplicatione sive augmento non coalescit; ergo pluries assignari, non plures dari possunt hujusmodi distantiae infinitae.

Instant. Si per efficientiam *ex nihilo* fieret ens in quantum est ens, omne ens esset producibile, quod absurdum; quia et in productis et producentibus deberemus progredi in infinitum, et ipsa essentia entis produceretur; quod si essentia non producitur, non fit eductio *ex nihilo simpliciter.*

Resp. *Nego. maj.* Ad *probat, minoris, dist.* alteram partem: ipsa essentia physica, seu ut existens, *conc.* metaphysica, sive ut possibilis, *nego*, et *nego sequelam.* Cum productio ex nihilo non referatur ad ens ut *ens simpliciter*, sed ut non habens sufficientem rationem sui *esse*, et cum necessario debeat admitti ens contingens non habens in se sufficientiam sui *esse*, patet admittendum esse ens *a se* seu improductum et improducibile. Essentia quoque metaphysica sive possibilitas rerum, cum non sit quaedam entitas in se, et tantum habeat rationem et fundamentum sui in intellectu divino, non eget productione; nequit insuper dici quod res fiant ex essentia metaphysica tamquam ex materia et subjecto praeexistente, quia in abstracto est nihil, et in concreto caret entitate aliqua absoluta extra conceptum divinum: sed potius dicendum, res a Deo creari ad normam earum possibilitatis sive metaphysicae essentiae, juxta conceptus divinae sapientiae; ergo producuntur revera ex *nihilo simpliciter*. Vide dicta in Ontologia (1).

80. Opponunt II°. Creatio est impossibilis. Nam 1°, actio cujus terminus est nihil, foret simul actio et non actio. 2°. Ex nihilo nihil fit. 3°. Philosophus non debet admittere, quod nequit concipi. 4°. Si Deus aliquid ex nihilo produceret, acciperet illud ubi non erat.

Resp. *Nego ant.*. Ad 1^m *probat. Dist.* actio cujus ter-

(1) Art. 2. nn. 15. 16. 17. et seqq.

minus tam praeexistens quam ipsi coëxistens est nihilum, foret simul actio et non actio, *conc.* si tantum praeexistens est nihilum: *nego*. Actio quidem debet recipi in subjecto, at sufficit ut recipiatur in subjecto coëxistente ipsi actioni; sic enim non terminabitur ad nihil simpliciter, sed tantum ad nihil praeexistens (1).

Ad 2^m^. *Dist.* pariter: ex nihilo tamquam ex subjecto vel materia praeexistente nihil fit, *conc.* ex nihilo tamquam termino *a quo*, *subdist.* virtute finita, *conc.* infinita, *nego*.

Ad. 3^m^. *Dist.* Philosophus non debet admittere quod nequit concipi, id est aliqua ratione intelligi, *conc.* quod nequit imaginari, *nego*.

Ad 4^m^. *Nego ant.* Vis creans non destituitur absolute termino actionis; sed tantum termino praeexistente, terminus vero coëxistens actioni est ipsa res producta. Hoc non est agere, et simul non agere sed agere sine termino physico praeexistente actionis. Manifeste autem increduli hallucinantur, dum nihilum considerant vel pro loco, unde res extrahitur, vel pro materia in opus adhibita: hoc utique absurdum est et concipi non potest; sed creatio est actus divinae voluntatis faciens existere quod antea neque in se neque in subjecto praeexistente quidquam erat, cujus actionis licet nequeat imaginari modus, intelligitur tamen existentia, nullam contradictionem involvens: siquidem non debet fieri ita, ut res accipiatur ubi non erat; nihilum enim antecedens non est depositum quoddam ex quo res creandae extrahuntur.

ARTICULUS II.

DE CONSERVATIONE

81. Conservatio, sicut et concursus, de quo in sequenti articulo loquemur, sunt velut fundamentum divinae de rebus providentiae: nisi enim creaturae in suo *esse* conservarentur, viresque operandi expeditas haberent, nullus providentiae locus adesset. Est autem conservatio efficienter spectata, ut eam commu-

(1) Advertendum est, hanc aut similem expressionem, e. g. *actio debet recipi in subjecto*, esse tantum metaphoricam quando sermo est de actione creandi; haec enim non est *emanatio* quaedam virtutis, quae ab agente transeat in opus, sed simplicissimus divinae voluntatis nutus, cui incomprehensibili ratione statim respondet totum *esse physicum* rei, prout fuerat ab intellectu divino apprehensum.

Digitized by Google

niter definiunt, *continuata rei creatio*; nam effective accepta, est ipsa continuatio existentiae entis creati. Sed definitio illa, si materialiter spectetur, pravum sensum habere potest, sicut revera Bayle (1) ea abutitur, quasi nempe singulis instantibus res creatae in nihilum reverterentur, et iterum per novam creationem ad existentiam redirent, quo, praeterquam quod ipsa continuationis existentiae notio destrueretur, plura insuper adstruerentur absurda (2). Hoc unum itaque tantum significat, quod entia contingentia eamdem habeant necessitatem voluntatis divinae ut existentiam continuent, quam habuerunt ut existere inciperent; quod idem actus divinae voluntatis qui illa conservat, sufficeret etiam ad eorum creationem, si nondum existerent; quique si cessasset, etiam existentia eorum desineret, seu annihilaretur. Hoc sensu itaque conservationem entium Deo vindicamus: ubi hoc etiam juvat advertere, quod aliud sit durationem *in esse*, seu continuationem existentiae rei alicujus, esse ipsam existentiam continuatam, seu non esse aliquod ens ab existentia ipsa realiter distinctum, sicut probavimus superius (3); aliud ve-

---

(1) *Diction. hist. et crit.* tom. 3. art. *Pyrrhon*, sub finem notae B.

(2) Tali absurda conservationis ejusque definitionis significatione supposita, Bayle loco indicato, scepticorum vindicias revera assumit, promovendo videlicet absurdissimam dubitationem circa identitatem subjecti nostri cogitantis, quasi nempe singulis momentis seu instantibus essemus propter novam creationem alii vel diversi a nobismetipsis. Quod, ut patet, propter eamdem rationem valet quoque et quidem potiori jure, ad elevandam certitudinem nostrae cognitionis de permanenti aliarum rerum extra nos existentia, reducitque omnes nostras objectivas cognitiones ad meras apparentias seu phaenomena. Verum hypothesis istius absurditas adeo est manifesta, ut, dato quod et intimo sensu nostram existentiam percipiamus, et constantes ideas de aliis rebus cum rationali propensione eas referendi ad extra habeamus, nequidem ab omnipotentia divina unquam verificari posset. Nam si *ego* nunc cogitans sim distinctum ac diversum subjectum ab illo, qui cogitavit instanti immediate praecedenti, et cogitabit instanti mox futuro, qui fieri potest absque intrinseca repugnantia, ut valeant ad invicem tamquam *mea* uniri, instantia praecedentis existentiae *non-meae*, cum praesenti instanti, quod tantum est *meum*? Similiter, si ideis constantibus de objectis extra nos non respondet constans eorumdem objectorum permanentia, nonne ideae hae aeque prorsus nullam quoque objectorum realem existentiam respondentem habere possent? At hoc repugnat propter invincibilem rationalis naturae, cujus Deus auctor est, propensionem; ergo et illud pari ratione repugnare, et nec ab ipso Deo fieri posse dicendum est. Vide quae diximus in Logica, part. 2. art. 3. n. 45. et art. 8. n. 69.

(3) Cap. praecedenti art. 2. prop. 2. n. 42.

Digitized by Google

ro, continuationem existentiae rei contingentis egere ratione sufficiente extrinseca seu causa, quod nunc tantum contendimus, quodque priorem non destruit doctrinam.

PROPOSITIO

Deus virtute sua conservat in esse *omnia entia creata*

82. Dependentia entium contingentium quoad existentiae continuationem ab actu divinae voluntatis, evidenter suadetur sequentibus argumentis:

1°. Existentia entis contingentis secundo vel tertio durationis momento, nullum necessarium nexum habet cum duratione primi momenti, sicut existentia primi momenti cum mera possibilitate praecedente: nam quod natura sua est contingens, tale est pro quocumque momento; ergo sicut ratio sufficiens transitus a possibilitate ad existentiam reponitur unice in actu divinae voluntatis, ita etiam in eodem actu reponenda est ratio sufficiens transitus ab uno ad aliud momentum subsequens existentiae, seu continuationis ejusdem.

2°. Si talis actus divinae voluntatis ad conservationem non esset necessarius, posset concipi res existentiam continuare, cessante etiam voluntate divina de ejus existentia: hoc vero est absurdum; cum propter independentiam, in qua ens contingens constitueretur, tum etiam quia hujus continuationis ratio sufficiens nequit reponi in essentia existente sive in existentia ipsius entis, ut nuper dictum est; nec in attributis et modis, quia cum haec non sint entia per se existentia et realiter distincta ab ipsa substantia et essentia, ut sic existente, eorum continuata existentia non efficit, sed supponit continuationem existentiae ipsius substantiae sive subjecti, cujus sunt attributa et modi. Neque reponi potest in essentia metaphysica sive possibili, aut in alio quocumque ente contingente, quia possibilitas est quid minus quam existentia; et omne ens contingens non continet rationem sufficientem propriae conservationis, unde poterit quidem alteri esse medium conservationis, nunquam tamen constituet rationem sufficientem adaequatam continuationis existentiae ejusdem. Non enim negamus, pleraque entia materialia, praesertim vegetabilia et animata, dissolutione sua aliis medium praebere conservationis; at cum nexus inter tale medium et continuationem existen-

Digitized by Google

tiae sit pariter contingens, ratio sufficiens adaequata utriusque nonnisi in actu divinae voluntatis inveniri potest.

83. Opponunt. Artefacta hominum non egent virtute artificum ut conserventur; ergo neque opera Dei debent egere conservatione; secus minus perfecte ageret Deus, quam homines.

Resp. *Nego conseq.* et *ration. additam.* Discriminis ratio patet, quia homines non educunt aliquid *ex nihilo subjecti*, sed tantum *ex nihilo sui*; ergo ut artefacta conserventur sufficit, ut modificationes subjecto superinductae non pereant, ad quod auctor ipse naturae providit, subjectum ipsum diversasque ejus proprietates conservando, quae modificationum amissionem impediunt: e contra cur subjectum et proprietates conserventur, ratio sufficiens reddi nequit, nisi ad Creatoris voluntatem recurramus; qui insuper non poterat efficere ens contingens a se independens.

Dices: Si conservatio entium efficienter accepta consistit in permanentia, ut sic dicam, actus voluntatis divinae creantis, ergo in omissione ejusdem actus consistet *annihilatio*, id est, in aliquo negativo; ergo annihilatio non postulat vim infinitam, contra id quod supra (1) dictum est.

Resp. *Dist.* 1^{m} *conseq.* ergo in omissione, id est, in aliquo negativo objective, *conc.* subjective, *nego.* Sunt qui ad annihilationem postulant vim *simpliciter positivam*, quasi nempe requireretur actus positivus et veluti novus oppositus, quo Deus destrueret *esse rei* prius productum; sed iste modus concipiendi annihilationem est perquam materialis, et supponit velut multiplicationem actuum in Deo, atque exigentiam quamdam essendi ex parte entis contingentis, quod nequit admitti; sicut etiam nequit dici simpliciter annihilationem consistere in *mere negativo*, quasi ens desineret existere ratione sui et veluti nihil agente Deo: tunc utique annihilatio sub nullo respectu postularet vim infinitam; sequeretur enim per se ex ipsa natura contingentis. Quod si existentia contingentis, tam in *esse* quam in *desinere*, ab actu divinae voluntatis pendere dicatur, sicut revera est, jam licet cessatio existentiae contingentis sit objective quid mere negativum, tamen quia haec aliter fieri non poterat nisi Deus actu voluntatis suae, quo illud ens conservat, statueret simul tantum ad tem-

---

(1) Art. proxime praeced. n° 78.

Digitized by Google

pus illud conservare, ex parte Dei seu subjective haec annihilatio est quid positivum et ejusdem infinitatis ac ipsa vis creans.

ARTICULUS III.

DE CONCURSU

84. Dependentia entium contingentium *in agendo* ab actu divinae voluntatis constituit *concursum* Dei. Verum actus divinae voluntatis ita potest influere in actionem creaturae, ut conservando ejus *esse* et vires expeditas reddendo, ipsam operationem veluti ei relinquat, et haberetur concursus tantum *mediatus;* vel ita, ut cum ipsa creatura operante operetur, et foret concursus *immediatus,* qui dicitur etiam *generalis,* quatenus ad omnes prorsus actiones entium contingentium se porrigit, et *physicus,* quatenus respicit physicam dumtaxat entitatem actionum, ad distinctionem *moralis* et *particularis* concursus, quo Deus suadendo, hortando, vel intrinsecus pias motiones producendo incitat tantum ad actiones *moraliter* bonas et honestas, de quo concursu nulla saltem philosophica instituitur quaestio: concursum autem *physicum* sequens vindicabit propositio.

PROPOSITIO

Deus virtute sua concurrit immediate *ad omnes actiones entium contingentium*

85. Concursus iste iisdem fere rationibus suadetur ac conservatio: differt tamen ab ipsa objective, sicut simplex existentia ab activitate. Itaque 1°, cum status activitatis sit quid plus quam status non-activitatis sive simplicis existentiae, meraque agendi potentia vel actus antecedens non habeat necessarium nexum cum operatione sequenti, hinc sicut continuatio existentiae nequit habere rationem sufficientem adaequatam nisi in actu divinae voluntatis, ita nec actualis status activitatis 2°. Status causalitatis in contingentibus, est status realis et vera perfectio; si ergo Deus immediate non influeret in hunc statum, et multo magis in ipsam effectus productionem, jam et causa secunda poneretur quoad hoc independens a Deo, quod et in se repugnat et derogat supremo Dei in res omnes dominio; et posset sup-

Digitized by Google

poni causa secunda perfecte expedita ad agendum quin imo effectum ipsum producens etiam Deo nolente, quod absurdum (1). 3°. Activitas causae secundae, praesertim principaliter agentis, ab ipsa ejus natura dimanat: si igitur quoad activitatem ejusque exercitium, etiam quoad naturam pro illo instanti fieret a Deo independens. 4°. Effectus in illa hypothesi ita tribueretur causae secundae, ut non posset simul spectari velut beneficium Dei, cum interim vires creatae ratione sui possent esse etiam sine tali effectu: ergo admittendus est concursus Dei *immediatus* in omnes actiones entium contingentium (2).

Nec prodest objicere, perfectius esse opus magisque sapientiam artificis manifestare, ut patet, e. g. in horologio, quod sine concursu et jugi assistentia artificis motus suos peragit; ergo a pari. Etenim paritas non valet: artifex namque potest et debet ad leges artis construere machinam, quae usibus necessariis inserviat absque ejus assistentia: ergo si ita non fuisset constructa, argueret imperitiam et insipientiam artificis. E contra Deus nec potest nec debet efficere, ut ens contingens etiam in solo exer-

---

(1) In secundo argumento nuper exposito, dum dicitur absurdum esse, ut creatura effectum producat Deo *nolente*, meminisse oportet, loqui nos hic de activitate causae et effectu pro ordine physico et quoad entitatem physicam consideratis: minime enim latet, pro ordine morali et a causa libera frequenter produci effectus quosdam Deo positive *nolente* et prohibente, quamvis interim id permittat; et hoc ipso dicimus nos, quod Deus in tali actu physicum concursum relate ad physicam actionis realitatem minime subtrahat, neque possit subtrahere, secus permissio illa foret inanis. Creatura quidem, ut deficiat ab ordine morali, non eget divino concursu, sibique sola sufficit; sed ut ab hoc deficiendo in ordine physico aliquid praestet, nequit a Deo esse independens, ejusque concursu non egere.

(2) In quarto argumento advertas oportet, vim ejus nequaquam elevari ex eo quod etiam in hypothesi Dei *immediate* non concurrentis ad actionem, adhuc effectus tamquam Dei beneficium spectari deberet, propter virium elargitionem et conservationem, seu propter concursum tantum mediatum: etenim data hac *mediata* dumtaxat effectus dependentia atque beneficii ratione, adhuc verum remanet, effectum ejusque productionem quatenus formaliter sunt tales, in dicta hypothesi a creatura seu a causa secunda totaliter pendere, ipsamque de utroque tamquam a se unice dependente posse ex toto gloriari, totumque sibi attribuere; haud secus, ac ille discipulus, qui hausta scientia a magistro aliquod opus scientificum in lucem ederet, quamvis scientiae acquisitionem aptitudinemque disserendi illi accepta referre quodammodo teneratur, operis tamen elucubrationem quatenus est formaliter tale opus, jure meritoque sibi soli ex toto tribuerat.

Digitized by Google

citio activitatis desinat esse contingens, ejusque concursu non egeat, cum ad sapientiam divinam non pertineat efficere contradictoria.

86. Atque haec de concursu isto generali et physico apud omnes certa sunt. Quod si causas liberas in specie earumque agendi rationem spectemus, nodus vel maxime difficilis solvendus remanet, qnomodo nimirum Deus ad eas concurrendo libertatem non laedat. Interim duo tamquam certa supponimus ex dicendis in Psychologia: 1°, requisita actus *primi proximi* liberae volantatis non posse habere nexum necessarium cum *actu secundo* secus haberetur profecto necessitas antecedens sive determinatio ad unum, ac tolleretur libertas: 2°, actum secundum sive electionem formaliter spectatam, debere pendere ab ipsa indifferente activitate liberae voluntatis, suarum determinationum dominium habentis; est enim inconveniens, voluntatem *se ipsam determinare*, et *esse ab alio determinatam*; unde seqnitur, non posse concipi concursum Dei in actiones liberas ita influere, ut cum duplici exposita veritate pugnet.

Hoc posito, quidam putant concursum Dei physicum et immediatum directe quidem et positive influere in actiones liberas, quatenus et actum primum proximum reddat expeditum ad agendum, et in ipsa determinatione seu electione cum voluntate creata determinante operetur, indifferenter tamen relate ad formalem actus positionem vel omissionem, ita ut nec voluntatem physice praemoveat, nec determinet, nec ad actum applicet, sed ei pro lubitu determinationem relinquat, in ejusque dominio situm sit concursum illum specifice indifferentem ad quodlibet oppositum flectere; praesertim quod idem sit physicum libertatis exercitium in alterutro casu. Alii e contra docent, ipsam specificam et formalem determinationem voluntatis efficienter produci a concursu Dei, ita ut quidquid sit perfectionis in actione libera ab ipso producatur: hinc vocant eum *praemotionem physicam*, quae mentes nostras ad singulos actus efficaciter *applicat, determinat, praemovet.* Libertatem autem non laedi, inquiunt ipsi, per istam praemotionem; quia scilicet remanet semper in nobis potentia ad oppositum in *sensu diviso*, cum influxus iste physicus prior sit natura, licet non tempore, ad determinationem.

87. Diversitas opinandi circa modum concursus divini ad actiones liberas, non impedit quominus omnes conveniant Deum concurrendo non fieri auctorem peccati, aut aeque in bonas ac malas actiones influere. Etenim peccatum, cum sit defectus a regula mo-

Digitized by Google

rum, consistit *formaliter* in mere negativo, sive in *mera privatione* rectitudinis seu conformitatis cum regula morum: *materiale* autem peccati, sive exercitium libertatis, aut objectum in quod tendit et quod prosequitur voluntas, est quid in se physice bonum, ad quod tantum Deus, ut auctor naturae concurrit: illud vero et reprobat, et poenas pro eo intentat, atque relate ad ipsam inordinationem dumtaxat permissive se habet; ergo inordinationis sive deformitatis peccati, Deus auctor non est. Cum autem in actiones moraliter bonas non tantum physice, sed etiam moraliter influat, id est suadendo, alliciendo, etc. patet quoque non eodem modo Deum concurrere ad bonas ac ad malas actiones; ergo concursus Dei non pugnat cum ejus sanctitate.

Ex dictis superius (1) et initio hujus articuli, si advertas quod *agere* Dei in conservatione et concursu similiter ac in creatione, non possit esse aliud quam actus divinae voluntatis seu *velle*, non autem aliquid a Deo dimanans, haud difficile intelligitur quomodo nihil in concursu Dei ad actiones creaturarum habeatur, quod possit spectari tamquam quid physicum *praemovens* et *applicans* creaturas ad agendum vel actum (2). Intel-

(1) Art. 1. hujus cap. n° 78. art. 2. n° 83. in fine.

(2) Ex eadem animadversione, quod scilicet concurrere Dei ad actionem causae creatae nihil aliud sit, quam velle, ut e. g. talis causa libera etiam in particulari, seu relate ad hanc singularem determinationem, hic et nunc utatur sua libertate, facile deprehendes, quomodo in prima sententia numero praecedenti indicata, quae statuit et considerat immediatum Dei concursum tamquam conditionem absolute necessariam ad complementum actus primi proximi, et ad transitum ad actum secundum, libertas creaturae illaesa remaneat. Nam Deus quidem vult ut creatura hic et nunc utatur sua libertate, et impossibile foret si Deus non vellet, deficiente scilicet conditione necessaria ad expeditum facultatis usum, ut creatura ageret: at posito quod Deus concurrat seu velit, tunc libera creatura est, quae cum tali concursu deflectit ad actus positionem vel omissionem, seu exercet libertatem suam. Neque per hoc concursus Dei statuitur vagus sive versatilis, et ab actu creaturae frustrabilis; siquidem et inter positionem aut omissionem actus non datur medium, verumque est ab aeterno pro statu logico quidnam ex duobus illis sit revera futurum, et Deus etiam antecedenter ad productionem liberae creaturae cognoscit, quamnam determinationem ipsa sit secutura: unde quaecumque liberae creaturae determinatio seu operatio, nec vagum aut versatilem nec unquam frustraneum divinum concursum reddit, vel reddere potest. Similiter nihil proficiunt dicentes, hac ratione statui Deum dependentem a creatura, istiusque liberam cooperationem veluti expectantem: etenim, ut patet, creatura potius statuitur absoluta necessitate dependens in agendo a concursu Dei, quem necessario debet supponere et expectare, ut in actum exire valeat; nisi

Digitized by Google

ligitur etiam quomodo hac ratione satis perspicuum fiat quod diximus in Ontologia (1), nihil repugnatiae esse in eo quod causae secundae, licet a Deo in conservatione et concursu dependeant vere nihilominus agant, effectusque ab ipsis provenientes ipsis revera tribui debeant, tamquam a virtute earum intrinseca vel determinatione ab extrinseco accepta diamantes, ita ut idem effectus, et ex toto pendeat a Deo, id est, ab actu voluntatis divinae, quo non supposito causa secunda nec esset, nec actu operaretur; et ex toto pendeat quamvis diversa ratione, a creatura seu causa secunda, quatenus haec propria activitate, licet dependenti, dat *esse* formale vel materiale effectui.

ARTICULUS IV.

DE PROVIDENTIA DEI

88. Deistae, Epicurei, et Fatalistae, ut ad instar atheorum voluptatibus quiete indulgere valeant, negant Deum gubernationi hujus mundi se immiscere, sed caeco casu, vel fato quodam ac necessitate omnia dirigi: eorum querelae et blasphemiae videri possunt apud Bartoli (2). Tullio teste (3), Stoici majorum quidem rerum curam Deo demandarunt, non vero minimarum, quasi haec esset illo indigna (4). Horum errorem ex recentioribus

---

forte adversarii per hanc Dei dependentiam a creatura, et istius cooperationis expectationem intelligant, quod Deus ipsam formalem actus secundi determinationem seu positionem in arbitrio creaturae relinquat, nec eam antecedenter vel concomitanter ad unum praemoveat et determinet: hoc namque ultro fatendum est, cum in eo nullum lateat inconveniens, et aliunde admitti non possit creatura libera, quae se ipsam determinat ad aliquem actum, et simul ad eumdem ab alio sub omni respectu determinatur.

(1) Art. 6. n. 56. 67.

(2) *Ricreaz. del Savio*, lib. 2.

(3) *De nat. Deor.* lib. 3.

(4) S. Augustinus disserens de Stoicis haec habet: *Quidam eorum*, inquit, *terram nostram ut quid minimum existimantes, de sublimioribus mundi seu coeli partibus non vero de ipsa, Deum curam habere docuerunt.* Posterioribus temporibus quidam alii etiam ex Judaeis, ut Rabbi Maimonides, saltem bruta animalia, plantas caeteraque inferioris ordinis entia mundana, a divinae providentiae sinu, tamquam quid Deo indignum excludere voluerunt; ut nihil dicam de figmamento Cudworthi, naturam quamdam velut generale principium adstruentis, quod minimarum rerum in se ordinem atque rationem praecontineret, et cui tantum Deus praeesset.

acriter propugnavit Cudworth (1). Unicam contra omnes statuemus propositionem; prius tamen innuimus quid sit *providentia.*

Ad rationem perfecti provisoris, qualis certe debet esse Deus, tria requiruntur: 1°, praescientia omnium finium tam particularium, quam generalium, ad quos diriguntur entia, mediorum quibus fines illi assequuntur, nec non eventuum, qui possunt accidere; 2°, decretum voluntatis divinae eadem media adhibendi, et ad fines proprios dirigendi; 3°, executionem ejusdem decreti, vi cujus entia et ad fines suos per media apta constanti ratione diriguntur, et eosdem pro conditione suae naturae obtinent. Hinc a Boëtio breviter definitur providentia, quod sit *Divina ratio, quae cuncta disponit*, seu, ut eam explicat S. Thomas (2), ad curam duo pertinent, scilicet *ratio ordinis*, quae dicitur providentia et dispositio, et *executio ordinis*, quae dicitur gubernatio, quorum primum ad intellectum, alterum ad voluntatem spectat. Sed observandum est, providentiam divinam se extendere etiam ad ea, quorum Deus non est causa efficiens; nam ut ait S. Augustinus (3): *Deus ordinator est et creator rerum omnium naturalium, peccatorum autem tantum ordinator.* Hoc posito, sit

PROPOSITIO

Deus de omnibus et singulis rebus etiam minimis providentiam habet

89. Quoniam hostes divinae providentiae argumentis praesertim a posteriori petitis eam oppugnant, juvat imprimis argumentis a posteriori assertionem nostram probare. 1°. Ex consensu etiam impiorum et ex evidenti experientia, mundus et creaturae ipsum componentes eo ordine et harmonia subsistunt, ut ipsum reddant prorsus admirabilem, saltem quoad summa capita spectatum, nempe quoad revolutionem et splendorem astrorum, animalium constitutionem, successivam specierum per individua ejusdem naturae propagationem, etc. jam si stulte prorsus diceretur non esse qui praesit familiae, domui, exercitui bene or-

(1) *System. intellectual.* cap. 5.
(2) Part. 1. quaest. 22. art. 1, ad 2.
(3) *Confess.* lib. 1.

Digitized by Google

dinatis, stultius sane id affirmatur de tota hac pulcherrima rerum congerie.

2°. Ordo physicus et moralis in particulari consideratus magis adhuc idem confirmant. Inter virtutem contingentium causarum et effectus constanti ratione ab ipsis provenientes quaenam est necessaria connexio? Quid quaeso contradictorii esset, si virtutes illae deficiendo effectus non producerent? Quid est, quod invigilat ad virium amissarum reparationem? Quid est, quod non permittit, ut ex adeo diversa elementorum combinatione nulla unquam vegetabilia vel animalia speciei detrimentum patiantur, nulla individua in suis notis perfecte conveniant, et mirabilem prorsus diversitatem una cum similitudine servent? Major ne est necessitas durationis istius, quam existentiae ipsarum causarum? Atqui contingentis existentia postulat existentiam necessarii; ergo etiam contingentia dispositionis mediorum ad finem, et consecutionis ipsorum finium postulat sapientiam et voluntatem mentis supremae dirigentis.

Simile quid dicatur de ordinis moralis constantia. Quid est enim nisi providentia Numinis, quae nos certos efficit de permanente socialis vitae subsistentia? Quid de stabilitate legum moralium? Nonne impiis fatentibus, homo vel maxime probus potest vel uno instanti fieri improbus? Unde igitur constabit, hanc immanem morum perversitatem relate ad omnes homines crastina e. g. die non futuram? Nonne omnes et singuli homines sunt libertate et cupiditatibus aeque praediti? Sed adest, inquit Bergier, supremum Numen quod impressit hominum cordibus amorem veritatis et virtutis, quod cognoscit actiones omnium et earum rationem tenet, obligationes manifestat, earumque etiam in particulari executionem urget. In hac persuasione fundatur vita socialis, moralis et religiosa. Deus sine providentia non erit amplius Deus noster: ejus existentia erit nobis indifferens, nullum fere remanebit motivum ipsi obsequium exhibendi.

90. A priori vero idem probatur 1°, ex consensu omnium sapientiorum philosophorum, quin et totius generis humani, qui in re cum moralitate actionum connexa maximum robur habet. Manifestatur autem apud omnes gentes vel sola manuum, et oculorum in coelum elevatione, dum aliqua necessitate aut miseria premimur; cultu pariter peculiari qui et in prosperis pro gratiarum actione et in adversis vel dubiis pro auxilio impetrando apud omnes fuit semper in usu. Praeterea etiam ipsae blasphe-

Digitized by Google

miae impiorum contra bonitatem, justitiam, aliaque attributa divina, eamdem persuasionem indicant. Sapientiores autem philosophi idem docuerunt, uti Plato in libris de Legibus, ubi ad minima quaeque Providentiam Dei extendit, Plotinus in duobus libris hac de re conscriptis, Tullius in lib. 2. de Legibus, et Seneca tam in libro de Providentia quam in Epistolis, praeclara exhibent huic veritati testimonia.

Probatur 2°, ex natura ipsius Dei; vel enim nesciret, vel non posset, vel nollet rebus providere: non primum, uti constat ex dictis de scientia Dei; non alterum, quia hoc non postulat in Deo defatigationem neque est indignum illo, unico namque voluntatis suae actu, absque ulla ex parte sui immutatione honorisque laesione, par est effectui praestando; non postremum, quia licet Deus antecedenter nulli creaturae aliquid debeat, posita tamen ejus creatione, vi sapientiae et bonitatis suae tenetur eam regere mediaque sufficientia suppeditare: in Deo enim, ut ait S. Ambrosius (1) *aliquid non fecisse nulla injustitia est: non curare quod fecerit, summa inclementia.*

91. Tandem providentiam divinam se extendere quoque ad minima, sic in particulari suadetur. Omne creatum et finitum est quid plus quam minimum, sive quasi nihilum relate ad Deum; ergo aut de omnibus prorsus aeque curam gerit Deus, aut de nullo; postremum repugnat ex praecedentibus; ergo primum dicendum est. Deinde quamvis tellus relate ad alia mundani nostri systematis corpora esset quid minimum, tamen totum etiam systema mundanum relate ad alia vel existentia, vel in infinitum possibilia, est pariter quid exiguum; ergo iterum prodibit simile argumentum (2). Denique, ut loquitur Clarcke (3), tellus nostra quamvis dicatur minima continet tamen homines, entia scilicet ratione praedita, quae alias creaturas dignitate evidenter excedunt; ergo tellus non est quid etiam relative minimum, ratione saltem dignitatis.

---

(1) *De Offic. ministr.* lib. 1. cap. 13. n° 18.

(2) Quae de systematibus corporum coelestium innuimus, fundantur in Astronomorum sententia, arbitrantium innumera esse corporum coelestium systemata, huic nostro systemati terrestri seu potius solari similia, quae pro centro motus habent aliquam e stellis fixis: sententia haec magnum robur acquirit ex recens detecto motu, quem vocant stellarum duplicium.

(3) *Traité de l'existence de Dieu*, chap. 13.

Digitized by Google

92. Opponunt I°, cum Epicuro apud Tullium (1): Deus est beatissimus; ergo nihil agit, nullis occupationibus et curis est implicatus.

Resp. *Conc. ant. nego conseq.* et *suppos.* Ratio est, tum quia beatitas perfecta non excludit omnem actionem; nam, Tullio ipso observante, *utatur suis bonis oportet et fruatur, qui beatus futurus est;* tum quia providentiam gerere Deo non adfert laborem, defatigationem, taedium et molestiam, ut dictum est.

Instant. Longe major est distantia inter Deum et creaturas, quam inter regem et vilia quaedam regni negotia: jam vero non est majestatis principis se implicare curis circa ista; ergo a fortiori, etc. Praeterea, si de singulis providentia haberetur, periret casus fortuitus; ergo.

Resp. ad 1^m. *Dist. min.* et hoc fit ratione solius majestatis, *nego,* aliis de causis, *trans.* et *nego conseq.* Eo melior est humanus provisor, quo pluribus negotiis, licet minimis (non neglectis majoribus), providet. Ne tamen minoribus intentus majora negligat, debet, utpote finitus, curam illorum aliis demandare administris, et ita necessitas honorem parit. Nihil horum de Deo dici potest aut debet.

Ad 2^m. *Dist.* periret relate ad nos nostrumque conceptum, *nego,* relate ad Deum, *trans.* Nullus est casus fortuitus relate ad Deum, cujus dispositione omnia fiunt, sed tantum relate ad conceptum nostrum, dum scilicet aliquem effectum prodire deprehendimus, quasi a nulla intelligentia fuisset praeordinatus (2).

93. Opponunt II°. Multa sunt in mundo, quae abhorrent a sapientia, bonitate, aliisque attributis Dei. 1°. Multa sunt inutilia, noxia, nullumque finem habentia. 2°. Mala omnis generis, unde praesertim creaturae rationales finem suum non assequuntur. 3°. Inaequalis distributio bonorum; mali enim et improbi divitiis et commodis affluunt, e contra boni et probi; ergo.

Resp. *Nego ant.* Ad 1^m et 2^m probationem desumatur responsio ex dictis in ultima propositione capitis praecedentis, advertendo insuper, quod nemo possit recte judicium ferre de sapientia provisoris in aliquo opere maxime complexo, nisi prius praevideat ex integro nexum totius ad partes et partium ad totum, quod relate ad maximam partem entium mundanorum no-

(1) *De nat. Deor.* lib. 1.
(2) Vide dicta superius cap. 1. art. 2. n. 12. et in *nota* 1.

Digitized by Google

bis est impossibile; ergo ex eo quod non cognoscamus eorum finem vel particularem utilitatem, non licet inferre, ea aut fine aut utilitate carere. Porro manifestum superbiae indicium est, velle omnes fines divinae sapientiae perspectos habere, ut recte advertit auctor Anti-Lucretii (1):

Oratio humanae mentis, quam caeca superbis!
Haec in mente Dei si quondam, carcere rupto
(Atque utinam!) aspiceres proh! quam tibi justa repente
Cuncta viderentur, quae nunc male cognita damnas.

Relate ad id, quod dicitur de fine creaturarum rationalium distinguendum est: non assequuntur finem totius mundi, *nego;* proprium et particularem *subdist.* ex propria culpa, *conc.* ex defectu mediorum, *nego.* Deus imprimendo naturaliter omnibus prima moralitatis principia amoremque justi et honesti, atque conscientiae dictamen, sufficienter providit ut creaturae rationales propriam felicitatem, si voluerint, possint assequi, quam Deus in particulari nonnisi hypothetice intendit, mediante scilicet libera ipsarum cooperatione. Fine autem totius mundi absolute intento divina providentia minime frustratur, cum ordinis moralis per peccata violatio accurate instauretur, vel per delinquentium poenitentiam in praesenti vita, vel saltem per poenam vitae futurae, quod provisoris sapientiam luculenter manifestat; sic enim nolentes bonitatem et misericordiam divinam in hac vita exercitio bonorum operum manifestare, justitiam in altera vita ratione debiti supplicii manifestabunt.

Ad 3^m resp. 1°. Si sermo fiat de bonis naturalibus excedentibus puram necessitatem naturae, relate ad aequalitatem eorum creaturae nullum jus habent, eorumque inaequalis distributio plurimas utilitates, ut alias diximus (2), toti mundo adfert.

Resp. 2°. *Dist.* mali et improbi divitiis et commodis affluunt semper, *nego*; plerumque, *subdist.* et de hoc potest reddi ratio, *conc.* secus, *nego.* Ac primo quidem non semper discrimen hoc inter probos ac improbos haberi experientia ostendit, cum et istos frequenter cum adversis hujus vitae luctari videamus, nec alia quasi de causa prius superexaltatos fuisse, nisi ut deinceps gra-

(1) *De Deo et de natura*, lib. 9. versu 780. et seqq.
(2) Cap. praeceden. artic. 5. prop. 2. oppon. 2. inst. 1. in resp. ad 2.

viore eorum ruina omnes discant nemini iniquitatem suffragari. Quod si plerumqne oppositum accidat, id non est inexplicabile dummodo advertamus, quod et praesentis vitae felicitas non in divitiis et honoribus, sed vel maxime in testimonio (quemadmodum Seneca aliique etiam ethnici agnoverunt) conscientiae non fictae, quo certe improbi destituuntur, consistat; quodque hac in re ab altera vita praescindendum non sit: quo posito bona quibus improbi nunc gandent, erunt merces totalis pro quibusdam eorum actionibus naturaliter honestis: ut enim loquitur S. Augustinns (1) *Placuit quippe divinae Providentiae praeparare in posterum bona justis, quibus non fruentur injusti, et mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Ista vero temporalia bona et mala utrisque voluit esse communia, ut nec bona cupidius appetantur, quae mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus et boni plerumque afficiuntur.* Tandem non raro decipimur in judicando quis sit probus et quis improbus.

94. Opponunt III°. Ens aeternnm non respicit leges particulares, sed generales et aeternas. Quomodo absolutus rerum dominator supponi potest magis occupatns in moderando uno homunculo, quam in natura nniversa? Quare faceret ipse aliquam mutationem in corde Cantabri e. g. vel Curlandensis, dum non mutat universae naturae leges? Magnae audaciae est, velle homines exemptos a legibus caeterorum entium. Ita Voltaire (2).

Respondeo 1°. Magnae sane audaciae est ista blasphemo ore effutire. 2°. Quis docuit adversarium, quod ens aeternum generalibns dumtaxat legibus ducatur? Nonne auctor est omninm in genere et in particulari? Numquid magis arduum est ipsi per particulares quam generales leges mundum regere? Num entia toto genere diversa iisdem prorsus regulis subjicienda erant? Quid magis absurdum, quam inter leges physicas et morales nullum agnoscere discrimen, nullamque in istis excellentiorem ordinationem videre? Numquid Cantaber et Curlandensis non sunt homines, sed machinae? Apage nugas.

Instant I°. Sublata etiam providentia Dei, adhuc pietati et religioni locus esset propter excellentiam Numinis; ergo argumentum superius (n° 89) tertio loco allatum inefficax est.

---

(1) *De civit. Dei* lib. I. cap. 8.
(2) *Dictionnaire philosoph.*

Digitized by Google

Resp. *Dist. ant.* pietati imperfectae, *trans.* perfectae, *nego.* Sola siquidem excellentia Numinis non sufficit, ut nos amore proprio terrenisque rebus abstracti intimo quodam nexu Deo inhaereamus. Titulus *Creatoris* obligationem quidem cultus reddendi manifestaret: at spectata natura nostra, nisi certi essemus Deum singulas actiones nostras respicere opemque ferre egentibus, non facile praestaremus quod aequum esset, quin potius in hac hypothesi, et in casu quo undique miseriis coarctaremur, titulus creatoris sine provisore, Deum inhonorandi occasionem praeberet.

Instant II°. Si providentia Dei se extendat ad singularia, 1°, est impius qui in causis civilibus vel criminalibus recurrit ad consuetam judiciorum formam, et non ad sortes; Deus enim singularia curans non suffragabitur jus non habenti. 2°. Qui astutius noverit res in suam convertere utilitatem, qui circumstantias captaverit, aliaque similia in litibus, e g. in bello, etc. huic ex voto omnia accidunt, licet fuerint iniqua: hoc non eveniret si de singulis providentiam gereret Deus; ergo.

Resp. ad 1^m. *Nego ant.* et *suppos.* Deus non tenetur providentiam suam ita manifeste et pro nostro lubitu gerere, ut ipse per se absque mediis naturalibus et ordinariis controversias nostras dirimat; vult enim ut in hoc fides et fiducia locum habeat. Neque iterum ita tenetur providere, ut media ordinaria bene adhibita optatum semper effectum consequantur, cum evidens sit, posse Deum propter fines sibi cognitos et ut nobis merendi occasionem praebeat, permittere quandoque juris nostri laesionem. Ex addita ratione non sequitur quod adversarii volunt, sed hoc unum; Deus qui singularia etiam curat, hac in re mihi qui jus habeo, non alteri profecto suffragabitur, dummodo et media necessaria non negligam, et ipse non habeat finem aliquem permittendi laesionem mei juris.

Ad 2^m. distinguenda est major propositio eodem modo ac tertia pars difficultatis praecedentis (n° 93). Quam saepe videmus humanae prudentiae et astutiae regulas ab omnipotenti et invisibili divina manu etiam in casibus particularibus subversas, viasque omnes ad finem perveniendi interclusas? Nonne mirantes frequenter suspicimus negotia maximi momenti ad exitum perduci, mediis insufficientibus et obstaculis fere insuperabilibus posthabitis? Nonne ex adverso maximos apparatus, e. g. belli plurimosque alios conatus summa cum arte et ad leges huma-

nae prudentiae apprime exactos, una cum suis machinatoribus contra omnem expectationem in irritum cadere cernimus? Quis, quaeso, regum et principum aliorumque corda eo ipso instanti quo minime expectamus, mira prorsus ratione ad opposita flectit? Quod si pro ratione laudabilis industriae res melius communiter hominibus eveniant, id ipsum providentiae divinae interest, ne homines torpescere sinat. Quare autem non semper impiorum conatus et astutiam retundat Deus, audiatur S. Augustinus (1): *Ostendit tamen Deus saepe etiam in his* (poenis) *distribuendis evidentius operationem suam. Nam si nunc omne peccatum manifesta plecteret poena, nihil ultimo judicio servari putaretur: rursus, si nullum peccatum nunc puniret aperte Divinitas, nulla esse providentia divina crederetur. Similiter in rebus secundis* etc.

95. Tandem ita cum Stoicis objicit auctor *systematis naturae*; vel mundus subsistit vi naturae suae suarumque legum, vel ab ente supremo efformatus fuit juxta ejus leges supremas: in utroque casu immutabilia sunt omnia et necessaria; nullus ergo providentiae locus (2). Sed nos ad secundum disjunctionis membrum respondendo, distinguimus inter leges physicas et morales: primas dicimus relate ad nos esse immutabiles, quatenus virtuti nostrae non subjiciuntur, non vero relate ad Deum, qui et liber prorsus fuit in illis constituendis, et potest illis pro lubitu in casu aliquo particulari derogare, aut penitus etiam illas tollere vel mutare, si ita voluisset. Morales vero leges, licet supposita actuali naturae nostrae constitutione, necessario omnino statuendae erant, nobisque imponendae ad vitam rationalem et moralem recte informandam; sunt tamen relate ad Deum aut in se spectatae dumtaxat immutabiles, quia apprime conveniunt cum

(1) Loco superius indicato.

(2) In hoc argumento primum disjunctionis membrum est falsum: mundum enim, cum et in se et in suis legibus sit quid contingens, non existere vi naturae suarumque legum evidens est; et si ita existeret foret ens necessarium, haberetque revera locum illatio, quod omnia in eo forent tunc immutabilia. Hoc itaque praetermisso, ad illationem secundi membri, quod verum est, respondemus distinguendo inter leges physicas et morales, diversosque modos vel rationes sub quibus possunt et debent dici mutabiles: cui responsioni lumen aliquod accedet, si addas considerationem divinarum legum, qualenus sunt in se seu in decretis divinae mentis spectatae, et quatenus referuntur ad terminum extrinsecum, seu ad ipsas res contingentes iisdem legibus subjectas; primo enim dumtaxat modo acceptae sunt prorsus immutabiles, non autem postremo.

Digitized by Google

ratione divina suntque participationes quaedam legis aeternae Dei: nos autem quia liberi sumus, non obstante necessario nostrae rationis dictamine, contra illud agendo possumus eas in casibus particularibus violare; ergo relate ad nos non sunt prorsus immutabiles; et hoc ipsum indicat sapientissimam divinam providentiam, quae talem ordinem instituit, in quo nec penitus a potentiis liberis morales leges subvertuntur, nec violationes earum absque reparatione remanent. In utroque itaque legum ordine datur providentiae locus.

Nec plus proficies dicendo: Deus semel pro semper ab aeterno omnia disposuit et determinavit, omniaque eveniunt secundum immutabilia ejus decreta; ergo nunc nullam necessitatem habet singulos eventus respiciendi, et de singulis curam gerendi; nam respondemus: ut divina providentia extendatur ad singula quae in tempore accidunt, non est opus asserere Deum aliquid in tempore disponere aut determinare, quod ab aeterno in sua sapientia nec disposuit nec determinavit; sed tantum, quod nihil in quocumque successivae durationis momento, et relate ad quodcumque ens accidat vel accidere possit, quod non sit sapientissimae ac aeternae divinae dispositioni ac ordinationi subjectum. Insuper advertas oportet toties jam dicta, scilicet, relate ad Deum ejusque aeternitatem non dari *prius* et *posterius*; quodque dispositiones divinae sapientiae et decreta voluntatis ejus sint quidem *entitative* immutabilia et aeterna, at quod res ipsae iisdem decretis subjectae utpote mutabiles, diversas combinationes possint subire, non immutato etiam ordinario ac consueto legum generalium ordine.

EXPLICIT THEOLOGIA NATURALIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ERRORES IN HAC VOLUMINIS PARTE DETECTI

PAG.	LIN.	ERRATA	CORRIGE	PAG.	LIN.	ERRATA	CORRIGE
II.	2	et	nt	165	9	assentia	essentia
VII.	3	mayen	moyen	171	22	nune	nune
4	18, pen.	Pasqualis	Paschalis	179	3	elypticus	elliptieus
				181	ult.	hom.	hum.
43	ult.	his, duo	bis duo	184	pen.	sul	sur
72	34	phyilosopho	philosopho	188	3	dfficnltates	difficultates,
83	27	abjecta	objecta	193	27	despicias	dispicias
84	4	obsolute	absolute	198	23	ad invivem	ad invicem
85	21	sensis	sinensis	201	9	exteatio	extensio
92	7	Circumstatiae	Circumstantiae	202	32	sa	se
103	31	denagare	denegare	207	22	peceptionum	perceptionum
105	22	pnomodo	quomodo	211	17	exibet	exhibet
110	10	cxistententis	existentis	215	14	ivicem	invicem
112	15	dac	hac	216	1	Necassario	Necessario
118	5	nen	non	225	31	reliquit	relinquit
124	11	tantum; fluit	tantum fluit;	227	28	nen	non
126	28	casualitatis	causalitatis	229	10	da	ad
133	pen.	ueque	neque	230	33	Profcetior	Perfectior
136	25	indipendenter	independenter	233	24	nampe	nempe
141	32	periferia	peripheria	239	11	dere	de re
144	29	ralitatis	realitatis	240	37	unqum	unquam
162	1	casualitatis	causalitatis				

Quosdam alios minoris adhuc ponderis errores attentus lector facile ex se conjiciet.

Il presente Volume, che contiene la Logica, Ontologia e Teologia naturale del Ch. Autore R. P. Giuseppe Luigi Dmowski della Compagnia di Gesù, trovasi vendibile presso Giovanni Battista Marini Tipografo, e Librajo sulla Piazza del Collegio Romano N. 4. al prezzo di baj. 45 alla ragione di baj. $2\frac{1}{2}$ a foglio.

La seconda Parte del presente I. Volume conterrà la Psicologia e Cosmologia, e sarà composta di circa 12 fogli di stampa in tutto simili alla prima Parte, quale si seguirà senza interruzione col numero progressivo delle pagine, a comodo di quei Signori, che desiderassero unirla alla prima Parte per formarne un sol volume.

Digitized by Google

Digitized by Google

FARNESI AL...
Legatore di Libri
ROMA
Via S. Nicolò da Tolentino
Digitized by Google